JOHANNIS HOORNBEEK, ... DE CONVERSIONE INDORUM & GENTILIUM. LIBRI...

A. Santvoort, Johann Hoornbeek, David Stuart

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA
32 — E
22

1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52-F-33

Digitized by Google

3. 35. D. 22

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS HOORNBEEK,

S. Literarum in Eccleſia & Academia, primum Trajectina, deinde Lugduno-Batava, Doctoris & Profeſſoris.

DE CONVERSIONE INDORUM & GENTILIUM.

Libri Duo.

ACCESSIT
Ejuſdem Vita ab Amico edita.

BIBL. SOC. COLL. ROM. SOCIES.
IHS

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

AMSTELODAMI,

Apud JOHANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE,
& Viduam ELIZÆI WEYERSTRAET, Anno MDCLXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Clariſſimi Viri.

JOHANNIS HOORNBEEK

Theologi nobiliſſimi Vita.

MAgnorum & illuſtrium Virorum vitam, literarum monumentis, quemadmodum olim, ita nunc conſignare, non duntaxat honeſtum eſt & utile, ſed prorſus pium & neceſſarium. Intereſt nimirum Dei, Eccleſiæ, Reipublicæ, Defunctorum, Poſterorum, & Orbis univerſi, imprimis literati. Intereſt *Dei*, ut glorioſus appareat in Sanctis quos ſpirituali gloriæ corona exornavit in terris æternaque exornabit in cælis. Intereſt *Eccleſiæ*, ne in extrema ſua ſenectute videatur effœta, ſed nova & vegeta pullitie, reddito quaſi vigore, feliciter adoleſcat. Intereſt *Reipublicæ*, ut juſta ſit & videatur, dum juſtum virtutis & laboris præmium civibus ſuis de ea optime meritis perſolvit. Intereſt *Defunctorum*, quanquam enim ſupra auram popularem & mundi Typhum elati, vanam mundi gloriam conculcent, eorum tamen nomen in ore & corde piorum decet eſſe immortale, non ut vana Ethnicorum ſuperſtitione impium & contumelioſum Deo cultum accipiant, ſed ut memoria eorum ſit in perpetua benedictione apud pios. Intereſt *Poſterorum*, ut nube fidelium teſtium propoſita, præclara virtutis exempla præ oculis habeant, quibus ad idem virtutis & glorię iter audacter ingrediendum atq; feliciter calcandum excitentur; iiq; licet mortui adhuc loquantur, magnis exemplis eruditionis & pietatis, omni ſermone eloquentioribus, omnique ſuada efficacioribus. Intereſt *Orbis univerſi*, ut illuſtretur à magnis illis luminaribus in Eccleſiæ & Academiæ firmamento collocatis ad omnes mundi literati par-

tes ſplendidiſſimo ſuo fulgore implendas, nec tanti Viri poſt mortem aſtra extincta videantur.

Sed *Mea* præſertim intereſt, Hoornbeekii, Viri ad exemplum eruditorum nati Hiſtoriam ſcribere, qui vivi virtutem contemplatus & admiratus ſum, atque mortui memoriam adhuc veneror, & ad extremum vitæ halitum venerabor. Nec enim mors, quæ fortiſſima ſolvit vincula, & duriſſimos reſecat nodos, vel minimum deteret amori aut cultui, quo eum proſecutus ſum, ob ſolam eruditionem & virtutem quam nobis præmaturè ereptam lugeo. Nihil enim aliud me ad ipſum potuit pellicere, cum cætera ferè omnia à propoſito retraherent: imprimis cauſa, quam tuebatur, ſuccumbens & velut triumphata, ſi Dei invicti cauſa & veritas ſuccumbere aut triumphari poſſit à Libertinis & Hæreticis, corrupti ſæculi iniquitate infeliciter ſuccreſcentibus & prævalentibus.

Cæterum quæ ſcribam de eo, partim ex ejus, quod de vita ſua reliquit breviario petam, breviſſimo quidem, cum una pagella contineretur: partim ex iis quorum ipſe fui ſpectator & teſtis oculatus, & mecum viri pii atque fide digni, ut nullus ſit de iis dubitandi locus. Ea verò omnia, licet maxima, minima tamen ſunt eorum quæ geſſit: nam multa arcana habebat ſibi ſoli, quæ nulli revelabat vir prudens & vanæ gloriæ contemptor.

Exordium autem ducam ab ejus origine, eumque ad ſepulturam hiſtorico ordine comitabor per omnia vitæ ſpatia, perque omnes gradus, quibus ad gloriam ſurrexit, cum in iis omnibus multa occurrant ſingularia & inſignia, ſcitu digniſſima & utiliſſima. Profiteor autem me nihil daturum gratiæ quam nunc præſtare non poteſt, nec adulationi à qua abhorreo, nec partibus quas ſecundum ejus Symbolum & exemplum, non ſequor aut facio, nec affectibus quibus non moveor in Dei cauſa, ſed omnia veritati, pietati & merito Defuncti.

Quemadmodum magnorum fluviorum, velut Nili & Gangis, Origo

Origo ſæpe ignoratur, ita magni hujus viri Genealogia, quam non deduxit ſupra avos paternum & maternum: ſeu ea intricata fuerit confuſis & turbulentis temporibus, ſeu potius ipſe vanam ac incertam antiquitatem contempſerit Vir gloriæ divinæ quam ſuæ ſtudioſior, & propria virtute quam aliena clarior, Apoſtolo Gentium obſequens, jubenti genealogias negligere: & merito, cum omnium eadem ſit Antiquitas ab Adamo, ut fruſtra vulgo ſuperbiant ficta generis antiquitate ventoſi nepotes Æoli.

Avus autem paternus ejus fuit Johannes Hoornbeek, natione Flander, profeſſione mercator egregius, quantum illorum temporum ferebat calamitas; quod vitæ genus eſt ſimul innocentiſſimum, utiliſſimum, & liberrimum ab omni ſervitute atque adulatione.

Avi Conjux fuit Maria Verhulſt, ambo unanimes, non ſolum legitima matrimonii, ſed ſanctæ religionis ſocietate juncti: ambo diræ perſecutionis ac ſævi belli tempeſtate varie jactati, donec Anno 1584. Harlemum concederent, antiquiſſimam & florentiſſimam Batavorum civitatem, tumque veræ religionis & ſanctæ libertatis aſylum tutiſſimum Chriſti Confeſſoribus ejuſque nomine exulibus à pio Magiſtratu apertum; ubi raro exemplo diu & concorditer viventes, diem ſuum obiverunt, poſtquam annos matrimonii 61 feliciter impleviſſent: Deo prolixe remunerante eorum pietatem, qui omnia pro eo deſeruerant, & longam vitam largiente iis qui vitam mortalem æternæ poſthabuerant, crucem Chriſti theſauris Ægypti cum Moſe præferentes, & manna deſerti delitiis patriæ potius ducentes: ſic nempe vera pietas ſuaves colligit fructus gratuitarum promiſſionum vitæ præſentis & futuræ.

Pater fuit Tobias Hoornbeek, Harlemi natus, Anno 1588 celeberrimo & toti Europæ memorando, imprimis Angliæ & Belgio, clade Hiſpanæ claſſis utrique Genti imminentis: Is mercaturam fecit patris exemplo, ſupra quem laudabili modeſtia

Digitized by Google

noluit adſurgere. Eſt certe quod nobis gratulemur, cum in laudabili parentum conditione adquieſcimus. *Patris Uxor* fuit Jacoba Baert, Veſaliæ nata, anno 1596. filia Ægidii Baert & Suſannæ Sicx à Chandelier. Adeoque ad defunctum exornandum concurrit felix inclytarum Gentium mixtura & juſtum temperamentum, ut rejectis earum vitiis virtutes omnium haberet velut hæreditarias. Nec certe una Gens ſufficiebat ad tantum Virum formandum, qui omnibus aliquando præfulgere debebat, velut Orbis lux & doctor Eccleſiæ univerſalis.

Flandriæ acceptam refert paternam originem; quæ ſicut Gallia optimum regnum, Mediolanum optimus ducatus, & Pariſii optima civitas, ita Flandria audiebat olim optimus Orbis comitatus, ob agri fertilitatem, cœli clementiam, pagorum multitudinem, urbium ſplendorem, Maris & fluviorum commoditatem, populi frequentiam, arcium munitiones, Gentis humanitatem, artium præſtantiam, mercaturæ gloriam, privatorum opes: ſed cui Hollandia à centum fere annis palmam ſine controverſia præripit, ſi non Flandria, ſaltem Flandris, in Hollandiam effuſis & Hollandis adjunctis, atque in unam velut gentem conflatis. Dedit certe Batavis illa Gens, & vicinæ, Brabanti ac Walones, Colonos agris, Cives urbibus, Artifices officinis, Mercatores foro, Nautas navibus, Senatores curiæ, Milites & Duces exercitibus, Profeſſores Academiis, Paſtores Eccleſiis, Judices tribunalibus, Nobiles aulæ, Hollandiam adeo replentes ut una magna civitas videatur univerſa Regio. Enimvero altius adſurgentibus decumanis horrendæ perſecutionis fluctibus, & Batavis ac Zelandis ipſa tempeſtate in portum libertatis ſubductis, Gens ſancta non civitatum portas duntaxat, ſed cordis meditullium afflictis atque debellatis fratribus benigne aperuerunt, & communia fere omnia præter imperium obtulerunt; cujus inſignis certe beneficii redhoſtimentum cito, ſed abunde, perſolverunt exules, cives facti; nedum intra pomæria admiſſi; opes, artes, mercaturam, eruditio-

nem

nem & pietatem ſecum adportantes, pleniſque effundentes manibus theſauros omnium bonorum. Utque arbor tranſplantata ſæpe fit melior & felicius ſuccreſcit: ita exteri eorumque liberi in Hollandia ſic floruerunt, ut mutationis eos non pœnituerit, nihilque minus deſideraverint Patria: Patriam extra Patriam in exilio voluntario reperientes cum parentes tum liberi.

Inter eos minimus non fuit Johannes Hoornbeek, natus Harlemi, urbe antiqua, Hollandiæ totius ſecunda, ſitu & opere munita, civium numero & virtute inclyta, Typographiæ artis inventione illuſtri, qua arte divinę ſcientię æmula integrum folium momento excuditur & omnes ejus literę ultima ſimul cum prima, eo fere modo quo Deus uno ſimplici actu omnia ſimul novit, ſed illuſtriore magni hujuſce Viri nativitate, qui omnes ſcientias & linguas, præſertim neceſſarias ad Theologiam non æri, non chartæ, ſed menti impreſſit. Fœlix Harlemum tanti Viri cunis, Monumentum quale Eraſmo ſoror tua Roterodamum poſuit illuſtri loco & ſumptu publico ei debes, aut potius tibi, quæ Doctorum etiamſi virorum ferax; clarorum tamen ſcriptis, imprimis Theologorum, ſterilis, hoc uno plus merito gloriaris quam viginti aliis. Ejus ſaltem liberos, vera, ejus monumenta vivaſque & ſpirantes ſummi viri imagines, etſi in re lauta, te ſedulo curaturum atque honeſte promoturum ex tua inſigni gratitudine atq; ſplendida magnificentia par eſt ſperare, ad tuam potius quam ejus famam, apud ſeros nepotes tuto perennandam: cum ipſe ſupra vanum mundi typhum elatus, glorioſe triumphet, Choros inter Angelicos ſublimis.

Tempus natale fuit annus 1617, Menſis November, Dies inter Saturni & Dominicum, minuta non ſupputo, velut ſcriptor vitæ Jacobi Andrææ. Periodus certe apud omnes gentes celebris, & innumeris characteribus inſignis, lętis nimirum ac triſtibus varie diſtincta. In Gallia graviſſimæ lites inter Reges & Principes exarſerunt, quę vix ſanguine Ancręi tandem reſtinctæ ſunt. In Germania variæ molitiones & perſecutiones contra puriorem Religionem

nem

nem. Apud Bohemos, Sileſios, Padebornenſes, Auſtriacos, belli atrociſſimi & diuturni infælix ſemen jecerunt. Auſtriaci & Veneti terra marique pugnarunt acerrime: ut & Sueci Polonique. Turcæ & Tartari Excurſionibus Coſacorum irritati in Poloniam irruperunt & vaſtationes acceptas cum fænore reddiderunt. Gravia incendia exarſerunt variis in locis, velut Iſenaci, Tangermundi & alibi paſſim. Schiſma Semipelagianorum & Vorſtii Hæreſis graviter afflixit Fæderatas Provincias, jam tum hoſti externo impertas, & de Hiſpanis triumphantes, omnibuſque invictas, niſi ſuis filiis degeneribus.

Ita nempe peſſimis temporibus ſolet Deus Eccleſiam erigere & pios ſolari, magnos viros excitando, ne Chriſti ſcapha fędo naufragio ſubmergatur. Sic Noachus floruit, tempore Impietatis & Diluvii univerſalis: Abrahamus, cum Chaldæorum, Sabæorum & Ægyptiorum Idolomania ſeu exoriebatur, ſeu adoleſcebat: Moſes, dura oppreſſis ſervitute Iſraelitis: Judices & Heroës fortiſſimi, accifis Iſraelitarum rebus ob Idololatriam: Elias & Eliſæus ſub teterrimo Regum Achabo: Præcipui Prophetæ, graſſante improbitate, ante & ſub initium captivitatis, atq; titubantibus Judæorum rebus poſt liberationem: Chriſtus & Apoſtoli, cum vigeret Superſtitio, regnarent Sectæ, triumpharet Furor Sadducæorum & morum depravatio: Zuinglius, Melanchton, Calvinus & innumeri Reformatores, corrupta atque adulterata Religione Chriſtiana, & in Ethniciſmum degenerante.

Eo prorſus modo eademque de cauſa, ut eventus optimus conſilii Dei interpres, probavit, egregium hunc virum Fæderatis Gentibus indulſit ſapiens Dei providentia, qui velut murus ferreus limites poneret errori ac impietati omnia pervadenti, inſtar horrendi Cataclyſmi, venenatis Acherontis aquis ſupra ſuam crepidinem effuſis.

Notabilis vero imprimis fuit hic temporis articulus, duobus Jubilæis, Altero quidem ob Reformationem per Germaniam & vici-

vicinas provincias ante centum præciſe annos feliciter inceptam aut tentatam, ſaltem in Saxonia: tum enim Lutherus indulgentiarum nundinationem publicis Theſibus audacter impugnavit, quanquam Helvetiorum Reformatio integro biennio præceſſerit, ſecundum prædictionem Sanctiſſimi Martyris Johannis Huſſi: Imò nulla revera facta fuerit, niſi quoad principes & cultum publicum; vera Religione à prima ejus promulgatione privatim conſervata in variis locis. Altero vero Jubilæo Pontificio à Paulo 5. indicto. Opus nimirum erat tanto viro ad opus Reformationis languidum ſeriò inſtaurandum ac promovendum, atque Pontificiam & Ethnicam Idololatriam debellandam, variaſque Sectas profligandas, velut Judæos, Wegelianos, & quos non?

Sed & Academia Groningana fundata eſt eodem anno, qui natalis fuit Viro ſummo, qui ipſe Bibliotheca viva, & Academia ſeu Univerſitas parva: quemadmodum enim infra dicemus omnis generis libros perlegit, omneſque artes & ſcientias delibavit, & neceſſarias Theologo ſummo concoxit atque in ſuccum & ſanguinem redegit, induſtria prorſus incomparabili.

Diem inter ſabbathi & dominicum natus eſt', quorum ille labori, hic pietati præſertim deſtinatus. Quam belle quam opportune: fuit enim laborioſiſſimus ſimul & piiſſimus, ac diei dominici propugnator acerrimus contra ejus Violatores, qui auſu ſacrilego diem auferunt Deo ſacrum, quem ſibi merito addixit ad illuſtre opus Creationis jugiter celebrandum, & officia pietatis exercenda, quæ ſine certo ac deſignato tempore vix ac ne vix præſtari poſſunt, ob hominum à cultu divino averſionem & ad propria opera converſionem atque propenſionem, qui cum multos dies & annos vanis nugis, utinam non peccato, impendunt, unum diem ſolemni Dei cultui impendere gravantur: voluptatibus illecti, ſæculo immerſi, ſpiritu vertiginis pleni, & à falſis Doctoribus ſeducti: Anabaptiſtas & Socinianos intelligo: nec enim infelices inter Reformatos controverſias innuo; quorum nullum

 exiſtimo,

exiſtimo, diem certum cultui divino impendendum eſſe negare.

Infans adhuc Scholas duas Belgicas frequentavit, & anno ætatis ſexto Latinam, ut ratione cum oratione uteretur, ſimulque diſceret loqui variis linguis, & ſapere ea ætate, qua alii ſolum nugantur, adeo præcox & diligens fuit in omnibus: mature nempe incipere debuit, qui mature debuit grave penſum abſolvere, & magnum opus conficere breviſſimo tempore, tam gloriæ ſatur quam alii avidi, celeber antequam alii docti vel noti. Sed non ſatis fuiſſet mature incipere, niſi eodem paſſu perrexiſſet in vaſto literarum ſtadio & ſtudio. Quapropter tantam adhibuit diligentiam ut non tam ambulare quam currere, nec tam currere quam volare eſt viſus; à carceribus ad metam Scholaſtici ſtudii perveniens anno 13. Unde ob ætatem teneriorem apud Rectorem Harlemenſem biennio integro ſupra tempus trivialibus ſtudiis requiſitum remanſit. Quod temporis ſpatium non trivit inutiliter, ſed in lectione bonorum Auctorum, ex qua dulciſſimum fructum tota vita decerpſit, velut ex fæcundo ſemine. Ita nempe ſibi comparavit ſcribendi facilitatem, ſtylique puritatem & elegantiam ſine fuco & pompa inani, qualis merito deſideratur in ſolido Theologo, cujus veram imaginem expreſſit: Enimvero alta debuit jacere fundamenta ſublimis ædificii ad tantam molem attollendi. Utinam multos haberet imitatores, nec imprudens juventus cruda & indigeſta ſtudia ex trivio in Academiam & ex Academia in pulpitum extruderet. Certè vitia primæ concoctionis difficulter corriguntur in ſecunda, & ſecundæ in tertia.

Sed tempus erat generoſum puerum ad altiora tandem promoveri, & pulverem Scholaſticum ab eo excuti, quo ſatis erat conſperſus. Venit itaque Lugdunum Batavorum, principem illam totius Europæ, ſaltem Reformati nominis, Academiam, tot magnorum Virorum matrem aut nutricem, bonæ mentis em-

Digitized by Google

porium & eruditionis arcem, ex qua magni ſcientiarum ignes clariſſime atque latiſſime quaqua verſum emicuere. Dies quartus Maji anni 1633. exoriens illud Sydus contemplatus eſt, quod aliquando in ejus orbe fulſurum erat, eumque locum illuſtraturum, à quo lumen tum mutuabatur. Non equidem ſine numine factum arbitror, quod ibi egerit Diſcipulum & Ultrajecti, ubi Doctorem poſtea agere debebat, ut loci naturam melius cognoſceret, & ad ejus ingenium ſe ſuaque ſtudia mature componeret, Magiſtratus nempe longe melius Rempublicam regit cujus prius fuit ſubditus, & Imperator felicius præeſt copiis, in quibus militiæ poſuit tyrocinium, atque gregarium egit militem. Nequaquam igitur prætereundum, meo videtur judicio, eum in duabus Academiis, & in nullis aliis; operam literis navaſſe, in quibus poſtea docuit, & totam ætatem impendit.

Lugduni tum erant magni viri, quibus literariæ militiæ dixit ſacramentum, *Claudius Salmaſius*, omnis eruditionis divinæ & humanæ, imprimis antiquæ, cornucopia & penu locuples, quo altius in literis nunquam ſurrexit mens humana & induſtria. *Daniel Heinſius*, Græcæ & Romanæ eruditionis ſummus Magiſter, Orator terſus & Poëta delicatus. *Conſtantinus l'Empereur ab Oppiik* linguarum Orientalium, nominatim Hebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, Rabbinicæ & Arabicæ peritiſſimus, in quibus nec præſens ætas parem, nec ſequentes forte habebunt ſuperiorem, ſed qui in tricis grammaticis non hærebat, ut alii rerum rudes, ſed cum ſummus pariter eſſet Theologus & Philoſophus atque in omni literatura verſatus, linguas referebat ad ſcientias, & verba ad res, mira ingenii & induſtriæ laude. Quopacto cæteros harum linguarum interpretes, in verborum cortice hærentes, tanto ſuperavit, quanto res præſtantiores ſunt verbis. *Jacobus Golius*, alterum linguarum orientalium miraculum, imprimis Arabicæ, Perſicæ & Chinenſis, Vir de Oriente & Occidente præclare meritus. *Franco Burgersdicius* in Philo-

 ſophia

ſophia Ariſtotelica ſummus, non Lugdunenſium ſolum, ſed omnium Reformatorum & Lutheranorum præceptor in Logica, quam in omnibus ferè Academii explicant Profeſſores nondum novaturientes. *Antonius Thyſius*, Theologus ad unguem, in omnibus Theologiæ partibus ſubactus, imprimis S. Scripturæ, Antiquitatis Eccleſiaſticæ, & Literaturæ Orientalis apprime gnarus. *Antonius Walæus*, in Theologia Didactica & Elenchtica ſummus, verus Hæreticorum, præſertim Neopelagianorum malleus. Multique alii præſtantes Viri tum pariter fuerunt in Academia Batava, ſed hos memoramus per quos maxime profecit *Hoornbeekius*. Beata erant illa clariſſimæ Academiæ tempora, & velut ſæculum ejus aureum: cum à Neopelagianis repurgata, nec ineptis opinionibus, ſolius novitatis, potius quam veritatis gratia, ſe commendantibus erat deformata ejus majeſtas & deflorata caſtitas: tum lacertos fortiter movebat, & reddita velut juventute refloreſcebat. Sub his igitur Heröibus Se ad omnem eruditionem, virtutem & pietatem formavit ductile ingenium noſtri Mercurii: digni quidem tanto diſcipulo erant Magiſtri; ſed pariter dignus tantis præceptoribus erat Diſcipulus. Condiſcipuli & glorioſi laboris ſocii minus ſunt mihi noti, etſi proculdubio viri egregii tantiſque præceptoribus & condiſcipulo ad amuſſim reſpondentes; ſed ab hoc Sóle forte obſcurati, quia eorum offecit luminibus.

Verum-enimvero, quamvis abunde ſufficeret Academia Batava ad ejus inſtitutionem, non debuit ſola frui tanto bono. Ultrajectina etiam Academia nuper fundata, Leydenſis tum æmula, & in ipſa infantia jam adulta, ac virile robur conſecuta, anno 1635. eum allexit, motum fama Cl. Senis *Gisberti Voetii* tum maxime florentis, in quo certabat eruditio omnigena cum ardente pietate, cujus doctrinæ adſurgunt, & multam lectionem ingenuè fatentur, etiam qui zelum improbant ut intempeſtivum, & ſupra præſentis ætatis captum ac mores.

Tra-

Digitized by Google

Trajectum vero etſi venerit ob egregios viros ibi docentes, non tamen ideo Leydam deſeruit; ſufficiebat ipſi ad omnem eruditionem inſtillandam optima mater Leyda; verum atroci lue tum graſſante expulſus eſt potius quam diſceſſit: divina Providentia, omnibus modis admirabili, iter ejus dirigente ad Academiam, cui Profeſſor deſtinabatur aliquando. Quapropter peſte remittente, & Leyda purgata rediit anno 1636. Septembris 20, ubi remanſit ad menſem Aprilem anni 1637, quo rurſus extractus morte chariſſimi patris Harlemum repetivit, ut juſta perſolveret patri de ſe egregie merito, atque ſenectam & viduitatem optimæ matris ſolaretur. Illo nempe tempore amiſit parentem, ſi non opportuno, cum nullum jacturæ tempus ſit opportunum, ſaltem non adeo importuno, cum ei minus eſſet neceſſarius: Rectore enim non amplius egebat, qui jam ipſe aptus erat ad Eccleſiam regendam. Harlemi autem per annum integrum habitavit, ut matri adeſſet, & vices patris ſuppleret, maritum agens matris, & parentem fratris ac ſororum afflictarum. Ubi profecto eluxit ejus pietas in matrem & charitas in propinquos, deſerentis Academiam, præceptores, condiſcipulos & chariſſima quæque vitæ & ſtudiorum pignora, in ſuorum gratiam atque ſolatium. Studioſos tamen deſerens, ſtudia ideo non deſeruit, ſed acriter proſecutus eſt Harlemi; Academiam in ſuo inveniens muſæo, & Doctores mutos in ſua bibliotheca.

Sed an tota vita privatus in otio, etſi negotioſo, conſenuiſſet? Abſit, talentum imo talenta in terra defodiſſet cum ſervo inutili. Quid igitur ipſi faciendum erat? An peregrinandum per vicinas regiones & Academias? Non fuiſſet inconſultum ad exterorum mores addiſcendos & bonos imbibendos, atque prudentiam & experientiam adquirendam. Sed Lugduni repererat, quod alibi magno & fortaſſis fruſtraneo labore quæſiviſſet, illudque in ſe jam habebat. Ingenii promptitudo, & judicii maturitas ipſi

conceſſerat, quod vix longinquæ peregrinationes aliis. Præterea vitæ brevitas & operis magnitudo eum urgebat, ut feſtinaret præ aliis, quibus longior vita aut minus penſum obtigerat.

Anno igitur 1638. Aprilis 24. ſiſtit ſe examini, ut vocant præparatorio, velut ad ſarciendam gravem jacturam eo anno Eccleſiæ reformatæ illatam, truculenta cæde Sanctiſſimi Viri Cyrilli, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Jeſuitarum peſſimis artibus, ſucceſſoris perfidia, & Turcarum crudelitate, laqueo ſuffocati, eodem anno, & temporis articulo. Certe Cyrillum inter & Hoornbeekium magna fuit ingenii, morum, donorum, geſtorum & fortunæ ſimilitudo: promptus fuit uterque ingenio, ſolidus judicio, firmus memoria, doctus in linguis & ſcientiis, pius, prudens, zelo accenſus, Reformationis ſtudioſus, primariæ inter literatos dignitatis, ſummæ apud ſuos, majoris apud exteros, exiſtimationis, gravis, conſtans, ſincerus, candidus, laborioſus, proceræ ſtaturæ, ſpeciei ad majeſtatem compoſitæ. Longe tamen major Theologus fuit Hoornbekius, & lectionis diffuſioris, cum viveret inter gentes politiores; plura etiam, utiliora & doctiora, abſque comparatione ſcripſit.

Claſſem Harlemenſem autem elegit, cui ſe examinandum ſiſteret, ut debitum patriæ honorem deferret, & novam, ſed meliorem, ab ea acciperet nativitatem, ſacro addictus ordini. Proponens factus amplam Eccleſiam in Hollandia non ambit, quam tamen merebatur. Sed crucem Chriſti cogitat, Ethnicorum longe remotorum converſionem meditatur, aut Eccleſiarum in Flandria, ex qua erat oriundus, inſtaurationem, quæ afflictæ, ſub cruce & perſecutione gementes, duriſſimam ſerviebant ſervitutem ſpiritualem & corpoream, bellis Gallorum vaſtatæ, Hiſpanorum inſultui objectæ, verbo & ſacramentis ſupra dimidium ſæculum deſtitutæ. O admirabilis in juvene meditatio! qui cum inter matris aut uxoris amplexus & amicorum

rum

Digitized by Google

rum gratulationes poſſet lauta frui fortuna in patria, quemadmodum eventus poſtea docuit, matris, fratrum, ſororum & amicorum charitati præfert Chriſti crucem, longinquas peregrinationes, paupertatem, opprobria, pericula, quibus ſe libenter vult objicere pro Chriſto in ipſa fere adoleſcentia. Scilicet ſanguis Confeſſorum Chriſti fluebat per ejus venas, pietatem eorum habebat velut hæreditariam, genuina erat proles Exulum pro Chriſto, patriæ redditurus erat vitam quam ab ea in avis acceperat. Seu potius Deo erat plenus, Deique ſpiritus in eo velut templo habitabat, Chriſtum nudum, pauperem, exulem, afflictum in membris ſequuturus erat per mare & terras, ad Garamantas & Indos, ut aliquando tandem glorioſum in cœlo inveniret. Utinam multis eadem mens, idem eſſet animus, & Chriſtum quærerent, non illuſtrem duntaxat in Hollandia, ſed afflictum in ditionibus Auſtriacis, & ignotum in utraque India. Multi quidem adorant Chriſtum ſuper Monte quem fugiunt in Cruce: tabernaculum libenter ædificant Thaboræ, ſed vitant Golgotham, amplas domos incolunt & primas occupant cathedras in patria, ſed horrent peregrinationes, vincula, maria, naves, Africam, Americam, Aſiam, niſi de vocatione deſperent in Belgio. Hoc non eſt Chriſtum quærere & prædicare, ſed ſeipſum. Et tamen optandum eſſet cæteros omnes, qui deſides in foro expectant, ad remotam vineam ejuſdem patris familias ſe conferrent. Deo certe plus debemus & fratribus quam reddimus. Metuo admodum ne Jeſuitæ & Monachi nos condemnent in ultimo die, qui inſtar Phariſæorum mare & terram circumeunt, ut Proſelytas Papæ potius quam Chriſto adquirant. Decet nos, decet nos, majorem curam gerere gloriæ Dei, regni Chriſti & Gentium converſionis, aperto nobis Oriente & Occidente atque libero mari quemadmodum in Opere poſtremo fuſe demonſtrat ipſe. Nec diu fruſtratus eſt Deus vota fidelis ſui famuli, ſed eum exaudivit, ad votum & ſupra votum, pro-

poſita

poſita vicina cruce, & oblata vocatione ad Eccleſiam Colonienſem, amplam & illuſtrem certè portionem vineæ Chriſti. Nolebat enim Deus eum longius excurrere, cum viribus eſſet infirmioribus ad tantos labores ferendos, & magis utilis futurus in Belgio ob ſummam eruditionem, quæ ſub cruce non adeo requiritur. Imo vero crucem poſtea invenit in Belgio inter infinitos Libertinos, Infideles, Hæreticos & Schiſmaticos, quos tota vita fortiter & conſtanter impugnavit ad extremum Spiritum; Coloniam igitur Agrippinam vocatus, Amſtelodami peremptorie examinatus & confirmatus eſt in ſacro miniſterio anno 1639. Martii die primo. Ita per annum non fuit Proponens, cum nonnulli per multos expectent, & aliqui fruſtra, quia multi ſunt operarii, & exigua meſſis, quæ tamen ſi recte adminiſtraretur, copioſa eſſet & operarii pauci præ opere quod facile reperiretur. Vocatus, Deo & Eccleſiæ ſtatim obtemperat, & cum Paulo ad iter ſe expedit, Coloniam adit Aprilis 2. relicta in Hollandia matre, fratribus, ſororibus, amicis, adeoque potiore ſui parte. Coloniæ vero remanſit ad autumnum anni 1643, ibique omnia officia docti, prudentis & pii Paſtoris diligenter implevit, magno Eccleſiæ afflictæ gaudio, quæ talem habere operarium geſtiebat. Nec ſolum in Chriſtum credidit, aut Chriſtum annuntiavit, ſed etiam multa pro Chriſto paſſus eſt pericula & perſecutiones, ſæpe detectus, ſæpe quæſitus ad vincula, ſed ad omnia intrepidus, nunquam tamen captus, ſingulari Dei providentia & cura ſervum ſuum protegentis atque occultantis ſub alis ſuis: reſervabatur enim ad majora, illuſtriora & prolixiora certamina; Hieroſolymis etiam pro Chriſti nomine pati debebat. Dei itaque gratia evaſit incolumis; Deo vitam ejus curante, qui Dei gloriam curabat. Sed & ejus prudentia ſuas etiam partes habuit, prævertendo aut declinando, ubi licebat per conſcientiam & officium, pericula quæ alias negligebat. Martyrio igitur non defuit, ſed Martyrium ei.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter Coloniæ diutius latere cum non poſſet: nec ipſi ſoli, quod fortiter contemnebat, ſed Eccleſiæ etiam, quod maxime timebat, grave immineret periculum, quia nimis innotuerat doctrina, zelo & diligentia, lampada tradidit alii, & *Harlemum* rediit ad ſuos, poſtquam Colonienſi Eccleſiæ fideliter inſerviiſſet quatuor annis cum dimidio; tanto, ut nonnulli volunt tempore, quanto Chriſtus ſuo miniſterio impendit, ſi liceat magnis componere parva. Et quidni? Cum imago exemplar, diſcipulus magiſtrum, & fideles ſervatorem referre debeant, ſiquidem Chriſtiani nuncupentur à Chriſti diſciplina & exemplo.

Quandoquidem vero debilior ei vox eſſet, quam ſub cruce demiſſius concionando minus exercuerat: contra vero locupletem eruditionis gazam ſibi comparaſſet, cogitavit de vita potius Academica quam Eccleſiaſtica agenda, ſeu potius de utraque jungenda, exemplo primorum Reformatorum celeberrimorum, velut *Zuinglii*, *Lutheri*, *Melanchtonis*, *Calvini*, *Bezæ*, *Martyris*, *Zanchii*, *Sadeëlis*, cæterorumque fere omnium. Nec ſine Dei nutu, cum id conſilium adeo feliciter ſucceſſerit, ut divina velut virgula actus merito videatur. Anno nempe 1643. Decembris 21. *Trajecti* ad Rhenum renuntiatus eſt Doctor Theologiæ, magna eruditionis laude & eruditorum applauſu, qui tum plurimi erant *Trajecti*, utglorioſior ipſi obtingeret Doctoratus; à laudatis viris enim laudari, viro laudato ſumma laus eſt & gloria.

Anno ſequenti 1644. Februarii 19. Vocatus eſt ad Eccleſiam *Trajectinam* ad *Moſam*; Martij 3. ad pagum, vulgo dictum *Graft*, in Hollandia Boreali; Maij 15. ad Profeſſionem Theologicam in Illuſtri Schola *Harderwicena*. Sed illis locis non debebantur tanti viri labores: deſtinabatur ei ſtatio illuſtrior & theatrum amplius, integro nempe indigebat jugero ad ſe movendum. An ampliſſimi Magiſtratus Illuſtris Reipublicæ *Trajectinæ* ad *Rhenum*, Viri prudentiſſimi & pientiſſimi Eccleſiæ nutricii, Academiæ Curatores digniſſimi, literarũ cultores

Digitized by Google

& literatorum patroni veri, tantum theſaurum iis collatione Doctoratus Theologici, velut ſolemni auctoramento quodammodo addictum, ſibi non vindicaſſent, vidua præſertim tum cathedra Theologica, morte Cl. *Scotani*? Ubinam doctiorem aut aptiorem reperiſſent? Eum igitur Maji 3. vocant ad Profeſſionem Theologicam, quam acceptavit, ut libentiſſime, ita promptiſſime, adeoque 4 Julii ſeſe *Trajectum* contulit: ut nempe *Trajectini* doctiorem Profeſſorem; ita nec ipſe meliorem Profeſſionem tum temporis nanciſci poterat. Quemadmodum enim ſupra obſervavimus, fulgebat illuſtris illa Academia omnium Scientiarum & Linguarum luce, Ampliſſimi & Optimi Magiſtratus liberalitate curaque incomparabili, atque Clariſſimorum Profeſſorum eruditione & labore. Cantare tum poterat *Hoornbeekius* cum Davide, *Jehova portio prædii mei, & poculi mei, tu ſuſtentas ſortem meam. Funiculi acciderunt mihi in locis amœniſſimis, etiam poſſeſſio eſt elegantiſſima quæ obtigit mihi*: Deo gratuito remunerante labores & pericula quibus pro Chriſti nomine defunctus erat. Ita plurimi Paſtores ſub cruce diu verſati ad præcipuas Cathedras Academicas Belgii deinceps vocati ſunt; velut *Junii*, *Trelcatii* duo, *Capelli*, *Feugueræi*, *Danæi*, multique alii, qui omnes in ſola Academia Leydenſi olim docuerunt, ne de aliis loquar Academiis, aut de Superſtitibus Leydæ, quæ hac Gloria nondum privata eſt, ſed labore Confeſſorum adhuc fruitur. Quibus ex parvis & duris initiis breviſſimo tempore adſurrexit ſancta Civitas ad eam Majeſtatem quam omnes mirantur, & multi invident: populis afflictis eo confluentibus, ob fideles Paſtores quibus ſub cruce gaviſi ſunt, Deoque affatim ſanctis Confeſſoribus benedicente, ac ſe mercedem eorum ipſo facto demonſtrante, non ſolum in vita futura, ſed etiam in præſenti, cujus divinis promiſſionibus exultant pii, & triumphat pietas. Nobis vero

liceat

Digitized by Google

liceat hic pedem ſiſtere, defuncti fortunam ſingularem conſideraturis, quam virtutis habuit perpetuam comitem & velut ſtipendiariam. Quatuor nempe Vocationes, duæ ad Eccleſiam, duæ ad Academiam, ſpatio trium menſium oblatæ ſunt juveni viginti ſeptem annorum, bimeſtri aut trimeſtri Doctori. Cuinam alii id unquam contigerit, non memini: ſaltem hoc loco aut tempore. Quid? magna verborum pompa, velut quidpiam rarum & ſingulare, prædicat Auctor vitæ Bacmeiſteri, quatuor Vocationes intra quatuor annorum ſpatium Bacmeiſtero oblatas eſſe; quanto vero Illuſtrior noſter, cui totidem intra anni vertentis curriculum oblatæ ſunt.

Defuncto vero nondum fuit honorum finis, ſed initium duntaxat, Sequenti enim anno 1645. Julii 27. Eccleſiæ *Trajectinæ* Presbyter, etſi juvenis, electus eſt: juvenis quippe erat ætate, ſed ſenex moribus, prudentia & gravitate, aliiſque dotibus ad domum Dei regendam ab Apoſtolo requiſitis. Hoc officio adeo ſancte & laudabiliter defunctus eſt, ut vix elapſo trimeſtri, Paſtor ordinarius, etſi Profeſſor, creatus fuerit, Octobris 25. Ita profecto divinum Oraculum in eo impletum eſt, *qui bene inſervit, bonum gradum ſibi adquirit.* Enimvero aptus erat *Hoornbeekius* omnibus muneribus gerendis, cum Academicis tum Eccleſiaſticis: tanta igitur tamque clara lux amplius latere non poterat, nec debebat ſub modio collocari, verum ut Academiæ ita pariter Eccleſiæ prælucere. In utraque autem Statione per decennium fere perſeveravit, tanta eruditionis, eloquentiæ, pietatis & diligentiæ fama, omnibuſque ordinibus adeo gratus, ut nullus in majori fuerit exiſtimatione, non Ultrajecti ſolum, ſed in toto Belgio. Nempe aſſiduus erat in docendo, precando, concionando, legendo, diſputando, regendo, præſidendo, catechiſationibus habendis, membris Eccleſiæ, imprimis ægris, viſitandis. Quibus artibus optimis certe, Magiſtratus *Traje-*

ctini gratiam adeo meruit & inivit, ut Magiſtratus optimus ſuo proprio motu, non petentem, nec forte cogitantem, liberaverit dimidia parte oneris Paſtoralis, ſervato tamen integro honore & honorario. Quoniam prudentiſſimi & æquiſſimi Patres, ejus generoſitatem & diligentiam noverant eſſe ſupra vires laboribus duplicis muneris aliiſque multiplicibus negotiis attritas in ipſo ætatis flore; prælucendo enim conſumebatur, inſtar facis ardentis, quæ quo clarior eo minus durat, ſed citius conſumitur, flamma oleum ſevumve depaſcente.

Collegarum Virorum ſummorum, amorem & benevolentiam omnibus legitimis modis, ut debet vir bonus, ambivit & obtinuit. Vixit nimirum cum iis ſumma concordia, ſine litibus, ſine ſimultate, ſine invidia. Cum Theologis imprimis unum cor & una velut fuit anima in triplici corpore, *Voetii* & *Dematii* reverebatur ſenectutem, nec ii contemnebant ejus juventutem. Nunquam ſententiarum inter eos fuit divortium, nedum affectuum; ſed ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, Scientiæ incrementum capiebant ubertim, & liberaliter communicabant. Nulla inter eos unquam fuit concertatio, niſi quis optime mereretur de Eccleſia & Academia; de hoc enim contendebant acriter, pulcro genere pugnæ. Nec mirum, Deus enim erat eorum Immanuel; Chriſtus caput; Spiritus anima & vinculum. Vidiſſes imaginem Eccleſiæ Apoſtolicæ, quæ unum erat cor & una anima. Si aliqua erat inter eos diverſitas tota erat de modo & methodo, nulla de re. Collegæ ut pote Seniores plus ſuæ ætati & gravitati debere concedi judicantes, majori conatu Reformationem & vitæ Sanctimoniam urgebant: ipſe ob juventutem conabatur modeſtiam ſuam maxime commendare, dum Collegæ zelum prodebant. Illi ſpectabant quid Deus imperet: hic quid homines poſſint. Illi laudabant quod debet fieri: hic præſertim curabat quod decet maxime inculcari. Illi

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolici ſæculi perfectionem: hic præſentis infirmitatem reſpiciebat. Illi Spiritu Eliæ replebantur: hic lenitate Moſis. Hic vero & illi Spiritu Chriſti, veritatis & ſanctitatis ad juſtum temperamentum corporis Eccleſiæ.

Cives proſequebatur omnibus humanitatis & civilitatis officiis, à quibus redamabatur & colebatur, etiam ab ipſis Hæreticis, inſignem ejus virtutem reverentibus, etſi non probarent doctrinam, dolentibus eum partium non eſſe ſuarum, nihilque reprehendentibus, niſi quod eſſet noſtrarum. Membra Eccleſiæ frequenter inviſebat, pios animabat, ignaros docebat, malos corrigebat, hæreticos confutabat, afflictos ſolabatur, ægros recreabat, infirmos roborabat, dejectos erigebat, pauperibus ſubveniebat, omnes denique juvabat pro eorum ſtatu & conditione, omnibus aderat in omnibus, omnibus ſe omnia faciebat, gravibus gravem, hilaribus hilarem, afflictis condolentem, doctis doctum & Doctorem, plebi Paſtorem, errantibus ducem, ut in viam reduceret veritatis.

Studioſos vero Theologiæ velut filios omni cura complectebatur, laboreſque ſuos præcipuos iis impendebat; non lectiones ſolum in eorum gratiam habebat, ſed frequentia Collegia omnis generis, atque Diſputationes ordinarias & extraordinarias, ex quibus reſultarunt tot vaſta & egregia volumina ad inſtitutionem juventutis, imo ad uſum omnium, ſed imprimis ad converſionem Hæreticorum, utinam non ad invidiam ignarorum, & calumniam malignorum, carpentium quod non poterant facere, nedum ſatis intelligere & diſcere.

Ita per multos annos occupatus, totus aliorum, vix ſuus, publicis rebus intentus, privatas negligebat, ut ne quidem ipſi vacaret de Matrimonio cogitare, niſi ſero, cum neceſſitas eum compulit; auxilio enim indigebat, qui omnibus erat auxilio. Quæſivit igitur ſociam ad opem accipiendam, quam ferebat aliis: Nec difficulter invenit. Quæ enim talis viri So-

Digitized by Google

cietatem repudiaſſet: Imo quæ ſi ex modeſtia non ambiviſſet, ex prudentia ſaltem non deſideraſſet; cum eſſet dulciſſimæ converſationis, grati eloquii, & præſtantiſſimæ formæ. Amſterodamum autem, Hollandiæ ocellus atque univerſi orbis compendium & emporium, omnibus ex ſe licet deſtitutum, omnibus tamen omnia abunde ſubminiſtrans, ipſi etiam uxorem paravit.

Alebat nempe illuſtris Civitas egregiam virginem omnibus animi bonis, prudentia, pietate, manſuetudinè, modeſtia, diligentia, aliiſque artibus & virtutibus œconomicis exornatam; cui *Annæ Bernardæ* nomen, filiæ *Iſaaci Bernardi*, mercatoris celeberrimi, viri eruditiſſimi, prudentiſſimi & pientiſſimi, Eccleſiæ Gallo-Belgicæ multos annos ſenioris, filii *Jacobi Bernardi* itidem mercatoris & ſenioris Eccleſiæ, atque *Jacobæ l'Empereur* ex nobiliſſima *l'Empereuriorum* familia oriundæ, & amitæ Viri proſapia nobilis, ſed doctrina nobilioris, *Conſtantini l'Empereur*, S. Theol. Doct. & Profeſſoris apud Harderwicenos & Leydenſes, nec non fratris ejus *Johannis* Eccleſiaſtæ Hagienſis digniſſimi.

Hac occaſione liceat mihi obſervare, 8. aut 10. Profeſſores paucis annis apud Leydenſes fuiſſe, omnes affinitate propinqua inter ſe junctos, quanquam variarum ac remotarum Gentium, quod rarum, præſertim in exteris; *Bollios*, *Thyſios*, *l'Empereurios*, *Vorſtios*, *Hoornbeekios* & *Stuartos* intelligo, ut noſter ſtudiis, vocatione & affinitate totus Profeſſor videretur. Sed nec ſolum decus Profeſſoriæ affinitatis ipſi contigit per uxorem; verum etiam aliis viris claris innexus eſt, velut *Jodoco Hondio* celeberrimò Geographò & Chalcographo, avo maternò uxoris defuncti, & paternò *Henrici Hondii*, Capitanei prætoriæ navis *Junioris Trompii*, fulminis illius belli & Tritonis Belgici, in qua fortiter pugnans, & globulo trajectus, glorioſam mortem pro Patria obiit. Egregius certe vir eſſe debuit qui ejuſmodi navis

præ-

Digitized by Google

præfectura donatus eſt, nec ignavus fuit qui auſus acceptare officium, cujus certiſſimum præmium vix aliud eſſe poterat quam mors violenta: Ita igitur hæc pulcherrima familia pacis & belli tempore, terra & mari, vita & morte, quinetiam poſt mortem ſcriptis & exemplis, tota fuit utilis Patriæ & Eccleſiæ.

Sed an tantus Vir uni ſolum Eccleſiæ & Academiæ inſerviiſſet ſua præſentia & voce, qui conſiliis & calamo de omnibus bene merebatur? Tanta tamque ſplendida lux clarius fulgere non poterat quam in Cælo Leydenſi, nec minus præmium ejus debebatur meritis. Illuſtres igitur Academiæ Batavæ Proceres, commendatum ab omnibus bonis & ab ipſo Cl. *Triglandio* moribundo, ſuaque virtute commendatiorem, ad Profeſſionem Theologicam, maturo conſilio & ſeria deliberatione, vocarunt, anni 1653. 30. Auguſti, ideo auguſtioris.

Verum enim vero, cum ſola Academia non videretur ampla ſatis palæſtra in qua iter Gloriæ immortalis decurreret Athleta tantus; ei munus Paſtoris adjunctum eſt in Eccleſia Belgica ad ſublevandam imminentem ſenectutem Cl. *Heydani*, qui ſolus integras vices Paſtoris & Profeſſoris non ſine incommodo, affecta jam ætate, magna tamen alacritate ſuſtinebat, adeo ut vegetam adhuc venerandi ſenis valetudinem huic forte debeamus vocationi. Vigeſimo igitur quarto die Maji anni ſequentis confirmatus eſt in ſacro munere, ipſo Pentecoſtes die, quo Apoſtoli ſolemniter declarati ſunt Paſtores Eccleſiæ univerſalis, effuſis in eos Spiritus Sancti donis, cujus etiam ὁ μακαρίτης noſter amplam accepit menſuram, temporibus difficillimis prorſus neceſſariam. Nono vero Junii Inauguralem Orationem habuit in Academia, tanto applauſu juventutis Academicæ, quanto plebis Eccleſiaſticæ in templo dixerat. Atque in hac egregia Vocatione, ſumma alacritate, incredibili diligentia, laboribus Herculeis, bona fide, ſincera pietate, zelo divino, velut alter Elias, mira prudentia, vita inculpata, inter infinitos Liber-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

bertinorum inſultus, conſtanter perſeveravit ad extremum vitæ ſplendide & glorioſe actæ, cui nihil defuit præter ſpatium longius.

At tanto viro præſens ſæculum non erat dignum: Corpus nactus erat ſatis quidem robuſtum, ſed id nimiis laboribus fregerat, paucis annis enim multorum annorum, imo ſæculorum, opus perfecerat, cui maxime longævorum vita vix ſufficeret. Curam Eccleſiæ ſuo jure poterat in Collegas derivare, quia primario Paſtori ab ea immuni adjunctus, cum eo labores, honores præmia & privilegia omnia ex decreto ſapientiſſimi Magiſtratus æqualiter diſtribuebat. Sed ab Eccleſiæ cura, membrorumque & ægrorum viſitatione diſpenſari noluit, contra vero, cum dimidias tantum Paſtoris vices demandatas haberet, integras voluit implere, zelo & diligentia ſtupenda in homine alias occupatiſſimo, imo non tam onerato quam oppreſſo & tantum non fatiſcente ſub multiplici onere, cui plures ſimul juncti vix eſſent pares. Concionabatur in Templo, legebat in Academia, præſidebat in Conſiſtorio, Catechiſationes inſtituebat in Choro, Collegia habebat in domo, ſcribebat in muſæo, ſæpe in lecto, membra Eccleſiæ viſitabat in ædibus, ægros etiam & peſtiferos, curam ad omnes & ad omnia extendebat. Quomodo vero corpus morbis & laboribus fractum, ab infracto licet animo ſuſtentatum diutius reſtitiſſet?

Podagra & Calculus Literatorum carnifex ob vitam ſedentariam multis annis eum afflixerat, quid mirum igitur duobus eum hoſtibus adeo atrocibus ſuccubuiſſe, quorum unus tot ſolet edere ſtrages, ut nullus plures. Eventum certe longe ante præſenſit vir ſagax; unde ſecundam partem Theologiæ practicæ contraxit, quod & mihi ſemeſtri ante obitum cum eo prope templum majus deambulanti ſignificavit magna animi conſtantia, firmitate & alacritate, vultu ad amœnitatem & gaudium compoſito, velut de die nuptiali & re maxime exoptan-

optanda colloquens. Præerat ejus valetudini vir ſummus, *Franciſcus Sylvius*, Medicorum Lugdunenſium facile princeps, magni ingenii, judicii & experientiæ, veræ antiquitatis & novitatis amans, non ob antiquitatem aut novitatem, ſed veritatem; quo pacto antiquam & novam Medicinam felici hermathena ſociavit: antiquam non rejiciens; ſed novâ perficiens, illius cultor, hujus cultor & auctor præcipuus, raris experimentis Anatomicis, Chimicis & Practicis, enimvero Tranſmutationum pyrotechnicarum cauſas & modum jugiter & accurate ſcrutans, analogam eorum eſſe rationem in corpore humano colligit, & autopſia confirmat, atque ad praxim applicat vir ſapientiſſimus, pravos humores non tam purgando, ne bonos cum pravis expellat, quam corrigendo. Quibus artibus amici ſui afflictam valetudinem & collapſas vires, aliquot annis Dei gratia ſuſtentavit; & diutius feciſſet, niſi vis major obſtitiſſet, cui reſiſtere eſt impoſſibile, & velle furioſum.

Imminebat nempe ultima periodus & hora decretoria, qua Athleta noſter decertato bono certamine coronam Juſtitiæ reportaturus erat à juſto Judice & ſupremo Domino. Lucta ei non tam erat cum morbo ſæviente quam cum morte imminente, vires non tam proſtratæ quam amiſſæ erant, corpus cacochimum, & ſaburra pravorum humorum & inexhauſta, natura deficiebat: antiqui ergo hoſtes, Calculus & Podagra ſupervenientes non tam cum eo pugnarunt quam triumpharunt de ejus exuviis, quod primo morbi die mœſtus animadverti & amicis renuntiavi quindecim diebus ante obitum, adeo ſubito mutatus erat. Manſit tamen ad extremum in victo corpore animus invictus & immotus, velut æternitatis candidatus, vitæ & gloriæ ſatur, Deo plenus, ſupra vanum mundi typhum collocatus, finem hujus vitæ contemplans velut initium futuræ, obitum velut abitum ad Deum, morbum velut ſcalam, & mor-

Digitized by Google

tem velut portam cœli. Mors quippe inopinum non deprehendebat; cujus tota vita fuerat præparatio ad mortem, quam quotidie præ oculis habebat atque expectabat, velut ærumnarum terminum & laborum. Quapropter uxori & liberis mature valedixit, illi gratias egit pro officiis exhibitis, certe maximis, uxor enim fuit amore, filia cultu, mater cura erga ægrum, die noctequc ipſi miniſtrans: his vero benedixit & conſilium dedit, habita ratione eorum genii, ingenii & temporis, atque rebus domeſticis pie & prudenter compoſitis, terreſtribus cogitationibus animum abdixit, & cæleſtibus totum addixit, ſacris meditationibus & precibus vacando, in quibus præſens Dei auxilium ſenſit; tribus enim ultimis diebus liber fuit ab omni dolore, ut nempe exercitiis pietatis liberius incumberet, atque ita pie & placide vitam mortalem cum æterna commutavit, & ad vitæ auctorem migravit.

Pater mi, Pater mi, currus Iſraëlis & equites ejus. Itane nos deſeruiſti, uxorem, liberos, conſanguineos, amicos, collegas, Eccleſiam, Academiam, Urbem, Patriam? quam felix tibi contigit exceſſus, tam funeſtus nobis, uxori viduæ, liberis orphanis, amicis deſtitutis, Eccleſiæ orbæ Paſtore, Academiæ doctore, Urbi cive. Pii certe ſunt quovis exercitu potentiores & quavis arce firmiores ad Reip. præſidium, ſi decem fuiſſent Sodomæ, amœna Pentapolitanorum vallis igne cæleſti non arſiſſet. Quin ob pios mundus conſervatur, quanquam impii id non intelligant, ſed rideant Servatores ſuos, ut Judæi olim mundi Servatorem. *Corona cecidit ex capite, væ nobis quia peccavimus.* Vitia enim loci & ſæculi non merebantur tantum virum diutius ſupereſſe inter vivos. Occidimus, occidimus juſtum, quo mundus non erat dignus. Ætas enim virilis, temperamentum naturale, diæta accurata & fortis animus longiorem ei nobiſque vitæ uſuram polliceri videbantur.

Ita vixit, ita mortuus eſt *Johannes Hoornbeek*, 48. annos 10. men-

menſes natus. Qua ætate pater ipſius & frater primogenitus obierunt. An fato, temperamento, vel alicui cauſæ occultæ adſcribendum, curioſis diſceptandum relinquo; ſapienti Dei providentiæ adquieſcens, qui ab æterno vitæ noſtræ ſpatia ſapienter præſcripſit. Eadem circiter ætate magni pariter viri perierunt, *Georgius Princeps Anhaltinus*, *Urſinus*, *Whitakerus*, *Spanhemius*, *Hottingerus*, *Mæſtertius*. Sed & alii alia, cum minore tum majore, omni nempe ætate homines moriuntur, omnes hominum anni ſunt climacterici, quia ſunt mortales à nativitate, prolata in eos mortis Sententia à mundi incunabulis: ſenes quidem debent mori, ſed juvenes etiam debent mori. Quin longe plures moriuntur in infantia quam in pueritia, plures in pueritia quam in juventute, plures denique in juventute, quam in ſenectute: non ſolum quia plures ſunt infantes quam pueri, pueri quam juvenes, & juvenes quam ſenes; ſed etiam quia pluribus caſibus obnoxia illa ætas quam hæc, ut infelix nobis *Hoornbeekii* obitus, ſummo noſtro dolore confirmat certius quam vellemus.

Vir fuit profecto ſummus, & inter clariſſimos ſuo jure reponendus, cum clariſſimus fuerit ſua doctrina, virtute & fama, quæ immortalis futura eſt, & ſuavis odoris apud poſteros: adeoque non duntaxat inter magnos ſed inter maximos, ſi non primus cenſendus, quod abſque temeritate & invidia facile non poteſt fieri, ſaltem nemini ſecundus, ſalva modeſtia & humanitate habendus merito; ſive dona naturalia, ſive acquiſita aut infuſa ſpectemus: natura enim fuit excellens, induſtria magna, & pietas non vulgaris.

Corpus habuit magnum, ſecundum omnes dimenſiones recte proportionatum, *Staturam* egregiam & erectam, *Vultum* ad gravitatem & majeſtatem compoſitum, *Faciem* pulchram & egregie coloratam, *Temperamentum* naturale juſtum; *Geſtus* comptos, *Vocem* ſonoram, *Eloquium* ornatum, *Viſum* & *Auditum* acutum, omneſque cæteros *Senſus* fideles, *Ingenium*

Digitized by Google

promptum, *Judicium* ſolidum, *Memoriam* firmam, quæ tamen dotes raro concurrunt, cum diverſa & contraria temperamenta requirant.

Ejus *Eruditio* fuit admodum diffuſa: *Linguas* ſi ſpectes, novit plurimas doctarum & vulgarium, Latinam, Græcam, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Rabinicam, Belgicam, Germanicam, Anglicam, Gallicam, Italicam, Arabicæ & Hiſpanicæ rudimenta attigit. *Artes* ſi requiras, nullam ignoravit; nempe *Philoſophiam* tenuit quantum Theologo opus eſt, *Juriſprudentiam* deguſtavit, *Medicinam* infelici experientia didicit ob frequentes morbos. *Hiſtoriam*, Sacram præſertim, multum excoluit, & ad Theologiam mira arte applicuit, ut teſtantur omnia ejus Monumenta, Summa imprimis Controverſiarum & Opus poſtumum contra Ethnicos, *Oratoriam* perſpectam habuit, non duntaxat ejus Theoriam, quæ Rhetorica dicitur, ſed Praxim maxime.

In *Theologia* vero principatum ſine controverſia obtinuit: Ideam nobis perfectam exhibens Theologi magni & omnibus numeris abſoluti; in omnibus enim Theologiæ partibus fuit conſummatus. Enimvero, cum Cæleſtem hanc Diſciplinam conſideraret velut omnium Reginam, claram Dei Vocem ad homines, ſacrum cœli Depoſitum, veram Panaceam animorum, regiam Viam ad cœlum, fidelem cæleſtium opum Promumcondum, tutiſſimum ad æternam felicitatem Medium, eam ſibi ſupra cæteras excolendam judicavit: Et merito, cum magnum & ſublime ingenium non niſi magna & ſublimia cogitet, iiſque ſolis perfecte contentus adquieſcat & conquieſcat: ſimiles nempe habent labra lactucas, ſed potius delicias & cupedias: cæleſtes animæ non niſi cæleſtibus dapibus paſcuntur, & divinæ mentes divinis cibis, ſeu Deo ipſo ejuſque Verbo, quæ ſunt verum nectar & ambroſia Chriſtianorum, maxime piorum: vivos igitur aquæ vitæ latices imbibit, quorum potu Theologica Scientia non leviter tin-

tinctus, ſed penitus imbutus fuit: non unam duntaxat aut alteram ejus partem, ſed omnes pariter adoptavit.

Cum vulgus Theologorum, etiam celeberrimorum, præclare ſecum agi putent, modo unam portionem horti ſacri, certe ampliſſimi, excolant. Unde *Alii Sacrarum Literarum* lectioni ſe conſecrant, quæ revera ſublimior eſt Theologiæ pars & principium unicum. *Alii Didacticæ* toti incumbunt, ſeu *Catecheticæ*, ejuſdem enim Doctrinæ, nempe Chriſtianæ, varia ſunt nomina, prout Adultis aut Junioribus traditur, fuſius aut brevius, ſubtilius aut dilucidius. *Alii Controverſiis* cum *Hæreticis* his vel illis, *Pontificiis* ſcilicet, qui ſuis Traditionibus doctrinæ puritatem, morum ſanctitatem & diſciplinæ caſtitatem deturbarunt. *Socinianis*, qui pleroſque fidei Chriſtianæ articulos ſuſtulerunt, tot nempe, ut vix Chriſtianorum nomen niſi æquivoce mereantur; peccantes ſubſtractione, ut Pontificii additione: quo pacto illi humanam ſalutis ſcientiam effinxerunt, hi divinam aboleverunt. *Anabaptiſtis*, qui inepti ignorantiæ magiſtri ſapientiam divinam enervant, & humanam abnegant. *Lutheranis*, qui Reformationis opus prorſus divinum, humanis commentis, velut figmento Conſubſtantiationis, monſtro Ubiquitatis, ineptiis Ceremoniarum deformarunt, *Luthero* pertinacius adhærentes, cui lux Euangelii gradatim affulſit, eaque matutina potius quam meridiana, id eſt, non clara & pura, ſed obſcura & quaſi umbris noctis aut nubium caligini immixta. *Remonſtrantibus*, qui docti ſunt Jeſuitæ reformati, quemadmodum Anabaptiſtæ Jeſuitæ ſunt idiotæ.

Alii Caſus Conſcientiæ, ſeu Theologiæ praxim, merito inſtaurant: nam cum Theologia tota ſit practica, praxis eſt ejus finis & velut anima. *Alii* per vaſta & amœna Hiſtoriæ ſacræ viridaria decurrunt, ut divinam veritatem illuſtrent exemplis petitis ab Heröibus Chriſtianorum, atque antiqua & nova inter ſe comparent. *Alii Philologiam ſacram*, ſeu verborum

Digitized by Google

& phraſium vim & ſignificationem examinant, quia verba ſunt rerum ſigna & ſymbola quibus res percipiuntur à mente humana craſſâ mole corporis tecta. *Alii* denique Rationem, particulam illam divinæ auræ, conſulunt & adhibent, velut inſtrumentum ad explicandam Scripturam & eruendas veritates revelatas, atque principium ex quo mixtas id eſt, naturæ lumine notas educunt ſatis feliciter, modo ſit depurata & repurgata à fæcibus nativæ corruptionis, & verbo Dei illuſtrata, ac divina gratia reformata: adeoque Sapientiam humanam cum Legiſlatore Hebræorum diligenter excolunt, ut lumen naturale jungendo ſupernaturali, Infideles melius inſtruant ex propriis eorum principiis, Hæreticorum ſtrophas evertant, & Orthodoxam fidem illuſtrent.

Hoornbeekius autem vaſto ſuo animo hæc omnia conjunxit, mira ingenii fertilitate, memoriæ fidelitate, & diligentia ſtupenda, ut clare teſtantur immortalia ejus Monumenta, cedro digniora & durabiliora, de omnibus Theologiæ apicibus tradita felici poſteritati: ut prorſus admirabile ſit, quomodo unus vir perfecte tenuerit omnes univerſæ Theologiæ, partes, cujus alii, etiam doctrina celebres, partem unam aut alteram minus accurate addiſcunt. Verum admirationem ſuſtulit ipſe, fatendo pientiſſimæ uxori arcanorum ſuorum merito conſciæ, ſe non propriis viribus, ſed divinæ gratiæ id debere, adeo ut multum ingenio & diligentia, ſed plus longe precibus adſequeretur, in quibus erat adſiduus, & ſine quibus nihil auſpicabatur. Deo igitur Doctorum Doctore ſupra vulgarem modum profecit: illuminante, Spiritu Sancto eum & Scripturæ ſenſum aperiente; Quanquam profani id velut Enthuſiaſtarum delirium ſuo damno habeant O Tempora, ô Mores! Verum aliud certo experimento, didicit noſter, ne dicam ex Dei Verbo.

Enimvero in *Scriptura Sacra* fuit exercitatiſſimus & reconditos ejus ſenſus profunde ſcrutatus. Nec mirum, cum Veteris

ris ipſi Teſtamenti Profeſſio incumberet. *Didacticam* quotidie tradebat in Collegiis, & de ea reliquit egregium Syſtema ex præcipuis Auctoribus Reformatis deſcriptum. *Catecheticam* non ſolemniter duntaxat pomeridianis concionibus, ſed privatim in domo, & publice in templo, explicuit, mira claritate, quin etiam ejus exercitium ſive nondum plene introductum, ſive aliquomodo collapſum inſtauravit. In *Controverſiis* regnavit ſine controverſia, cum non tam factus quam natus ad eas decidendas videretur: qua de cauſa varia de iis volumina conſcripſit contra pleroſque Infideles, Hæreticos, Schiſmaticos & libertinos. *Praxios Theologiæ* ſtudium conatus eſt introducere in Academiam Leydenſem, quod proh dolor! nimis negligitur inter Reformatos nonnullos: imo omnes fere; ſi Britannos excipiamus. Quam pauca enim & jejuna ſunt noſtrorum de ea Commentaria: Quin præter *Ameſii* Caſus vix quidpiam de iis ſcriptum eſt Latine. Quapropter *Theologiam practicam* duobus magnis voluminibus adornavit, & ulterius perrexiſſet in hoc Argumento, ſi ita placuiſſet ſupremo vitæ Arbitro.

Hiſtoria ſacra mire delectatus eſt, ut teſtantur omnia ejus Scripta, pulchris obſervationibus hiſtoricis diſtincta, imprimis autem *Præfatio Operis contra Socinianos*, *Summa Controverſiarum*, & *Liber inceptus de Ritibus veterum*. *Philologum* etiam fuiſſe egregium apparet clariſſime ex methodo ſcribendi, qua ubi opus eſt omnes verborum apiculos accurate perpendit, magnoſque ex iis montes dependere non ſæpius quam felicius oſtendit; myſteria occulta inde detegens, & difficultates intricatiſſimas explicans, imo Controverſias graviſſimas, imprimis Socinianas, hac methodo tradens.

Ubinam vero *Concionandi Artem*, præcipuam Theologiæ partem, animarum magiſtram, pietatis nutricem, ſalutis nuntiam, relinquimus? In qua noſter maxime triumphavit de

Dia-

Diabolo & Peccato: mirus enim fuit dicendi artifex, prædicabat nempe docte, pie & eloquenter, quod rarum eſt; quodque rarius, docte ſine obſcuritate, pie ſine importunitate, eloquenter ſine affectatione: quæcunque concipiebat, facilitate mira exprimebat, ſublimia fidei myſteria diſtincte explicabat ad vulgus captum: Errores refellebat ſine errantium offenſione: Vitia reprehendebat ſine peccantium irritatione: Legis comminationes proferebat cum Malorum terrore incredibili, velut ex apice montis Hebal: Gratiæ promiſſiones applicabat cum fidelium gaudio inenarrabili, velut ex faſtigio montis Gerizin, aut Sionis.

Verum Scientia etſi magna ſine bona Conſcientia nihil aut parum eſt: nam Scientia inflat, charitas vero ædificat. Dæmones nempe multi, ſi non omnes, ſunt docti & doctiores hominibus etiam doctiſſimis; cum primævæ ſcientiæ à Deo infuſæ reliquias forte conſervent, & 6000. annorum habeant ſtudium atque experientiam, nec tamen ſunt feliciores. Sed potius infeliciores, quia ex ipſa doctrina diſcunt infelicitatem ſuam. Hinc granum virtutis præſtat millenis eruditionis libellis, & guttula pietatis mari Sapientiæ.

Id certe intellexit optime *Hoornbekius*, ſummæ Scientiæ adjungens bonam Conſcientiam, & coronæ literarum coronam ex omnium virtutum gemmis diſtinctam; ut dubium reliquerit doctior ne vel melior fuerit. Mens quippe doctrina fulgebat, cor pietate ardebat, ſtillabat è cerebro in præcordia lumen cognitionis. Pietas erat maſcula, non muliebris, libera non ſcrupuloſa, hilaris non tetrica, grata non moroſa, humilis non ſuperba, modeſta non faſtidioſa, interna potius quam externa, velut nomen illud incognitum & manna occultum hominis interioris; tantum autem ejus prodebat, nec pluſquam ad Eccleſiæ & piorum ædificationem requirebatur, quæ ex corde pullulabat, & externe effloreſcebat ad bonum odorem Religionis Refor-

Digitized by Google

Reformatæ ſpargendum inter omnes. Ita veritatem corde credebat ad Juſtitiam, & ore profitebatur ad ſalutem, cum ſuam tum aliorum. Spiritus ſanctitatis erat Anima ſuæ animæ, omneſque actus Sanctificationis in eo producebat, impellens eum ad exercitium bonorum operum, fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, religionis, zeli, & ad Sabbathi obſervationem & defenſionem.

Conciones diligenter frequentabat, tres interdum & quatuor, quamvis eſſet occupatiſſimus, uno die, etiam cum ipſe concionabatur: omnium linguarum cœtus adibat, Belgicos, Germanicos, Gallicos, Anglicos, Italicos, ut Sanctorum communionem exerceret: mature ante Concionatorem in templum veniebat ad verbi divini auſcultationem, ut bono exemplo præiret omnibus, ſicque diligentes confirmaret, & negligentes tacite notaret, cum ipſe minus haberet otii iis qui aberant aut tardius veniebant. Sacris Fidelium epulis paſcebatur cum gaudio, quoties ei offerebatur occaſio, quam etiam apud cœtus Exterorum captabat interdum, ut certiſſimo verbi veritatis ſigillo muniretur contra naturæ corruptionem, peccati reliquias, mundi illecebras & Dæmonum tentationes, atque ita in certam ſpem cœleſtium deliciarum obtinendarum, & æternæ hæreditatis adipiſcendæ altius erigeretur.

Prudentia, quæ virtutum moralium oculus & fax, excelluit; Prudentia, inquam, vera & vere Chriſtiana, quæ Sanctorum eſt propria, ad vitam ſpiritualem eorum tutandam contra multiplices mundi & dæmonum fraudes & fallacias. Eccleſiaſticam vero imprimis excoluit, quæ Chriſtianæ ramus eſt fœcundus in Paſtoribus: Oeconomicam habuit ſummo in gradu, qua familiam velut Eccleſiam domeſticam, rexit. Politicæ, etiam & aulicæ rudis non fuit, cujus etſi abuſus ſit noxius, uſus tamen eſt ſalutaris & prorſus neceſſarius Perſonis publicis, præſertim Eccleſiaſticis, cum vivant in Republica, cujus Eccle-

 ſia

ſia pars eſt nobiliſſima, & aulas principum frequentare debeant ad eorum inſtitutionem & emendationem, quemadmodum Defunctus noſter mira arte & dexteritate allaboravit. Nec ea ipſi eſſe dedecori potuit, qua Dei gloriam maxime promovit, ſicut contra Paſtorum imprudentia magnorum malorum eſt cauſa, dum eorum quibuſcum verſantur ingenia ſatis dextre verſare non poſſunt.

Orthodoxiæ laudem, quæ maxime requiritur in Doctore Theologiæ, apud omnes merito reportavit: Unde nullus unquam Reformatus, etiam in tot libris de variis argumentis editis, vel minimam erroris labem ei affricare potuit. Nullam Sententiam niſi communi conſenſu receptam admittebat. Nova omnia in Religione, qua nihil antiquius, ſuſpecta habebat. In dubiis Theoreticis propendebat in partem probabiliorem: ſed in Practicis in tutiorem. Inter Theologos ſeveriores erat moderatus, inter moderatos ſeverus: ſeveriores enim amplectebatur opiniones, ſed quas moderatè tuebatur: nihil ſibi libertatis, aliis vero plurimum ad pacem indulgebat, ferendo quæ auferre non poterat, modo eſſent tolerabilia.

Philoſophiam novam cujuſcunque Sectæ non rejiciebat in rebus pure philoſophicis & phyſicis; contra vero omnes Quæſtiones in utramque partem agitatas libenter audiebat: ſed nolebat per latus Philoſophiæ peti jugulum Theologiæ, id eſt, ſub prætextu Philoſophiæ novæ induci novam Theologiam, verbo Dei contrariam. Quapropter maxime abhorrebat ab iis Philoſophis, qui vanam Dubitationem circa res omnes, imprimis divinas, conantur inducere. Qui ſentiunt Deum poſſe homines fallere & mendacium proferre per prophetas. Qui Dei Proprietates, velut Independentiam, Infinitatem & Æternitatem non ſine Sacrilegio attribuunt Creaturæ. Qui negant Creationem ex nihilo, & Reſurrectionem ejuſdem individui, Miracula & Supernaturalia omnia naſo ſuſpendunt.

Philo-

Philoſophiam conſtituunt Scripturæ interpretem, & Rationem normam credendorum. Trinitatem negant eſſe myſterium. Solem immobilem, & terram aſſerunt moveri. Sed perſonas amabat eorum quorum errores oderat, & vere quidem amabat, eorum quærendo converſionem quod ſummum bonum, adeoque ſummi eſt amoris indicium.

Veritatem autem non in Theologia & Philoſophia duntaxat colebat, ſed in tota vita & converſatione; candidum ipſi erat pectus, & naturalis quædam ſinceritas, atque æqualis ſinceritati in mente aperienda libertas: nihil unquam in dicenda ſententia vel gratiæ dedit vel metui: Ad nullius etiam arbitrium orationem ſuam inflexit, auribus nunquam lenocinatus: Veritate enim nihil unquam habuit prius, nihil antiquius, ejuſque propagandæ honeſta omnia quærebat media.

Mens generoſa in eo & *animus* vere erat *magnanimus*, magna cogitabat, ſed parva non negligebat; quia illa ſe digna, hæc non indigna arbitrabatur, aliiſque non relinquenda, vaſtus enim animus ad omnia ſe extendebat: inter magnos ſe præbebat magnum & excelſum: inter mediocres, facilem & moderatum: imo omnes fere ipſi erant eodem loco, cum nihil ipſi eſſet magnum, præter Deum. Ita dignitatem ſuam cum dignitate ſuſtinuit, & decus cum decore ſuo & Eccleſiæ.

Fortitudo ejus reſpondebat Magnanimitati, nullis terrebatur malis, niſi turpibus; nullis periculis, niſi erroris & peccati; repentinis non movebatur; quia ea & plura longe ante præviderat. Morbos varios & atroces, quibus Deus ex arcana, ſed ſapienti & juſta cauſa, ſicut multos piorum varie eum exercuit, magna ferebat patientia, mortemque ipſam imperterritus excepit: calumnias & contumelias, magnæ animæ concoctu difficiles, ſed præclari facti & pietatis præmium tam ordinarium quam injuſtum, eodem patiebatur animo, forti & Chriſtiano: ut proſperis non at-

tollebatur, cum ejus virtus ea ab hominibus juſte mereretur, ita nec ſequioribus deprimebatur; ſciebat enim ea non tam eſſe ab hominibus quam à Deo per homines, qui modum, ordinem & finem ſalutarem præſcripturus eſſet. Si privatis tamen non, at publicis malis angebatur: Eccleſiæ nempe afflictum per Europam ſtatum, deformatam faciem, diſſipatos cætus & fidelium lanienam ſummo, ut par eſt, videbat cum dolore, quemadmodum hæreſes, apoſtaſias & impietatem infeliciter ſuccreſcentem, atque volitantia Libertinorum ac malorum librorum examina, velut ex condicto, hoc ſæculo, utinam non hoc loco.

Gravitas decora, ſine faſtu & ambitione, præcedentes virtutes ornabat, qua mores & exteriorem habitum ad cujuſque dignitatem, velut ſtudioſe, ſed libere, componebat. Majeſtas formæ & geſtuum augebat gravitatem, quam tamen pro arbitrio demittebat, & grata urbanitate atque humanitate temperabat. Unde multi, præſertim Juniores, qui eum ob majeſtatem vultus adibant cum metu, relinquebant cum fiducia & exultatione, ob morum civilitatem. *Hilaris* & facetus erat, ſed cum familiaribus; erat enim temperamenti ſanguinei, & laborum tædium conabatur fallere animi relaxatione, quæ tamen Majeſtatem non corrumperet, ſed gratiorem redderet.

Ingenium habebat in digitis, & cogitationes ſuper cuſpide linguæ: Meditationi adeo ſemper indulgebat, ut incedens etiam meditabundus videretur, quam ad amicorum occurſum facile deponebat, velut ſemper in ſe eſſet, extra ſe quando vellet.

Diligens erat & laborioſus, imprimis ante irruentem morborum turmam, & poſt etiam, quantum vires & morbi ferebant, atque ſumma animi contentio; quicquid enim agebat valde agebat, unde cito, ut Athletæ robuſti, fatigabatur. Verum incredibile eſt quam multa brevi tempore conficie-

bat:

Digitized by Google

bat: nec tamen fatigatus relinquebat laborem, ſed laborem cum labore commutabat, meditationem cum ſcriptione, ægrorum & piorum viſitationem cum lectione, quin lectiones, diſputationes, catechiſationes & conciones cum ſtudiis. Itaque ſurgens vulgo meditabatur quæ mox ſcriberet, inde Collegium habebat: poſt meridiem Eccleſiæ membra aut alios inviſebat, mox legebat aut diſputabat; inter diſputandum meditabatur concionem, quam poſt diſputationem interdum recitabat in templo, eaque habita, alia curabat negotia.

Liberalis erat, quantum lauta ſatis ejus ſors permittebat; contra vulgarem conſuetudinem multorum ſuæ conditionis; qui, ſi non avari, at parci, eſſe ſolent, interdum ex avara natura vel conſuetudine, interdum ob fortunæ in eos avaritiam. Sic nempe bonos libenter juvabat ope & opere, etiam ſuis opibus. An *Gratus* igitur non fuiſſet ob accepta beneficia, qui gratis dabat? Nihil itaque ulli debere ſe vel minimum patiebatur, ſed ſtatim par pari referebat, interdum etiam cum fœnore, omnibus proſequens officiis eos qui etiam minimo amore vel favore eum prævenerant, niſi impedirent ipſi, ſua ambitione, invidia aut inconſtantia, hoſtes ejus facti præter ejus meritum.

Temperantiam amabat in cibo, potu, ſomno, labore, vigiliis, affectibus, veſtibus, exercitiis omnibuſque voluptatibus animi & corporis, quæ omnia ita accurate temperabat, ut ad legitimum uſum ſine abuſu referret: unde ipſos nimis diligentes oderat, qui ipſe erat diligentiſſimus, *manum* enim *de tabula tollere poterat*, inſtar Apellis. Omnia quippe immoderata ei diſplicebant, cum ſciret virtutem in medio eſſe poſitam. Dixiſſes animum ejus obtinere temperamentum ad pondus, ſeu potius ad juſtitiam.

Manſuetudo in eo mira; quanquam natura videretur in iram propenſior, ob promptitudinem & bilem; vix tamen un-

quam iraſcebatur: ſeu ſanguis bilem temperaret, & prudentia promptitudinem, ſeu potius gratia corrigeret naturam, adeo ut, ne ob graves occaſiones tantum commoveretur ac alii ob leviculas. Nunquam verbulum ei excidebat durius; non dicam in uxorem; cui ſapiens nunquam debet aut poteſt iraſci, ſed nequidem in liberos aut ancillas, clementiam præferens ſeveritati, & vincula amoris vinculis iræ. Nec tamen, indulgebat vitiis, ſed gravitate ſua compeſcebat.

Amicitiam, virtutum omnium velut coronidem, coluit; erat enim propenſus in amorem proximi, naturæ quadam ſpeciali bonitate. Amicitiam, inquam, veram non fucatam, cum paucis non cum multis, ſciebat enim vir ſapiens, inter multos veram non poſſe conſiſtere: cum bonis non cum malis, à quibus generoſa ejus abhorrebat indoles; Omnes tamen videbat & audiebat, dictitando omnibus utendum, ſed ſolis bonis fidendum. Malis autem congredientem ex cauſa neceſſaria, turbatum facile obſervaſſes, ſeverum ejus vultum, eoque velut iis minitantem. Magnus erat ejus in familiam amor: ſed in uxorem & liberos imprimis eminebat, à quibus viciſſim ſupra modum redamabatur. Ardens fuit ejus in matrem optimam charitas & obſervantia, etiam in ſumma dignitate, eique parum ſupervixit: fatone an dolore, incertum. Amicis verus erat amicus, eos omnibus officiis præveniens & proſequens, eorum errata tam libenter quam facile condonabat, amori ſuo plus tribuens quam eorum imprudentiæ. Non mirum igitur omnis ordinis homines à pedo fere ad ſceptrum, ſeu tam magnos quam mediocres & infirmos, ejus amicitiam quæſiviſſe; mercatores, literatos, nobiles, ipſoſque principes.

Amore Obſervantiæ & Reverentiæ legitimæ proſecutus eſt imprimis Magiſtratus, velut Deos terrenos, aut Dei potius vicarios, vivas & ſpirantes ſupremæ Majeſtatis regis regum & domini dominantium imagines: gratiam eorum ambiens, non

ut

Digitized by Google

ut ab iis aliquid obtineret, quod infra fortunam ejus primas dignitates Eccleſiaſticas & Academicas conſecuti, nec altius adſcendere cupientis, cum ad faſtigium perveniſſet, & à lucro atque ambitione abhorreret: ſed ob conſcientiam, quia ſciebat eos à Deo eſſe conſtitutos, & contumaces in juſta eorum mandata ordini divinitus ſancito obſiſtere. Nec tamen turpi adulatione ipſis mancipabatur, errata eorum, pro ut humanum eſt errare, impie diſſimulans; ſed prudenter, leni, ac gravi, admonitione, non ſuo, quod ſubditus eſſet, ſed Dei nomine, cujus erat miniſter perſtringens, tanta libertate, gratia & efficacia, ut boni pie afficerentur: verum ſemper privatim, nunquam publice, quod ut honeſtius, ita gratius & fructuoſius, ubi Magiſtratus eſt Orthodoxus, prudens & pius. Cum viles animæ, turbones imprudentes & audaculi ſine neceſſitate in ſacra illa capite impotenter invehantur publice, ſæpius non tam ex zelo domus Dei quam ad inanem gloriolam captandam, ut videantur aliquid poſſe, ignem peregrinum excitantes in altari.

Viciſſim etiam à piis Magiſtratibus redamabatur ob ſummas dotes, quas honorifica ejus mentione poſt obitum grati prædicant. Nominatim vero Celſiſſimæ Arauſionenſium Principi ita gratus fuit & acceptus, ut in aulam ſæpe vocaretur & ſocius æſtivarum peregrinationum ac piæ ſolitudinis adhiberetur. *Wilhelmo* pariter III. Dei gratia Arauſionenſium Principi, etſi tum puero, charus fuit, cujus erectam indolem ad magna ſurgentem Noſter magni faciebat. *Wilhelmo* vero Naſſoviæ Principi, Friſiæ Gubernatori familiaris fuit: nec non Multis ex Ordinibus Generalibus & Hollandiæ, eorumque Delegatis imprimis Curatoribus Academiæ, ac Magiſtratui Leydenſi. Speciatim autem intimi ipſi fuerunt *Ampliſſ. vir Johannes van Thilt*, Concivis ejus honorandus, Curator Acad. & Conſul Harlem. digniſſimus, in cujus pectore virtus ſedem videtur elegiſſe, præſertim amor Religionis, Juſtitiæ, Patriæ & Acade-

Academiæ, cum incomparabili candore. *Ampliſſ. Johannes Elemannus*, ſummus Philoſophus & Medicus, praxi Medicinæ diu clarus & charus Lugdunenſibus, longe ſupra omnes, qui praxim unquam Leydæ ante ipſum fecerunt; ſed longe clarior & charior probitate morali & prudentia politica, qua Reip. clavo aſſidens eam nunc feliciter moderatur, ex ſummo Medico major Politicus ſubito factus, ſi non natus potius quam factus ad Rempubl. adminiſtrandam: ſed cujus laudibus brevitas & inopia mea deterit. *Ampliſſimus vir Johannes Meermanus*, Exconſul Leydenſis, Deputatus ad Conſeſſum Potentiſſimorum D.D. Ordinum Generalium, nuper ex Legatione Anglicana redux, inſtar columbæ Noachi, cum fronde olivæ in ore, pace feliciter confecta inter Batavos & Britannos, in quo exornando natura & ars pariter certare videntur: cum ſit ingenii & judicii prorſus ſtupendi, doctrinæ ſuſpiciendæ, etiam in Myſta literarum: excellit enim in Theologia, Philoſophia, Politica, Juriſprudentia & Literatura politiore, prudentiæ autem prorſus incomparabilis, ſed de quo præſtat tacere, quam loqui, ne pauciora meritis dicantur. *Nobiliſſimus Marcus du Tour*, ſupremæ Curiæ Brabantinæ Senator digniſſimus, arcta amicitia ſimul & propinqua affinitate ipſi junctus fuit, quem qui norunt, uno ore merito celebrant velut illuſtre ſæculi noſtri ornamentum, utpote naturæ & artis compendium, ſed mihi de eo tacendum, ne neceſſitudini & amori dare videar quod ejus deberi meritis omnes confitentur. *Ampliſſimus Joachimus Wevelinchovius*, Senator Leydenſis, & Curatoribus Academiæ à Secretis, vir ad exemplum ſæculi natus, ob pietatem exquiſitam & raram in homine ſuæ ſortis, quæque vaſtam ejus eruditionem in Scientiis & Linguis fere obſcurat, ob ejus modeſtiam.

Inter Literarum autem Antiſtites nemo ipſi ignotus: nulli ipſe non notus fuit & acceptus, niſi qui Orbi ſunt ignoti. Sint vero omnes nobis noti, non poſſunt tamen omnes eſſe amici.

Qua-

Quapropter ſelegit paucos, ſeu pietate, ſeu doctrina, eminentes, quos peculiari complecteretur amore. Inter eos eminentem locum habuere ejus Præceptores & Collegæ, de quorum plerisque ſuperius diximus. Conjunctiores ipſi fuerunt Leidæ *Albertus Ruſius*, ſummus Literator & Jurisconſultus, quodque majus verè probus & candidus. *Franciſcus Sylvius*, ſupra laudatus. *Albertus Kyperus*, Philoſophus & Medicus magnus, antiquitatis veræ cultor, ineptę & impię novitatis hoſtis. *Antonius Thyſius*, Literator & Jurisconſultus celeberrimus, ob eloquentiam antiquis temporibus dignam. *Georgius Hornius*, quo vix doctior & clarior in omni fere literarum genere. *Petrus de Witte*, Eccleſiaſtes Leydenſis, doctiſſimus, vir antiquæ pietatis. *Johannes Legerus*, *Waldenſium* genuina proles, in cujus familia Paſtores floruere 400. annis, ex quo ſolo vindicatur Religionis noſtræ antiquitas: Sed qui ſua quam avorum virtute clarior, ob eruditionem, pietatem, prudentiam, & præclara geſta, quibus poſt Deum meretur nomen liberatoris Subalpinorum Reformatorum, & Confeſſoris Chriſti, ob quem nunc longe à ſuis exulat familiaribus. Verum præ cæteris, *Jacobus Revius*, Theologus ſolidus, Philoſophus ſubtilis, Literator politus, & Poëta excellens.

Diſſenſus quidem Opinionum fuit inter Ipſum & Aliquos; nam idem omnes ſentire in hac mortali caligine vix eſt poſſibile; cum major ſit cerebrorum quam vultuum diverſitas & inæqualia gratiæ dona. Adhærebat nempe Vir optimus Theologiæ antiquæ & ſententiis ἀκριβεστάταις: Sed ſine ullius odio aut tyrannide, proh dolor! nimis vulgaribus hodie.

Inter Theologos exteros charus admodum fuit *Edwardo Reynoldo*, Epiſcopo Norwicenſi, magno prorſus & profundo Theologo: *Rhetorfortio*, ſubtiliſſimo & pientiſſimo, Profeſſori Andræapolitano: *Baillio*, politiſſimo, Glaſcuenſi: *Molinæo*, ſeni celeberrimo: *Riveto*, multæ lectionis & accuratæ: *Blondello*, Hiſtorico incomparabili: *Buxtorfio*, Hebrææ literaturæ pro-

mo-condo: *Hottingero* diffuſæ eruditionis Viro: *Turretino* juniori, antiquæ Theologiæ cultori & vindici: *Fred. Spanhemio*, filio digniſſimo magni & incomparabilis parentis: *Nicolao Arnoldo*, Theologo magnæ eruditionis & zeli pro domo Dei: Denique *Johanni Valkenerio*, ejus Succeſſori in Profeſſione, Theologo promptiſſimo, doctiſſimo, eloquentiſſimo, orthodoxo, antiquæ Theologiæ Studioſo; ad quæ decora accedit puræ Philoſophiæ & politioris Literaturæ notitia & uſus ſingularis.

Diſcipulos habuit fere omnes qui in Belgio Theologiæ navarunt operam 22. annis integris quibus docuit, cum Trajecti tum Leydæ, quorum plurimi nunc ſunt Profeſſores vel Paſtores magni nominis in præcipuis, Eccleſiarum Europæ; quemadmodum ſupra laudati Turretinus, Spanhemius, & qui non?

Liberos reliquit tres, duos filios, *Iſaacum* & *Henricum Æmilium*, & unam filiam, *Annam* nomine, omnes magnæ ſpei, ob virtutes patris quaſi hæreditarias in iis eſſloreſcentes & feliciter adoleſcentes, quibus animo ut corpore eum referre videntur in ipſa adoleſcentia. Maſculos, ut ante dictum, juſſit eligere Vocationes eorum genio & ingenio conformes ac tempori & loco. Nulli impoſuit Studium Theologiæ, quamquam id optaſſet: judicavit enim Vir prudens voluntatem non poſſe cogi, electionem muneris debere eſſe liberam, & populum Dei ſpontaneum: Vocationem ad munus Sacrum eſſe à Deo, non à parentibus, omnique in munere pios inſervire Deo, nec certe Miniſterium ſub Novo Fœdere hæreditarium eſt, ut ſub Veteri: quoniam præſens adultæ Eccleſiæ ſtatus majores requirit dotes quam antiquus: nunc enim cultus eſt magis ſpiritualis; olim vero magis corporeus ob ceremoniarum choragium. Liberis ejus non ineptè adjungere poſſumus *Hoornbekium*, Filium fratris majoris natu, adoleſcentem præſtantiſſimum, ingenii, modeſtiæ & diligentiæ laude commendatiſſimum.

Libros, animi docti & fœcundi liberos, ſcripſit plurimos, omnes

omnes fere de variis & utiliſſimis rebus, ante omiſſis, aut minus accuratè pertractatis: verum enim erat Scriptor, non Deſcriptor, ut plurimi hodie, qui eandem crambem, non bis duntaxat, ſed millies recoctam, ſi non ad mortem, ad nauſeam, exhibent, male deſcribentes, ſeu bene ſeu male ſcripta ab aliis; furto, imo ſacrilegio, conantes inclareſcere; aut ſua arbitrantes quæ emerunt, non quæ excogitarunt. Noſter vero gloriam nec emebat nec furabatur, ut nec Alexander victorias, ſuaque non aliena Deo ſacrata volebat: Hinc omnes ejus libri redolent ingenium viri magni ſine controverſia, in iis enim elucet inuſitata quædam ſcribendi facultas, de obſcuris dilucidè, de confuſis ordinatim, de dubiis enucleatè. Magnus autem eorum numerus & multiplex argumentum ſuadet, ut eos in ſuas diſtinguamus claſſes, Exegeticos nimirum, Didaſcalicos, Polemicos, Practicos, Hiſtoricos: quos Deò favente forte ſimul edemus in folio.

Hæc omnia prorſus rara & mirabilia conſideranti ſubit animum juſta admiratio, quomodo tot, tantæ, tamque diverſæ dotes ad unum homuncionem exornandum concurrerunt: tum, quia Deus pro ineffabili ſua ſapientia variè diſpenſat ſua dona, uni dans unum, alii aliud, nulli omnia, tum quia eorum pleræque videntur contrariæ. Anima excelſa nimirum raro conſequitur corpus validum, quia ſpiritus ſubtiles id ſtatim afferunt & meditationes opprimunt: unde magnos viros vulgo debiliores eſſe contingit. Ad hoc, Ingenium, Judicium & Memoria, contraria requirunt temperamenta: illud nempe calidum & humidum: iſtud frigidum & ſiccum: hoc humidum ad impreſſionem, ſiccum ad retentionem, calidum ad exhibitionem: quapropter vix videmus conjuncta hæc tria in eodem. Similiter, qui prompto pollent ingenio raro ſunt diligentes, quia brevi fatigantur ſtudiis, velut Curſores. Qui ſunt diligentes ſæpius vim ingenii reprimunt. Docti non ſemper ſunt pii; mens enim non determinat voluntatem neceſſario. Inſuper laboribus variis & magnis

Digitized by Google

diſtracti parum habent temporis ad exercitia pietatis. Aſcetici vero toti ſunt in practicis. Qui multum legunt, multum non poſſunt ſcribere eodem temporis defectu; Ideoque non immerito cenſeo multos doctiores fuiſſe qui nihil aut pauca ſcripſerunt, quam qui multa deſcripſerunt; quanquam enim paradoxum videatur, rationi tamen eſt maxime conſentaneum. Studiis immerſi, parum intelligunt civilem cultum & politiorem vivendi rationem; nam toti ſunt intra ſe, vix apud alios: ipſi ſibi ſunt regula vivendi, exempla aliorum non ſequuntur, niſi antiquorum, quibus conſueſcunt; Pythagoram, Socratem & Catonem tam ſæpe quam libenter imitantur, loquuntur cum matre Evandri, ſæculum præſens contemnentes & ab eo contempti. Quanquam virtutes inter ſe connexæ ſint velut ſorores, raro tamen unus omnes poſſidet, cum in una magis ſe exerceat quam in alia: Hinc prudentes rarò ſunt candidi, ne arcana ſua prodant: graves rarius familiares, ne gravitati detrahat familiaritas nimia: diligentes rariſſimè colunt amicitiam cum multis, quia amici ſunt fures temporis. At hæc omnia, quæ in aliis ſingula ordinariè reperiuntur, in noſtro juncta inveniuntur. Coronam habuit ex omnibus contextam gemmis, quorum una aut duæ abunde ſufficiunt ad virum egregium exornandum: adeo ut Natura quaſi avara erga multos; Arsque liberalior natura erga eum prodigæ fuiſſe videantur; certatim concurrentes, & quaſi contendentes, utri plura deberet.

Cum vero honor ſit præmium virtutis, quam ſequitur ut umbra corpus in bene conſtituta Republica; non mirum tot tamque magnos honores conſecutum eſſe Defunctum noſtrum ab omnium ordinum hominibus, præſertim à bonis, veris ſummæ virtutis ejus cultoribus & admiratoribus. Enimvero ad ſummum culmen honoris pervenit, quo altius conſcendere non poterat vir ſuæ conditionis; primariæ & nobiliſſimæ facultatis in Academia nobiliſſima & primaria Profeſſor, & primario Paſtori in Eccleſia ampliſſima adjunctus, doctis juxta & piis charus & acceptus, per totum

totum orbem reformatum celeberrimus in ipſa juventute, & famæ florentiſſimæ ante florem ætatis. Cum ætate vero crevit ejus gloria, Operibus modo laudatis, quibus orbem literatum demeruit.

Nec mors ipſa, quæ arctiſſima ſolvit vincula, & finem ac modum ponit omnibus rebus etiam firmiſſimis, ipſique vitæ ac laboribus aliquid delibavit de ejus gloria, ſed potius auxit: nam pompa ejus funebris celebrata eſt ab omnium hominum & nationum genere, proſequentium mortui feretrum, memoriam viri laudati laudantium, ejusque familiæ bene precantium, quod non leve, etſi ignotum defuncto, cum velut inſignis benedictio à Deo promittatur piis. Ejus Vitam, prolixam quidem reſpectu ipſius, cum feſſus laboribus fuerit, & tam mundanæ gloriæ ſatur quam æternæ ſitiens, ſed breviorem reſpectu Eccleſiæ & Academiæ, cui tanta ingenii, induſtriæ, zeli & famæ gloria, inſerviebat; vitam, inquam, laudarunt omnes cordati, ſolisque improbis & invidis paucis, quod inevitabile, os apertum eſt: Quis enim feram indomitam frænaret? cum præſertim Deus ipſe optimus non placeat omnibus, nedum ullus hominum, quorum nullus invenitur, qui non aliquid humani patiatur, ob nativæ corruptionis reliquias, etiam in optimo quoque, cui velut leoni mortuo audet inſultare canis vivus, ſaltem indirectè & clancularié. At noſtri fatum acerbum & mortem immaturam lacrimis pietatis proſecuti ſunt boni omnes: itaque triſtitia publica fuit remedium aut lenimentum doloris privati. Loco monumenti magnifici, quod ſuperbiæ ſuperſtitum, potius quam gloriæ defunctorum, vulgo erigitur à vana poſteritate, æternum in corde doctorum, adhuc vivus ipſe ſibi erexit. Pii exemplum tam illuſtre ſibi imitandum jugiter propoſuerunt: nec Leidenſes unquam habebunt gratiores cogitationes iis quas ſuggerunt piæ ejus conciones & ſermones, atque recordatio tantæ virtutis.

Sed hæc, quamvis ſplendida, levia, ſunt præ gloria

illa quam noſter æternitatis diu candidatus, non in terra, ſed in cœlis conſecutus eſt à Deo Optimo Maximo, juſto judice, & liberali remuneratore, ſupra mundi pompam ſublimis elatus; agni ſanguine purgatus, morbis liberatus, & laboribus; adjunctus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Patribus, Reformatis, Martyribus, Confeſſoribus, choros inter receptus Angelicos, Eccleſiæ primogenitorum adſcriptus, Chriſto capiti unitus, ad viſionem divinæ faciei admiſſus, gaudiis puris recreatus, æterno gloriæ pondere non gravatus, ſed erectus, velut palma cœleſtis, amarantina corona donatus; ut victor carnis, peccati, mundi & Diaboli triumphet in Chriſto & à Chriſto, cum omnibus ſanctis. Fallimur igitur, ſi credimus, cum mortuum dicimus, eum cujus fama perennis vivit & floret in toto orbe literato, cujuſve anima immortalis regnat in cœlis? ſcilicet abiit, non obiit, præmiſſus, non amiſſus, gaudet ſocietate Huſſi, Wiclephi, Calvini, Crammeri, Martyris, Zanchii, Junii, & aliorum Orthodoxorum, quorum doctrinæ vivus adhæſit, & fidei immortuus eſt, ad finem conſtans in veritate, atque ſine fine jugiter contemplatur cum profunda admiratione, & celebrat cum ineffabili gaudio, infinitam Dei æterni majeſtatem & gloriam, atque opera creationis & redemptionis; concinens quatuor animalibus & viginti quatuor ſenioribus, *Dignus es Domine qui accipias gloriam & honorem & virtutem: quia tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.* Amen.

Elen-

Elenchus Operum Latinorum
Johannis Hoornbekii.

Didactica.

Inſtitutiones Theologicæ in 8.
Irenicum de ſtudio pacis & concordiæ. in 4.
De conſociatione Euangelica inter Reformatos & Euangelicos. in 4.

Polemica.

Socinianiſmi Confutati. Tomi tres. in 4.
Pro convincendis & convertendis Judæis. Lib. 8. *in* 4.
De converſione Gentilium. Libri duo. in 4.
Examen Bullæ Urbani VIII. de Jeſuitiſſis, Imaginibus & Feſtis. in 4.
Examen Bullæ Innocentii X. de pace Germaniæ. in 4.
Epiſtola ad Duræum de Independentiſmo. in 8.
Commentarius de Paradoxis Weigelianis. in 12.
Apologia pro Eccleſia Chriſtianâ hodierna, contra Libellum, ad Legem & Teſtimonium, &c. in 8.
De obſervando à Chriſtianis Præcepto Decalogi quarto. in 12.
De Epiſcopatu. in 8.

Practica.

Theologiæ Practicæ Tomi duo. in 4.
De Peſte. in 12.

Hiſtorica.

Summa Controverſiarum. in 8.
Miſcella Vetera & Nova.

Oratoria.

Orationes variæ Inaugurales, Valedictoriæ, Rectorales & Funebres.

Opera

Digitized by Google

Opera Belgica.

TRactaet van Catechiſatie. in 8.
Catechiſmus/ ofte Chriſtelijck en eenvoudigh Onderwijs over de dwalingen des Pausdoms.
Heyliging van Gods Naem ende Dagh. in 8.
Concept van Redres / etc.
Euthanaſia / Ofte Welſterven / in 8.
Geeſtelicke Verlatingen / in 12.
Nader Bewijſingh van des Heeren daghs Heyliging / in 12.
Belijdenis Predicatie over 1 Tim. 3.15.
Korte ende Naerder Verdedinge van de Ware Kercke / geſtelt tegen de Wijſer van de Paepſe Kercke.
Sondagh Ruſtdagh / in 12.

Præfa-

Digitized by Google

Præfatio Operis.

INter clariſſima Clariſſimi Viri monumenta, quibus immortale nomen ſibi comparavit, præſens ſæculum exornando, & futura beando, hoc poſtremum eſſe clariſſimum procul omni dubio judicabit prudens Lector; ſive Argumenti dignitatem & utilitatem ſpectaverit, ſive Operis accurationem & pulchritudinem: ut Defunctus noſter ſimilis merito videatur Epiſcopo Thyatirenſi, cujus ultima opera erant meliora primis, nec abſimilia juniori ſorori uxoris Samſonis, quæ erat pulchrior majore natu. Sive quod mens humana à corporea mole ſeſe paulatim liberans, altiuſque adſurgens verſus ſuam originem, majora & ſublimiora cogitat: ſeu potius quod divinæ ſapientiæ & gloriæ luce ſplendeſcens ac coruſcans, ejus ope clarius videat, atque cœleſtes æterni luminis ſcintillas terris inferat, velut certum à Deo pignus futuræ ſuæ gloriæ, & monumentum perpetuum apud Poſteros divinæ gratiæ; tum maximæ conſpicuæ, cum corpus atteritur, velut faces ardentes, confractis hydriis trecentorum Heroum Sociorum Gideonis. Corpus nempe & anima lancibus ſunt ſimilia, quarum una humi depreſſa altera ſurſum attollitur. Hinc Fidelium & Infidelium obitus hoc charactere maxime diſtinguitur, quod illi in morte vulgo ſupra ſe adſurgant, & velut cygneo cantu inter divinas laudes animam exhalent, ac Deo redemptori reddant: hi infra ſe concidant, & quaſi muti ac ſtupidi ad plures abeant. Lubens quidem confiteor, cœleſtem illam lucem non ſemper apparere, ſed ſubinde duntaxat radios emittere, & velut ſtricturas, ne naturæ conſtantiæ tribuatur gratiæ donum, quod ut ſupernaturale, ita extraordinarium.

Hoc autem egregium Opus ſuſcepit Vir magnus variis de cau-

ſis: Inprimis quia ſumma ſua utilitate, neceſſitate, dignitate & ſublimitate ſe commendat. Quid enim utilius Gentium innumerarum converſione & ſalute? Quid magis neceſſarium eorum inſtitutione & Paſtorum juniorum, qui ad eos mittuntur, ſed præſidiis neceſſariis ad tantum opus deſtituti? Quid dignius Theologo vere Reformato, quam arduum id penſum vulgo neglectum in ſe recipere? Quid ſublimius Dei gloria, quæ inde clariſſime illuſtratur, amplificatione regni gratiæ, per incrementum ſubditorum Regis regum? Quapropter hoc illuſtre Thema Diſputationibus aliquot publice ventilavit in Academia Defunctus noſter, ac deinde relegit accurate, & ad incudem revocavit maximam ejus partem, ſed morte præventus non potuit abſolvere. Religio tamen fuit amicis aliquid addere, ne quaſi vilis lacinia aſſueretur purpuræ. Id opus ergo emittimus ſicut ab Auctore relictum eſt, velut Apellis Venerem, cujus ipſa imperfectio, ſi aliqua ſit, ejus auget nativam pulchritudinem, & gloriam Auctoris, qui cum tanta præſtiterit, majora parabat, etiam cum mors eum in medio curſu glorioſi laboris oppreſſit.

Multi quidem viri præclari de nobili hoc ſcripſerunt Argumento, quos recenſet Hoornbeekius, Lib. 2 Cap. 1. & 2. Sed non eodem modo; non auſim dicere non tam accurato; id enim eſſet odioſum aut invidioſum. Merentur nempe viri egregii juſtam laudem, & præconium ſuis laboribus dignum. Idque Defunctus ipſe, æquus virtutis omnium æſtimator, ſingulis tribuit loco laudato, quod comparatione non neceſſaria obſcurare noluimus.

Multiplex tamen diſcrimen liceat obſervare inter Ipſum & Alios, Alios nempe theoreticè ſcripſiſſe, Noſtrum theoreticè & practicè: Illos de Re, Hunc de Re & Modo: Illos argumenta attuliſſe, Hunc argumentorum proponendorum methodum tradidiſſe: Illos Doctrinam ſpectaſſe, Hunc Doctrinam Conſiliis prudentiæ accommodaſſe: Illos in communi, Hunc in particulari: Illos elencticè, Hunc etiam hiſtoricè: Illos finem intendiſſe,

Hunc

Hunc media etiam, aut finem & media, ſeu finem per media, & media ob finem: Illos de Gentilibus omnibus, Hunc de Indis præſertim: Illos officium Theologorum, Hunc Politicorum inſuper deſcripſiſſe: Illos quid à Chriſtianis, etiam Pontificiis, Hunc quid à Reformatis, ſed Batavis fieri debet: Illos denique quædam capita attigiſſe, Hunc omnia ex omnibus collegiſſe, & propria ſuperaddidiſſe, aliorum ſupplens omiſſa, errata corrigent, defectus perficiens, obſcura illuſtrans, incerta confirmans, difficultates removens, & præclare dicta præclarius demonſtrans.

Hæc non dico ut Opus commendem per ſe commendatiſſimum & ab Auctoris celebritate, qui nec meo nec alieno indiget teſtimonio; ſed ſuo Merito firmus, ſtat inconcuſſus contra ingruentes tempeſtates invidiæ & malignitatis, cui magni viri ſæpe, proh dolor! ſunt expoſiti, ut proceræ arbores, ac montes excelſi, & contra amentata venenatarum linguarum tela ac ſpicula invulnerabilis, niſi forte in calce, ut Achilles, non fictitius ille Græcoverus Chriſtianorum.

Præfandum tamen fuit, ne liber egregius prodiret ἀκέφαλος; & more recepto, ne vanæ novitatis gratiam captare videremur in re non neceſſaria, præter noſtrum & Auctoris morem: ſed paucis, ne Lectoris diligentis ſiſtamus impetum, & profectum moremur, Qui ſi emunctæ ſit naris, balſamum ſuaviſſimum ſtatim olfaciet; quo deguſtato curet vulnera ignorantiæ, erroris atque dubiorum Gentilium & Infidelium omnium. Legat igitur, perlegat & relegat Opus, quod etiam repetitum decies, placebit millies: Utinam vero excitaretur generoſus cujuſcunque animus, zelo percitus pro domo Dei, qui præclarum Opus in linguas vernaculas, verteret, imprimis in Belgicam & Indicam, ut hoc pacto Idiotæ etiam, in Indiam tendentes, diſcerent methodum Converſionis Gentilium; atque ita longinquæ navigationes Chriſtianorum noſtrorum Argonautarum ſanctificarentur, & Deus gloriæ per eas glorificaretur, ac Eccle-

ſiæ fines extendentur, ad Garamantas & Indos: *ſiquidem*, Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Quod ut feliciter contingat, Deum verum, omnis veritatis & gratiæ auctorem, ſupplex veneror, ut Gentilem Idolomaniam eliminet, atque falſorum Deorum cultum impium evertat, & gratiam veritatis ac veritatem gratiæ longe lateque propagt, quo ſolus agnoſcatur, colatur, invocetur, celebretur ab omnibus Gentibus, adeo ut iidem ſint Eccleſiæ & Orbis habitabilis fines, Deus ſit Redemptor omnium quorum eſt Creator, Regnum potentiæ & gratiæ eoſdem habeant terminos aut potius nullos: atque gratia particularis fiat univerſalis, non ratione perſonarum & temporum, quod nunquam fuit, nec jam eſſe poteſt, ſed ratione locorum & graduum. Ita Hoornbeekius poſt mortem adhuc loquetur altiſſima voce: eritque Pauli & Petri Socius, Evangelium prædicando Gentibus in hoc Opere, ut Judæis in Altero, & utrorumque quodammodo Evangeliſta, ſicque Apoſtolus τῆς ἀκροβυςίας καὶ τῆς περιτομῆς. *Ita vovet, ita ſperat, ita precatur.*

DAVID STUARTUS.

GRavem ob cauſam ſuppreſſeram nomen meum in vita *Cl. Hoornbeek*, ſed ob graviorem nunc exprimo. Illud nempe modeſtia honeſta ſuaſerat, hoc extorquet cautela neceſſaria. Ut enim vanam gloriolam non ambio, ita nec bruta fulmina reformidant lauri quibus cingitur caput Defuncti noſtri, reportata victoria de mundo & mundanis.

Errata quæ ob meam abſentiam & characterem minus nitidum irrepſerunt in Vitam & Præfationem excuſabit lector benignus. Graviora autem ſic corriget.

Pag. 8. impertas lege *impervias.*
15. conferrent *conferre.*
23. anni *anno.*
25. humorum &, dele, &.
27. Juvenes debent, lege *poſſunt.*
29. deturbarunt *deturparunt.*
30. Verba tranſpoſita ita reſtitue, *Deo igitur Doctorum Doctore eum illuminante, eique Spiritu Sancto Scripturæ ſenſum aperiente, ſupra vulgarem modum profecit.*
32. pluſquam lege *plus quam.*

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Libri Primi.

CAP.		Pag.
I.	*OPeris ratio, & partitio.*	1.
II.	*De India utraque, ejusque primâ indagatione, & ſocietate Indicâ apud Belgas.*	4.
III.	*De Gentiliſmo. Ejus nomine, ut & Paganorum. Quid Gentiliſmus ſit. Origo Idololatriæ.*	10
IV.	*De Gentiliſmo Antiquorum. Ac primo Chaldæorum, & Sabæorum. Ex horum contrariis ritibus multæ leges Moſaicæ explicandæ: & ab his nomina dierum ſecundum planetas: primaque aſtrorum idololatria. De idololatria Ægyptiorum. Progreſſus idolorum, ab aſtris ad ſubcœleſtia, ad homines denique, & animalia. De Græcis & Romanis. Poſtremo, de Germanis.*	16.
V.	*De Gentiliſmo hodierno: Africanorum & Aſianorum. De Indorum Brachmannis, antiquis & hodiernis. Guzurattenſibus. De religione hominum in regno Decam, Malabar, Narſinga, Zeylan, Pegeſiam, &c.*	28.
VI.	*De Sinenſibus. Formoſanis. Coreanis.*	43.
VII.	*De Japoniis.*	51.
VIII.	*De Tartaris.*	57.
IX.	*De Lappiis, Americanis: eorum terrâ primum, tum religione,*	59.

Libri Secundi.

CAP.		Pag.
I.	*DE Patribus Græcis & Latinis, qui adverſus Gentiles ſcripſerunt.*	77.
II.	*De recentioribus & modernis ſcriptoribus adverſus Gentiles.*	93.
III.	*De libris Sibyllinis, eorumque autore, & Pymandro Mercurii Triſmegiſti.*	102.

Digitized by Google

CAP. Pag.

IV. De Deo, quod ſit, quod unus, item qualis & quis. 20.

V. De mundo, ejusque creatione & gubernatione. 133.

VI. De homine, immortalitate & ſtatu animæ poſt mortem, & mortuorum reſurrectione. 142.

VII. De peccatis Indorum & Gentilium circa cultum Dei. 154.

VIII. De peccatis Indorum & Gentilium contra vitæ honeſtatem, inprimis ſextum & ſeptimum Decalogi præceptum. 167.

IX. De modo perſuadendi Religionem Chriſtianam, & inprimis divinitatem Scripturæ. 174.

X. De autoritate Chriſti & Apoſtolorum, & veritate Religionis Chriſtianæ. 181.

XI. De officio noſtro circa Gentilium converſionem, quæ ad nos etiam ſpectare probatur. 192.

XII. De modo convertendi Gentiles, & quæ hic ab Eccleſiis, Academiis & Politicis curanda & præſtanda ſint. 207.

XIII. De dotibus mittendorum. 219.

XIV. De modo & mediis à Doctoribus, ad converſionis opus promovendum obſervandis, negativis & poſitivis. 230.

XV. De felici converſione Indorum & Gentilium in America per Reformatos, nominatim Anglos, quorum exemplum ad imitationem proponitur.

pertinet poſt paginam 259.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMUS, DE CONVERSIONE INDORUM, & Gentilium.

CAPUT PRIMUM.

Operis ratio, & partitio.

SErió ſæpiuſque mihi cogitanti, & cum animo expendenti meo, ſacri muneris, quod in hominibus Chriſto lucrifaciendis ſitum eſt, gravitatem & ambitum univerſum, & quod ab eo tempore, quo à Magiſtro omnium dictum fuit diſcipulis, irent in mundum, & docerent gentes omnes; id ſuâ etiam ratione ſpectare ad omnes & ſingulos Euangelii miniſtros, præſertim nactos ad operis ſuſceptionem, itineris, quod in Apoſtolis non fuit, opportunitatem & commoda: haud abs re facturum me exiſtimavi, ſi quod olim fuimus polliciti, & dilatum opus Diſputationibus cum JUDÆIS, & SOCINIANIS fuit, nunc aggrederemur, de *Converſione* INDORUM, *& Gentilium*, ad quos Belgis, poſt alios, & præ aliis, jam libera admodum & frequens datur à longo tempore commigratio.

Siquidem in non minimâ felicitatis ponendum eſt parte, quod hoc, quo vivimus, ſæculo, & huic mundi, ubi nos degimus, particulæ, tanta totius orbis patet non notitia, ſed acceſſus, & communicatio cum iis etiam, qui ne de nomine quidem, nedum ſitu & conditione, cogniti Majoribus fuerunt. Nec innotuerunt tantum quà Orientis, quà Occidentis receſſus, ſed occupati, domiti, poſſeſſi Belgis ſunt, ab aliquo retrò tempore, ad Reip. non magis, quam regni Chriſti & Eccleſiæ opinor promovendas res & gloriam. Sic enim nos id interpretari æquum eſt, pro præſenti opere neceſſarium.

Quis enim credat, tantummodò ad regiones hinc inde explorandas & uſurpandas, vel ad terrarum avehendas opes, & corporalium rerum majorem vel ſuperfluam copiam, ad gloriam & inanes triumphos Belgici nomi-

Digitized by Google

nis, tam ſingulari Dei providentiâ ac munere, illa noſtris contigiſſe, & non potius ad Dei omnium autoris inferendam notitiam & cultum terris hactenus ab humanitatis & religionis contubernio alienis, & præter terram & terrena nihil ſapientibus, quum non Gentilibus aliis, ſed Chriſtianis præcipue illa adaperta ſint fere omnia, *extra anni ſoliſque vias*, regna, orbis prioribus & hactenus vulgatis longe ampliora?

Quippe ita Deus inſtituit, ut hominum, & terrarum quidquid uſquam eſt, ſe mutuò juvaret, nec tantum aliunde nos alia in noſtros uſus acquireremus, ſed & noſtra illis viciſſim pro referendi debito & officio, remetiremur, præſertim ſpiritualia & cœleſtia, quorum copiam & uſum Chriſtus nobis fecit, ut & aliis, & illis præſertim, quæ citra ullius damnum & invidiam conferri poſſunt, atque adeo debent, omnibus æque neceſſaria & ſalutaria, communicaremus χρύσεα χαλκείων. Quemadmodum enim Apoſtolus argumentatur, parum eſſe ut corporalia metamus ab iis, quibus ſpiritualia à nobis contingunt, 1 Corinth. IX. 11. viciſſim ut ſpiritualia recipiant, qui nos ſuis ditant corporalibus, æquum omnino videtur. Non quod pretio illa conſtent, vel nummis æſtimanda ſint opibuſve terrenis, *neque enim pretio ulla res Dei conſtat*, uti ad Gentes loquitur Tertullianus; & Athenagoras, contra Græcos, *major eſt doctrina de Deo, quam ut humanis muneribus compenſari queat*: ſed quod eo major futura ſit ingratitudo noſtra, ſi ne tantis quidem allecti beneficiis id præſtemus, quod etiam ſine illis facere tenemur. Nihil iſti, per quos aliquando Europæi, & in Septentrione poſiti populi, Euangelii notitiam adepti fuimus, receperunt, niſi verbera, perſequutiones, & cædes truculentas, quæ primam veritatis annunciationem & autores ejus comitari ſolent ac coronare: nos verò, qui, ſi non omnes, maximas ſaltem Gentilibus & Indis debemus merces ac opes noſtras, nunquam cogitabimus de remunerandis illis iſto bonorum genere, quod nec noſtrum eſt, ſed ſolius Dei, & non tantum citra jacturam, ſed nunquam ſine gravi lucro traditur quocunque, quo illi ex miſerrimis brevi fiant omnium feliciſſimi, quia optimi, quia Chriſtiani?

Certe Apoſtolus Gentium Paulus, præter iſta, quæ cum aliis Apoſtolis communia habuit ad docendum gentes omnes & homines, peculiari ardore in hoc flagravit adeo, ut non tantum libentiſſime acceperit conditionem prædicandi Gentibus, quomodo Petrus Judæis, ſed & ſtatim à vocatione ſua ad fidem & fidei promulgationem, ſenſerit ad prædicandum Gentibus vocatum, & non aliâ conditione Chriſtum ſe accepiſſe, quam ut eun-

Digitized by Google

ut eundem Gentibus manifeſtaret. Gal. 1. 15. 16. *Quando autem placuit Deo, qui me ſegregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam revelare ſuum mihi filium, ut euangelizarem eum gentibus, protinus non conſului cum carne & ſanguine.* Ecce autem quantam in hoc conſtituat gloriam, & quam ſingulare Dei æſtimet beneficium, prædicare Chriſtum Gentibus? *mihi ſanctorum omnium minimo data hæc eſt gratia, gentibus euangelizare imperſcrutabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes &c.* Epheſ. 3. 8. Non pro dedecore habet, ſed honore, beneficio, non vilipendio, nedum infamiâ, ad Gentiles ablegari, & ſummam minimo ſibi factam gratiam, ſanctis dignam, alios etiam ſanctos facere, præſertim ex prophanis & deploratiſſimis, quales ſunt Gentiles, colluſtrando eos & ditando Chriſti doctrinâ ac beneficiis? Quare uti conjungit *gratiam & Apoſtolatum* ſe accepiſſe, Rom. 1. 5. ita addit illis *ad obedientiam fidei apud omnes gentes.* Et 2 Tim. 2. 7. *ad quod ego conſtitutus ſum præco & Apoſtolus doctor gentium in fide & veritate.* Atque hinc Apoſtolo huic elogium manſit, Doctoris gentium. Imò ſanctâ aliquâ æmulatione & ambitione ſtimulatus, φιλοτιμούμενον ſe teſtatur noluiſſe Euangelium annunciare, niſi ubi antea per alios nondum allatum fuerat, ne ſuper aliorum fundamentum ædificare velle videretur, at potius implere hoc quod ſcriptum, *quibus non fuit annunciatum de eo, videbunt: & qui non audiverunt, intelligent.* Rom. 15. 20, 21.

Præterea diſputationes & rixæ inter Chriſtianos, & Reformatos etiam, quarum verè Chriſtianum & Reformatum facile tædium capit, hoc modo artificioſe, ſi non corriguntur, ſaltem devitantur, ſi à Chriſtianis velificatione inſtitutâ pergamus aliquando ad Gentiles, & cum his potius diſputemus pro Chriſto, & fide, ac pietate, quam ſi non adverſus ea, ſaltem exiguo ſæpe cum fructu, de iis contendatur inter Chriſtianos: unde Chriſtiani ferè prius deveniunt gentiles, quam Gentiles Chriſtiani. Non jam loquor de quæſtionibus earumque momento, ob quas inter ſe illi quoque digladiantur: id autem minime dubito, quin ex communi omnium ſententia liceat dicere, graviſſimas certe agitari inter Chriſtianos & Gentiles, quare & hujus loci diſputationes aliis longe præferendas eſſe, prout majoris pretii uſuſque eſt, Gentilem formaſſe Chriſto, quam Chriſtianum alteri cuicunque etiam in Chriſtianiſmo ſectæ, ſi forte meliori.

Tria verò in hoc opere nobis præfigimus. Primùm dare brevem Gentilium *hiſtoriam* & σύνοψιν, quà veterum, quà hodiernorum, nempe quod concernit ipſorum religionem, quam ita cum vulgo catachreſtice appellamus.

Digitized by Google

mus. Deinde *Diſputationem*, recenſitis controverſiarum cum iis ſummariis capitibus. Denique *Conſilium*, pro curandâ ipſorum & promovendâ, qui diſputationis finis ſemper eſſe debet, converſione ac ſalute.

CAPUT SECUNDUM,
De Indiâ utraque, ejuſque primâ indagatione, & ſocietate Indicâ apud Belgas.

I*Ndos* quando nominamus, cum vulgo loquimur, qui quia præcipui illi, ab iis alios ferè denominant. Eademque nomenclatione etiam America Occidentalis India appellatur, ubi tamen non eſt Indus fluvius, unde nomen ſuum habet India vera & Orientalis: ſive à Chriſtophoro Columbo, ante Americum Veſputium,qui conjunctas terras has putans cum Orientali India, inde & Indiam appellarit: ſive ſic ipſe acceperit à Nauarcho, quo indice primam locorum illorum notitiam fuerit adeptus, de quo dicemus poſtea ſuo in loco: ſive, quod propius vero exiſtimo, ex ſitu veræ Indiæ oppoſito nomen illud obtineat. Eſt enim proprie India regio in Aſiâ, *tertio orbis divortio*, inquit Solinus, necdum notâ quartâ Orbis parte, ſita intra duos præſertim fluvios, Indum, & Gangem, atque etiam ultra Gangem: unde Indiæ diviſio in eam quæ cis, & quæ ultra Gangem fluvium eſt, quæ paret hodie Magno Mogoli, Indoſtan vulgò appellata.

India tota ferme ſpectat Orientem: verba ſunt Curtii, ubi Indiam deſcribit, & Alexandri M. in eam expeditionem. Ab Occidente habet Indum fluvium, â quo regioni initium, & nomen, quem è montibus Caſſimeriis oriri, Belgis noſtris obſervatum ſcribit Hugo Linſchotanus, *Itinerarii cap. 7.*

Philoſtratus, in *vitâ Apollonii lib.* 3. meminit virorum Indi, & Gangis, qui quando extiterint, & an fluminibus nomen dederint, uti illa terræ, non dixero. Non ille verò ſolus, ſed & alii comparare amant Indum fluvium cum Ægyptiorum Nilo, nam & oſtia habet, ſed quinque, quibus illuat in mare, unde *Pang-ab*, quod ſignificat quinque aquas, Perſis dictus, & religioſe quoque habitus ab accolis.

Quod & *Gangi*, alteri atque celeberrimo Indiæ flumini, contingit, non ſolis Indis, ſed pluribus aliis ſacroſancto. Veteri ſuperſtitione, quâ aquis divinam & ſalutarem vim ineſſe, à ſceleribus purgandi, miſeris creditum. Quos Poëta riſit, an deflevit?

Ah nimium faciles, qui turpia funera cadis
Tolli fluminea poſſe putetis aqua.

Uti

Digitized by Google

Uti aqvis ſordes corporis, ita & animas purgari, facile creditum: unde & locutio, *eluere ſcelera.* Julius Firmicus, lib. de errore profanarum religionum: *Ægypti incolæ aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis ſupplicant, aquas ſuperſtitioſâ continuatione venerantur.* Et Philoſtratus, lib. III. aquas apud Indos ſacras haberi, jam tum ſcripſit, & nullum gravius æſtimaſſe illos juramentum, quam quod per illas nuncuparetur: deinde etiam iis expiari homines à culpis, à reatu, accepto aquæ cratere, quem culpæ, vel veniæ appellarunt. Atque hodie quando fœdus pangunt, jurare ſolent, ut ſi perfidi deprehendantur, habeantur æque ac ſi vaccam vel hominem occidiſſent apud Gangem fluvium, id eſt, pro ſumme ſceleratis. Deinde pro aſſequendâ peccatorum expiatione & indulgentiâ, ad fluvium illum frequentes inſtitui peregrinationes, notum. Inde ægri, & moribundi eo deferri cupiunt: vel etiam mortuorum cineres in eum conjiciunt, quò certius ſalventur. Quibus autem adire eum non contingit, vel aquâ ejus per omnes terrarum partes advehi ſolitâ, lavare ſe; aut ſi neque id liceat, ſaltem Gangis meminiſſe ſolent, & cupere *Ganga ſianam* Gange ablui, ut ne fructu ablutionis deſtituantur.

Nimirum ex Paradyſo eum oriri putant, & propterea eòdem cultores ſui deferre. Forte uti alia ex vero orta in errores & ſuperſtitionem deflexit Gentilitas, ita quod in Scripturâ eſt de fluminibus ex Paradyſo ortis Gen. II. II. huc detortum. Certe Piſon, è quatuor fluminibus unum, Theologos veteres, ac recentes aliquos de Gange interpretatos fuiſſe, notum.

Apud Linſchotanum, inde & alios, narratiuncula eſt de Bengalenſium Rege, qui pro explorando Gangis ortu inſtruxerit miro artificio naviculam, cui impoſuerat ad hoc educatos à teneris juvenes, ut adverſo flumine ad ejus tandem pervenirent caput: qui poſt menſes aliquot in eum delati locum fuerunt, ubi mirâ capti loci dulcedine, & rerum omnium hinc inde fragrantiâ, progredi ulterius non potuerunt, arbitrati iſtum eſſe locum Paradyſi. Quod ex ſententiâ Brachmanni Padmanabæ confirmat Abrahamus Rogerius, *lib.* II. *de religione Brachmannum*, *cap.* XIX. & ex ipſorum Vedam ſeu ſacratiſſimo legum libro petitum, ait, è cœlis deſcendiſſe Gangem, in locum Dewendræ, ſive Dæmonum ſubcæleſtium; inde, ad votum & petitionem alicujus Bagiretæ, in terram, quem ſequutus fuerit Bengalam uſque. Addit Philoſtratus, Indorum Regem flumini ſacrificare ſolitum, equis & tauris nigris: quem colorem præ aliis æſtimant; in hominibus etiam, quos nigricantes candidis anteferunt, uti elegantiores & formoſiores: album exiſtimantes leproſorum colorem eſſe, quales apud

Digitized by Google

ipſos permulti. Quin quod Deum nigrum putant, nec tantum Angelos: quod Xaverius ſcripſit, in epiſt. Indicis, ad Ignatium Lojolam, a. cIↄ Iↄ xliv.

Nihil attinet vetuſtiſſimas Gentium fabulas perſequi, de *Bacchi* primùm; cujus templum, & ſacra apud Indos celebria Philoſtratus etiam memorat: tum *Herculis* in Indiam adventu, à quo ſtructam urbem primariam Palicotram, ſive Palicattam, uti hodie vocatur, Diodorus ſcribit, *lib.* iii. Apud Curtium, *lib.* viii. *cap.* x. Indiæ reges *Alexandro* occurrentes, dicunt, ipſum tertium Jove genitum ad ipſos perveniſſe, priores famâ cognitos Liberum atque Herculem, ipſum verò coram adeſſe atque cerni præſentem.

Patrum noſtrorum ævo detecta primum à Luſitanis India fuit, ſub Emmanuele rege, poſt tentatum, ſaltem agitatum variè, à Prædeceſſoribus ejus, negotium. Quippe a. cIↄ ccccxcvii. miſſi à Rege, cum quatuor navibus, Vaſcus, & Paulus de Gama, Nicolaus Cælius, atque Gonſalvus Nunnez, ſuperato Bonæ Spei promontorio (quod ita nominatum à Rege fuit, quum alii de gravibus ad iſtum locum tempeſtatibus conqueſti, procelloſum caput vocarent, illis, *quin imo bonæ ſpei caput eſto*, reſpondit, & nomen loco iſtud indidit) relictâ poſt ſe Æthiopiâ, Arabiâ, anno ſequente, die Maji xx. Calicutum, primarium Indiæ, ad mare, locum, Rege ſuo clarum, appulere, & reverſi domum a. cIↄ ccccxcix. loca iſta Europæis primi aperuere. Poſt quos alii & alii, diverſis navium Claſſibus, ulteriora ſemper loca indagârunt, & vel occuparunt, vel fœdere prioribus addiderunt: de quibus legere licet Oſorium *de rebus geſtis Emmanuelis*.

Eodem verò tempore, quo Luſitaniæ Rex Orientalem; Rex Caſtellæ Ferdinandus Occidentalem Indiam detexit, ope Chriſtophori Columbi, Liguris, qui primùm à Genuenſibus ſuis, apud quos illa volverat aliquando, indigne ſpretus, etiam ab Anglis, ad quos venit ſub Honorio vii. irriſus, neque Luſitanis acceptus; tandem, ad inveſtigandas oras illas, naves ab rege Caſtellæ Ferdinando accepit tres, ad quas inſtruendas ſumtus Regi, qui omnes ſuas facultates abſumſerat in bello cum Moris, ſuppeditabat ſecretarius ejus; vid. ſedecim ducatorum millia: quibus a. cIↄ ccccxcii. Cubam, Hiſpaniolam, aliaque loca acceſſit & reperit. Deinde aliâ navigatione, ſecundâ anno cIↄ ccccxciii. & tertiâ, anno cIↄ ccccxcviii. in loca eadem reverſus, invidiâ & improbitate nobilium Hiſpanorum apud Regem delatus, quaſi omnia ad ſe rapere in longinquis oris meditaretur, revocatus domum, & tantus, tamque præclare de Hiſpanis non modò, ſed de genere humano meritus vir, vinctus compedibus,

in

in Hiſpaniam abductus fuit; quibus tamen à Rege ſolutus, & reſtitutus libertati mox fuit, ac loco: nam, quartum in Indiam navigavit a. cIↄ Iↄ IV. à quâ redux, in Hiſpaniâ obiit a. cIↄ Iↄ VI. Lepide verò dicitur aliquando æmulos ſuos in Hiſpaniâ excepiſſe, facinus ejus depreciantes & contemnentes, quaſi quoque alii idem in Hiſpaniâ facturi fuiſſent, quod ipſe fecerat, poſtulato ad menſam, ubi erant in convivio, ovo, contendens quovis pignore ſe facturum, quod ipſorum nemo; videlicet ut ovum nullo nixum adminiculo ſtaret rectum in menſâ: quod ubi fruſtra tentaſſent omnes, ipſe ſumto eo & leniter in altero faſtigio quaſſato impoſuit menſæ: quod cum facile omnes ſe jam imitaturos dicerent poſt ejus exemplum, ſe perſtringi ſenſerunt ſuæ, poſtquam in ipſo vidiſſent, quid in Indiâ fecerat, jactantiæ.

Poſt Columbum, cum alii, tum *Americus Veſputius*, juſſu ejuſdem Ferdinandi regis, in Occidentalem Indiam navigavit, primùm a. cIↄ ccccxcvii. deinde a. cIↄ ccccxcix. ac terræ nomen de ſuo fecit, America: qui binas poſtea in Auſtrum & Orientem navigationes inſtituit, juſſu Luſitaniæ regis Emmanuelis, a. cIↄ Iↄiii. quarum hiſtoriam ipſe conſcripſit, ad Renatum, regem Siciliæ.

Cum verò inter duos reges Caſtellæ, & Luſitaniæ, Ferdinandum atque Johannem, ſtatim in initio, propter novarum à Columbo regionum inventionem magna ſimultas oriretur, & diſcordia, quæ in bellum ſpectare videbatur, delata ad Pontificem, qui tum erat Alexander VI. controverſia fuit, qui pro poteſtate ſcilicet ſuâ, Pontificatus anno primo, cIↄ ccccxciii. rem ita decidit, ut ductâ quaſi à Septentrione in Auſtrum lineâ, *totum terrarum orbem ex æquo bifariam ſecuerit. Quæ pars vergebat in Orientem, hanc Johannes, facta ſibi ob juris antiquitatem optione, deſumſit: occiduâ Ferdinando relictâ*, Maffæus, *lib.* I. Ipſa bulla Alexandri legitur apud Bzovium, *Annal. Tom.* XVIII. *ad a.* cIↄ ccccxciii. apud Franciſcum Lopez de Gomara, *hiſtor. Ind. Occid. lib.* I. *cap.* XIX. & in Bullario Romano Laërtii Cherubini, Tom. I. data Ferdinando, & Eliſabethæ reginæ: *Motu proprio, non ad veſtram, vel alterius pro vobis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra merâ liberalitate, & ex certâ ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes inſulas & terras firmas inventas, & inveniendas, detectas & detegendas verſus Occidentem & Meridiem, fabricando & conſtruendo unam lineam à Polo Arctico, ſcilicet Septentrione, ad Polum Antarcticum, ſcilicet Meridiem, ſive terræ firmæ, & inſulæ inventæ & inveniendæ ſint verſus Indiam aut verſus ali-*

am

am quamcunque partem, quæ linea diſtet à qualibet Inſularum, quæ vulgariter nuncupantur des los Azores y cabo vierde, centum leucis verſus Occidentem & Meridiem, ita quod omnes inſulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ, à præfata linea verſus Occidentem, & Meridiem, per alium Regem, aut principem Chriſtianum non fuerint actualiter poſſeſſæ uſque ad diem nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, proxime præteritum: à quo incipit annus milleſimus, quadringenteſimus nonageſimus tertius, quando fuerunt per nuntios & Capitaneos veſtros inventæ aliquæ prædictarum inſularum, auctoritate omnipotentis Dei, Nobis in beato Petro conceſſa, ac Vicariatus Jeſu Chriſti, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, caſtris, locis, & villis, juribuſque & juriſdictionibus ac pertinentiis univerſis, Vobis, hæredibuſque & ſucceſſoribus veſtris (Caſtellæ & Legionis Regibus) in perpetuum tenore præſentium donamus, concedimus, & aſſignamus. Voſque & hæredes ac ſucceſſores præfatos, illarum dominos cum plena, libera, & omnimoda poteſtate, auctoritate, & juriſdictione, facimus, conſtituimus & deputamus. Ohe Pontificis Romani poteſtatem, & liberalitatem immenſam, in Reges, terras, & mundum univerſum! quam non alii tantum, ſed ipſi Gentiles obſtupuerunt, & riſerunt: præſertim ii, quorum res & cauſa agebatur, interque eos Peruanus rex Attabaliba, qui Pontificem inſigniter fatuum, & impudentem clamitabat, quod aliena tam liberaliter largiretur; apud Calvetonem, *hiſtor. novi orbis lib.* III. *cap.* III.

Præterea in eadem Bullâ Alexander, hoc nimirum ſolo facinore Alexandrum M. imitatus, omnibus aliis in mundo regibus ac dominis interdicit acceſſu ad illa loca: *Ac quibuſcunque perſonis, cujuſcunque dignitatis, etiam Imperialis & Regalis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam eo ipſo ſi contra fecerint incurrant, diſtrictius inhibemus, ne ad inſulas & terras firmas inventas & inveniendas, detectas & detegendas verſus Occidentem & Meridiem, fabricando & conſtituendo lineam à Polo Arctico ad Polum Antarcticum &c. pro mercibus habendis, vel quavis alia de cauſa accedere præſumant abſque veſtra ac hæredum & ſucceſſorum veſtrorum prædictorum licentia ſpeciali.* Nempe hic eſt δικαστὴς, non alicujus hæreditatis, quod Chriſtus à ſe removit Luc. XII. 14. ſed orbis univerſi. Ad quæ licet exclamare: *habeat nunc Roma pudorem!* Franciſcus à Victoria in Relectionibus Theologicis, *Relect. v. de Indis*, de titulis diſputans non legitimis, quibus novi orbis Barbari dicuntur veniſſe in poteſtatem Hiſpanorum, hunc etiam examinans de *authoritate Papæ*, negat primò, Papam eſſe dominum civilem aut temporalem totius orbis

pro

propriè quod ad dominium & poteſtatem civilem: deinde, datô, quod ſummus Pontifex haberet imo talem poteſtatem ſecularem in toto orbe, negat, quod poſſet eam dare Principibus ſecularibus: tum quia annexa foret Papatui, neque ab eo ab ullo Papâ poſſet ſeparari; tum quia privaret ſucceſſorem illâ poteſtate, quia non poteſt ſequens Pontifex minor eſſe præcedente. Unde concludit, *quod nec iſte titulus eſt idoneus contra Barbaros, vel quia Papa dederit provincias illas tanquam dominus abſolutè; vel quia non recognoſcunt dominium Papæ, habent Chriſtiani cauſam juſti belli contra illos.* Cæterum donationem illam Papæ refutavit Bergeron, in tractatu *de Navigationibus.*

Cumprimis autem decreto Pontificis Max. territi ſcilicet *Batavi* fuerunt, quum ſervente bello cum Hiſpaniæ & Luſitaniæ rege Philippo, qui naves noſtras commerciorum causâ in Hiſpaniâ agentes detinebat, & noſtris mercatu interdicebat in Hiſpaniâ, coacti alias terras petere, ad Indiam mercibus ſuis frequentandam, invito Rege & Papâ, animum applicuerunt: & admirabili Dei providentiâ, excluſi locis Europæis, remotiſſimas Hiſpani Regis ditiones adeuntes, heic locum, quem Rex in Hiſpaniâ negabat, jubente Deo, Regi extorſerunt. Quodque infelicitatem interpretabantur prius, expelli Hiſpaniarum regno, illud ipſis maxime profuit, hac neceſſitate compulſis remotiora quidem, ſed ditiora loca petere, & in ipſius Regis intrare theſauros ac auri argentique fodinas. Adeo injuſte vexatum, & ad incitas redactum populum, quando nihil conſilii ſupererat auxiliique, Deus ἀπὸ μηχανῆς vindicat, & quo alius putat ſe maxime premere innocentem & perdere, hoc promovet magis & juvat. Factum illud anno cIↄIↄxcvi. quo excluſi Belgæ Hiſpaniarum commercio, naves ſuas, conſilio *Petri Houtmerii* primùm deſtinarunt in meridionalem orbis plagam, Guineam, Inſulas S. Thomæ, Braſiliam, & vicina loca: reverſæque tandem ex Orientali Indiâ in Belgium fuerunt locupletes admodum, menſe Auguſto, anni ſequentis cIↄIↄxcvii.

Cumque initio liberâ & promiſcuâ mercatione noſtrûm quicunque fruerentur in Indiâ utrâque; & mox anno cIↄIↄxcviii. in ſolam Orientis Indiam naves viginti & una, tribus Claſſibus, Amſtelodamo unâ, alterâ Rotterodamo, tertiâ ex Zelandiâ mitterentur, atque hinc magna noſtris contingeret, ringentibus Hiſpanis, opum acceſſio, poſt, anno videlicet cIↄIↄcii. ad majus tum patriæ, tum civium commodum erigere *Societatem* Indiæ Orientalis placuit, & in unum corpus contrahere, quæ hactenus divulſa & ſigillatim à quibuſcunque gerebantur, autoritate & conceſſio-

Digitized by Google

ceſſione Ordinum Fœderati Belgii Generalium, 1 ex ad id conſtitutis Cameris ſeu Præfectorum Domibus, Amſtelodami unâ, alterâ in Zelandia, tertiâ Delfi, Rotterodami porro, Enchuſæ, atque Hornæ: ſummâ tonnarum auri ſexaginta, quâ prima Societatis conſtitit negotiatio. Quod divinâ locupletante benedictione, immenſum quotannis ita accrevit, ut acceſſus & reditus jam annuus primam ſummam longe ſuperet.

Denique ad exemplum Societatis Orientalis, agi cœptum de erigendâ Societate quoque Indiæ Occidentalis, anno cIↃIↃcvII. dilatumque per ſequentes Inducias negotium fuit uſque ad annum cIↃIↃcxxI. quo, autoritate Ordinum Generalium conſtituta demum fuit atque confirmata. Hiſce Indicis Societatibus non tantum quæſitum mercimoniis civium, ſed & Patriæ, adverſus hoſtes, firmamentum, ac propagandæ apud Gentiles Chriſtianæ fidei monſtrata & adaperta via, quæ nobis ſpectanda nunc eſt. Quod utinam quæſitum æque fuiſſet ſemper, atque illa! Saltem Dei providentiam digito indicaſſe ſementem copioſam in ſpiritualibus faciendam, negare haud poſſumus; & Dei etiam ac regni ejus, neque noſtris tantum, rebus promovendis, pro virili, eſſe incumbendum.

Jam quemadmodum Indicas dicimus Societates, quamvis ad alia etiam, quam veræ Indiæ deſtinatas loca, à præcipuâ autem parte ſeu plaga nominatas; ita propter eandem cauſam, & quia per Indica commercia ad alias gentes patuit noſtris aditus, de Indorum præſertim rebus & converſione dicturi ſumus, quæ ejuſdem conditionis gentibus aliis aptari queant ac inſervire. Quouſque nempe, religionem quod attinet, in gentiliſmo verſantur, & à ratione verâ, religione, ac fide Chriſti degunt alieni. Nam alii inter illos ſunt Muhammedani, & Judæi quoque nonnulli, verùm non iſtos, ſed Gentiliſmi errore imbutos nunc ſpectamus ſolos, & de iis præſens futura nobis eſt diſceptatio.

CAPUT TERTIUM.

De Gentiliſmo. Ejus nomine, ut & Paganorum. Quid Gentiliſmus ſit. Origo idololatriæ.

QUum autem varia ſint defectionum à Deo, & vero ejus cultu, genera, tum nullum eſt gravius, quodque latius per mundum ſe extendit, quam Gentiliſmus. Cui, à primo inde hominum lapſu, plures ſemper fuerunt impliciti, quam ab eo immunes; ac proinde communiſſimo

nomine

Digitized by Google

nomine gentium גוים ἐθνῶν ſemper appellati. Quum enim prorſus à Deo defeciſſent, & Diabolo aurem præbuiſſent primi homines, nonnullos quidem ſemper Deus pro infinitâ ſuâ gratiâ revocavit & reſtituit in gratiam, quâ apud ſe exciderant; ſed plurimi tamen manſerunt in profundo defectionis priſtinæ, non Deo, ſed Diabolo mancipati, & ſuis, quibus ille in ipſis dominatur, concupiſcentiis. Inde per pauciſſimas familias hærere Eccleſia, & intemerata religio, cæteris ſine Deo, & verbo, & cultu ejus in mundo agentibus: qui & ſemper, & ubique, numero plurimi fuerunt, uti boni & ſalvandi nunquam non pauciſſimi. In ipſis Eccleſiæ familiis, quot non paſſim extitere improbi, & probitatis ac proborum oſores manifeſti? Nec aliter habuit, Eccleſiâ per nationem, ſed unam Iſraëlitarum, diffusâ. Maxima ſemper mundi pars ſub antiqua defectione hæſit, non redemti aut allecti ad Dei Eccleſiam. Pſalm CXLVII. 19, 20. *indicat verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & jura ſua Iſraëli. Non fecit ita ulli genti, ideoque jura iſta non noverunt.* Cæteros, præter Iſraëlem, גוים *gentiles* defectio occupavit. *Quare tumultuantur gentes, & populi meditantur vana?* Pſalm II. 1. Quam vocem Græci, paucis locis exceptis, ubique transferunt ἔθνη, unde ἐθνικοὶ, oppoſiti populo Dei. Matth. VI. 7. *μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί.* & verſ. 32. *omnia enim iſta τὰ ἔθνη gentiles quærunt.* Illi populus Dei erant, hi non populus, לא עמי, Hoſ. I. 10. Deut. XXXII. 21.

Iſtud ergo nomen ab antiquo habuerunt, quandoquidem omnes gentes, una exceptâ natione Iſraëliticâ, tenebat apoſtaſia, variis utcunque mutata & induta formis ac modis: manſit nomen idem per omnia ſæcula, quamvis auctum alio, ſed contrariâ longe à priori ratione. Nempe quando qui *Gentiles* olim, *Pagani* dici cœperunt; quia converſis ad Chriſti fidem nationibus, & per imperium Chriſti nomine palam agnito, priſca Gentilitas ex urbibus fugata, in *pagis* diu permanſit ac retenta fuit. Quemadmodum ex profeſſionis amplitudine Gentiles dicti; ita à coarctatâ eâ & imminutâ per Chriſtianiſmum, paganiſmi nomen pro eodem uſurpari cœpit, & per contemptum gentiles pagani appellati. Quod factum à temporibus Conſtantini, Filiique ejus Conſtantii. Videſis Baronium, in Notis, ad *Martyrologium, ad Januar.* 31. *& in Annal. Tom.* III. *ad a.* 351. Alias enim vocis iſtius & appellationis origines repudiamus; vel à *Pagano*, Deucalionis, quod dicunt, & Pyrrhæ Filio; quem poſteri, inde Pagani dicti, pro Deo coluerint: vel à *fontibus*, quos πηγὰς Græci, Dorici, παγὰς vocant, & ad quos maxime frequentata Gentilium idololatria fuerit: aut quia *militiæ Chriſtianæ* non eſſent adſcripti, quos ſic olim appellabant,

Digitized by Google

quod Alciato viſum: quemadmodum Gentilium nomen, luſu magis tropologico, quam verâ nominis etymologiâ, exponunt alii quaſi qui tales ac geniti manent, abſque Circumciſione olim, hodie Baptiſmo, quæ Archidiaconi opinio eſt, in Juris Canonici XXVIII. qu. I. & ſequitur Marquardus de Suſannis, lib. *de Judæis*, *part*. I. *cap*. I. Illa, de reſiduo Gentilitiæ ſuperſtitionis diutiſſime in pagis ſuperſtite, poſt urbes & urbanos, Imperatorum, & Procerum exemplo, Chriſto adſcriptos, verior eſt, atque modis omnibus præferenda ſententia. Prudentius, lib. I. contra Symmachum: *Sunt hæc Barbaricis gentilia numina pagis,*

Quos penes omne ſacrum eſt quidquid formido tremendum, *Suaſit.*

Paganus à Pago, uti urbanus ab urbe. Salmaſius in epiſt. ad Sarrarium, inter hujus ad illum epiſtolas, pag. 90. *religio pagana inde appellata*, *quod in pagis adhuc perſeveraret*, *cum ab urbibus jam eſſet exterminata.* In hiſtoria apocryphâ Prochori, de vitâ Johannis Apoſtoli *cap*. 26. mulier ad templum Apollinis pergens, oratura pro ſalute filii, & interrogata ab Apoſtolo, quis, qualis eſſet, & quâ oriunda civitate, reſpondiſſe fertur: *de nullâ*, *ſed pagana mulier ego ſum*, *nunquam civitatem*, *niſi nunc ingreſſa.* Semipaganum ſe dicit Perſius, in Satyrarum prologo:

ipſe ſemipaganus
Ad ſacra Vatum, *carmen affero noſtrum.*

Semipaganus, id eſt, ſemiruſticus. Paulus Oroſius, in præfat. Hiſtoriarum, ad Auguſtinum: *præceperas mihi*, *uti adverſus vaniloquam pravitatem eorum*, *qui alieni à civitate Dei*, *ex locorum agreſtium compitis & pagis pagani vocantur*, *ſive gentiles*, *quia terrena ſapiunt.* Veræ vocis paganorum origini, *à pagis pagani vocantur*, addit alluſionem vel obſervationem magis tropologicam. In Capitulari Caroli Magni *pagenſis* dicitur, pro pagano: & *paganias* celebrare. lib. 5. cap. 2. *ut populus Dei paganias non faciat*: *ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abjiciat*, *& reſpuat*, *ſive profana ſacrificia mortuorum*, *ſive ſortilegos*, *vel divinos*, *ſive phylacteria*, *ſive auguria*, *ſive incantationes*, *ſive hoſtias immolatitias*, *quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt*, *ſub nomine ſanctorum Martyrum vel Confeſſorum*, *Deum & ſanctos ſuos ad iracundiam provocantes*: *ſive illos ſacrilegos ignes*, *quos nedfratres vocant*, *ſive omnes*, *quæcunque ſunt paganorum obſervationes*, *diligenter prohibeant.* En paganiſmi diuturnas in pagis reliquias: quin & hodierna putes deſcribi paganorum noſtrorum encænia. Adeo facile credimus, in pagis illa diutiſſime commorata, quod & hodie apud nos priſcæ Gentilitatis & Papiſmi ab eâ in quammultis non admodum abludentis,

Digitized by Google

tis, monumenta conſpicias nullibi frequentiora, quam iſtlac. Quid enim factum apud antiquos fuerit, Gentiliſmo cum Chriſtianis in confinio habitante, ex ætate noſtrâ & hodiernis moribus colligas, ſatis gentiliter in noſtris quoque pagis adhuc vigentibus, ut non in medio Chriſtianiſmi, & inter Reformatos agere te putes, ſed fere apud Barbaros & ſcientiæ & pietatis Chriſtianæ, quod pudet dicere, gentiliter rudes.

Noverint ergo & ſibi dictum, pagorum vel Eccleſiarum in pagis adminiſtri, Chorepiſcopi, quæ in Synodo à Bonifacio, & Francorum Epiſcopis, ſub Carlomanno habitâ, ann. IↃCCXLII. adverſus barbaros & paganos ritus conſtituta, & imperata Epiſcopis, audivimus: *ut ſecundum canones unuſquiſque epiſcopus in ſua parochia ſollicitudinem habeat, adjuvante graphione, qui defenſor Eccleſiæ ejus eſt, ut populus Dei paganias non faciat.* Atque ne dubitemus illa à nobis rite applicari paganorum noſtrorum moribus hodiernis, in Encæniis, Bacchanalibus, Kalendis, aliiſque feriatis diebus, addo Bonifacium, ſic loquentem ad Zachariam Papam: *ſicut affirmant ſe vidiſſe annis præteritis in Romanâ urbe, & juxta Eccleſiam ſancti Petri, die vel nocte, quando Kalendæ Januarii intrant, paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, & cantiones facere ſacrilegas, & nullum de domo ſua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque, ſe vidiſſe ibi mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habere, & publice venales aliis offerre.* Adeoque in urbe, & Romæ quidem, juxta Eccleſias, obſervata Paganicorum rituum monumenta: quæ urbibus pulſa in pagis diutiſſime hæſerunt, neque etiam hoc tempore ſatis expurgata.

Ignes illi *nedfratres*, vel *nedfri*, uti alibi vocantur, erant ignes à ruſticis accenſi feſto S. Johannis die, ad fugandas erucas, quaſi *nedfyrr*, vel *noodfyrs*, ignes vid. neceſſarii, ad averruncanda mala vermium: quare *nodfyrs* ſcribendum monet Lindenbrogius, in Gloſſario: additque, ruſticos homines in multis Germaniæ locis, feſto Johannis, palo ex ſepe extracto, circumligare funem ſolitos, illumque hac illac ducere, donec ignem conciperet, quem ſtipula aliiſque aridioribus aggeſtis lignis fovebant, ac cineres collectos ſuper olera ſpargebant, eo modo erucas abigi poſſe inani ſuperſtitione credentes. Eumque ignem vocaſſe *nodfeur*, quaſi ignem ad abigenda mala neceſſarium, vel adverſus malum iſtud prophylacticum: etenim malum quodvis *nod* appellamus in genere. Ignium iſto die excitari *ex veteri conſuetudine* ſolitorum, meminit etiam Belethus, in *Rationali divinorum officiorum, cap.* 137. quem vide.

 In quo

In quo verò ratio Ethniciſmi conſtituenda ſit, optime docet Apoſtolus, quando ſtatum Epheſiorum deſcribens, qualis erat ante Chriſtum prædicatum ipſis, agnitumque, cap. 11. dicit illos fuiſſe ſine Deo & Chriſto, extorres promiſſionibus fœderis, & communione populi Dei, verſ. 11. 12. *quapropter mementote, quod vos quondam gentes in carne, dicti præputium ab eâ quæ dicebatur circumciſio in carne manufacta, quod fuiſtis illo tempore abſque Chriſto, alieni à politia Iſraëlis, & peregrini à teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes, & athei in mundo. Nunc vero in Chriſto Jeſu, vos qui olim eratis longe &c.* atque ad Romanos cap. 1. 18. duabus definit partibus, impietate, & injuſtitia.

Unde talem licet formare deſcriptionem, quod Gentiliſmus *ſit*, totalis hominum à Deo, & vero ejus cultu defectio, ad idololatriam & impietatem omnem, atque injuſtitiam. Non defectio aliqua, ſed tota & *univerſalis*, à Deo ad Diabolum, & ad hujus cultum, ſive ad omnis generis idololatriam. 1 Cor. 12. 2. *Scitis quod quando eratis gentes, quomodo ad idola muta acti abrepti fuiſtis.*

Cumque Deus in Naturâ ſe manifeſtet, & Verbo, eoque Veteris Teſtamenti, & Novi: ab omnibus abeunt Gentiles, neque niſi ex Naturâ convinci poſſunt: Judæi etiam ex Veteri Teſtamento, quod adhuc retinent: & Muhammedani quadantenus etiam ex Novo, quod non in univerſum repudiant. Omnium deterrimi Gentiles. Illi infideles, quod non credunt Verbo Dei, ipſis oblato: iſti infidelibus etiam pejores, quo longius à Deo recedunt, neque ejus admittunt ullum, quemadmodum alii, verbum.

Non aliunde melius cognoſcas, quid Diabolus ſuâ ubique tentatione intendat, & quò hominem deducere inſtituat, quam ex iſtâ, quâ utrumque Adamum adortus fuit, primum hominem, & Chriſtum Jeſum, in Paradyſo illum, hunc in deſerto, & quamvis hîc repulſus & victus ceſſerit, aliter quam ibi, tamen ex methodo quâ uſus, & quæ utrobique attulit, nam magna inter utramque eſt analogia & ſimilitudo, apparent ejus perpetua νοήματα, quæ & inde debent nobis non eſſe ignota.

Præterquam quod utrobique à *dubitatione* pugnam orſus fuit, & animo injicere ſategit dubitationem de Deo, ejuſque veritate, numquid Deus dixiſſet? num Chriſtus eſſet Filius Dei? id unum affectat ſemper, ut abjecto Dei timore & reverentia, ſe in locum ejus ingerat, & tamquam Deum ab hominibus haberi curet. Aperte enim Chriſto tandem obtulit, ut ſe proſtratus adoraret. Unde conficitur, hanc ſummam tentationis, & defectionis eſſe, ut repudiato Deo, & ejus cultu, Diabolus pro Deo agnoſcatur ab

tur ab hominibus & adoretur. Quare in defectione totali, quæ ad primum hominis lapſum ſequuta fuit, & gentes omnes tenuit, quæque Gentiliſmus dicta, finis & faſtigium eſt, cultus Diaboli loco Dei: quemadmodum in variis idolis, quæ ſequuta fuerunt, Diabolus, tectius aliquando, aliquando apertius, cultus ubique fuit. Ut propterea Apoſtolus verè dixerit, *quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.* 1 Cor. 10. 20. Quodque negat idola aliquid eſſe, verſ. 19. *quid ergo dico? idolum aliquid eſſe? aut idolothytum aliquid eſſe?* non vult, idola nihil eſſe in rerum natura, vel nihil negativum, uti dicunt; ſed non id quod videntur & præ ſe ferunt, non iſtud, quamvis ſint aliquid: non quid Dei, ſed certe nimis multum Diaboli. Quemadmodum Pſaltes appellat זבחי מתים *ſacrificia mortuorum*, Pſal. 106. 28. id eſt, nulla vita præditorum. Sunt Dii mortui, carentes vita, & ſic eorum idola atque effigies. Pſalm. 115. 5, 6, 7. Unde Apoſtolus opponit, ubi prædicat Theſſalonicenſium converſionem, quod converſi erant ab idolis ad Deum, *ſervire Deo vivo & vero.* 1 Theſ. 1. 9.

Neque aliunde origo idololatriæ petenda, quam à prima illa Diaboli tentatione, & ſequuta inde hominis ſeductione: quia ſive analyſim ejus inſtituamus in autorem, ſive finem reſpiciamus, non eſt alius, quam Diaboli, pro Deo, inque ejus locum, cultus & veneratio. Nec putandum, quod demum incæperit ex affectu erga defunctos & eorum memoriam: quamvis non negemus, iſto etiam modo promotam, quam diverſis admodum ſpeciebus & ritu commendare ubique ſategit Dæmon, & homines, tum per ea, quæ in *naturâ* ſeu cœleſtium ſeu terreſtrium corporum obſervabant, tum quæ in *aliorum* actionibus, quos vel ob charitates *domeſticas*, vel *publica* facinora & benefacta, nimia devotione proſequebantur, gnaviter promoverunt: ſed ex primo peccato, & apoſtaſia, ſubducto hominum animis Deo, & in ejus locum regnante in filiis inobedientiæ Diabolo, hinc primùm ſui venerationem, cujuſcunque generis excogitata forma, miſeris ingeſſit. Atque iſtud mali omnis, & idololatriæ, & Gentiliſmi initium fuit, illaque ejus in prima tentatione ſemina.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De Gentiliſmo Antiquorum. Ac primò Chaldæorum, & Sabæorum. Ex horum contrariis ritibus multæ leges Moſaicæ explicandæ: & ab his nomina dierum ſecundum planetas: primaque aſtrorum idololatria. De idololatriâ Ægyptiorum. Progreſſus idolorum, ab aſtris, ad ſubcæleſtia, ad homines denique, & animalia. De Græcis, & Romanis. Poſtremò, de Germanis.

QUum verò tria fere agenda nobis ſint, & primùm exponendus Gentiliſmi *ſtatus*, ſuper quo; tum capita *controverſiarum*, de quibus, cum illis agamus; denique *conſilium*, quod forte pro eorum converſione ſuppeditemus: in enarrando Gentiliſmi ſtatu, duplicem conſiderare neceſſe eſt, *antiquum*, & *hodiernum*: neque enim hodiernus commode intelligitur, niſi præmiſſis iis, quæ tum propter præſentem rerum ſtatum, tum Gentilium in genere, ex antiquo noſſe expedit.

Epiphanius, in initio Panarii, hæreſes & ſectas in religione quaſcunque revocat ad quinque capita, tamquam ad fontes, unde ſingulæ profluxerint, Barbariſmum, Scythiſmum, Græciſmum, Judaiſmum, & Samaritaniſmum. Barbariſmum ab Adamo deducit, per decem generationes, uſque ad Noachum: Scythiſmum, à Noæ temporibus, uſque ad ædificationem turris Babylonicæ: Græciſmum, à temporibus Seruch, & deinceps: ac quatuor ſectarum nomina deprehendit in loco Apoſtoli, quando docet in Chriſto nil differre Græcum & Judæum, Barbarum, aut Scytham, Col. 3. 2. ſed præterquam quod Barbarus potius commune nomen ſit, quam gentis aut ſectæ particularis, non etiam origo & limites recte videntur ita, uti fecit, conſtitui, ſeu Barbariſmi, ſeu Scythiſmi. Quare meliori, opinor, ordine, ad inſtitutum ſaltem noſtrum magis accommodato, Gentiliſmum, tum *ætatis*, tum *locorum* habita ratione, diſpartiemur in *antiquum*, & *hodiernum*. Ille comprehendit ſuperſtitiones *Chaldæorum*, & *Ægyptiorum*, tum *Græcorum*, præterea *Romanorum*, denique *Germanorum*. De quibus nonnulla venient nobis annotanda.

Chaldæorum religio viguit ante Abrahamum; cui parentes ejus deditos fuiſſe, hiſtoria teſtis eſt. Joſ. 24. 2. *ultra flumen habitabant majores veſtri olim,*

Digitized by Google

olim, Therach Pater Abrahami, & Pater Nachoris, colebantque Deos alienos. Ex Ur Chaldæorum egreſſus Therach fuit, cum filio Abrahamo, & familiâ. Geneſ. 11. 31. primò Haranem uſque: tum Harane porrò profectus Abram, mortuo in Harane Patre Theracho, in Canaan. Geneſ. 12. 10. atque ita Deus eum dicitur eduxiſſe ex Ur Chaldæorum, in terram Canaan. cap. 15. 7.

Chaldæi illi & Haranæi fuerunt *Sabæi* religione, eoque nomine in ſcriptis Arabum, & Judæorum celebrati. Unde titulus libri Ahmodi, quem citat Hottingerus in Hiſtoriâ Orientali, lib. 1. cap. 8. *de ritibus Haranæorum, Chaldæorum, qui Sabæorum nomine vulgo noti ſunt.* Maimonides, in More Nevochim, part. 3. cap. 29. *Notum eſt, Abrahamum Patrem noſtrum educatum eſſe in fide Sabæorum, qui ſtatuerunt, nullum eſſe Deum, præter ſtellas.* Stellas pro Diis habuerunt, & duo luminaria pro Dîs majorum gentium, & omnium maximum Deum, Solem. Ac propterea mundum credebant æternum eſſe, ut tuerentur aſtra & orbes eſſe Deos. Adamum quoque, inſtar aliorum hominum, ex viro & fœmina progenitum, fuiſſe Apoſtolum Lunæ, & homines ad cultum ejus incitaſſe, atque libros ſcripſiſſe de culturâ terræ, autumabant. Hanc prorſus ſubjiciebant aſtris, tamquam numinibus, inter quæ ſic partiebantur, ut hujus & illius climatis Deum facerent ſtellam hanc & iſtam Atque inde ſtellis erexerunt imagines, Soli aureas, argenteas Lunæ, aliis alias, quas appellarunt הטלסמאות *Tilſemoth*, ſic fabricatas, ut ſingulari ratione recipere cœleſtes influentias, & peculiari vi præditas, ad ſignificanda & efficienda arcana quævis & admiranda, crederent. Quare & divino honore proſequebantur illas atque adorabant.

In Magorum diſciplinâ & libris vulgata eſt Taliſmanica. Neque diſſimiles fuiſſe imagines, ab Hebræorum Teraphim, eſt probabile. Maimonides in Miſchnam, Avodazara, cap. 4. הנקראתצאבים ועקר זה באומות, *& radix hujus idololatriæ eſt apud gentem, quam Sabæam vocant, quæ gens eſt, ex qua egreſſus eſt Abraham pater noſter p. m. & diſputavit contra eorum errorem & ſententiam perverſam, pro ea, quam Deus ex corde ejus dedit, ſapientia. Honorabant autem & venerabantur ſtellas, iiſque operationes, quas non habebant, tribuebant.*

Cæterum tanto quidem ardore & vi contra illa diſputaſſe Abrahamum ſcribunt, & dum ei objicerentur aſtrorum, Solis imprimis, operationes, ſic iſtud continuo retorſiſſe, ſolem eſſe in manu Dei, uti ſecuris in manu cædentis; ut Rex carcere eum claudi juſſerit, & ne ſic quidem ceſſantem,

veritus

veritus regno & religioni ſuæ detrimentum, fiſco adſcriptis ejus bonis, in fines Syriæ relegarit. Hinc ipſi dictum, propter nefandas, quas aſſidue pro Dei nomine patiebatur, contumelias, *benedicentibus tibi benedicam, & maledicentibus tibi maledicam.* Geneſ. 12. 3. Sic de illo Judæi.

Sabæorum autem uti antiquiſſima idololatria, & ſuperſtitio, quouſque vid. Scriptorum adſcendit recordatio, ita latiſſime per orbem diſperſa fuit. Maimonides, in More: *Illi ſunt de reliquiis nationis Sabæorum, quæ gens totum terrarum orbem impleverat.* & part. 1. cap. 63. *Noſti, quantum illis temporibus invaluerit hæreſis Sabæorum, & quomodo omnes prope in univerſum homines, nonniſi paucis exceptis, idololatriæ addicti fuerint, ita ut ſtellis & imaginibus, quas illis fecerant, omnem virtutem divinam & ſpiritualem adſcriberent.* Neque tantum ampla fuit iſtius ſectæ per univerſum orbem diffuſio, ſed & duravit diutiſſime, adeo ut in Alkorano Muhammed ejus quoque faciat mentionem, & ſuis permittat cum illis ferire fœdus.

Neque omittendum, quod Maimonides ait, *More Nevochim, part. 3. cap. 29.* multarum legum rationes & cauſas innoteſcere ex conſideratâ religione & ritibus Sabæorum, Iſraëliticæ contrariis, & quod conſtituta apud Judæos permulta ſint oppoſite ad Sabæos. Uti, quod Deus juſſit Sanctum Sanctorum extrui, & preces ac cultum dirigi verſus occidentem: quia nimirum Solicolæ Sabæi ad orientem ſe convertebant. Lex Exod. 28. 42. ſacerdotes femoralia induere præcipit, cultus ſacri tempore, ad tegendam carnis nuditatem: quia Gentiles in cultu Baal Peor retegebant nuditatem. Prohibetur mulier induere veſtimenta viri, Deut. 22. 5. quoniam apud Sabæos vir jubebatur habitum mulieris induere, quando coram Venere ſtabat, & loricam aſſumere & arma bellica, quando ſtabat coram Marte. Et ſic de pluribus ſtatuit, eorum rationem peti ex moribus uſitatæ tum temporis ubique fere idololatriæ: & ut diverſum ab illis gererent animum, alia & contraria ipſis imperata à Deo fuiſſe. Quemadmodum Deus ſemper cavit, uti ſuorum mores quam longiſſime à Gentilibus diſcrepent: *ne ergo iis fiatis ſimiles.* Matth. 6. 8. Quomodo quæ in lege toties dicuntur adverſus hariolos, magos, augures, præſtigiatores, & ſimiles, eos ut deteſtarentur Iſraëlitæ & caverent, ad Sabæos reſpicere, contra illos dicta, non immeritò creditur.

Imo quemadmodum nomenclatura dierum hebdomadæ, apud omnes fere gentes olim, atque ab ultimâ hominum memoriâ, obtinuit fere eadem, juxta ſeptem planetarum nomina, ut dicantur dies Solis, Lunæ, Martis &c. ita hoc ipſum ab antiquis Sabæis non fruſtra derivatur, qui

hoc

Digitized by Google

hoc modo cultum erga Planetas Deos ſuos teſtati fuerunt, ut dies hebdomadæ illis conſecrarent. Nam uti ex Autore Arabico Cl. vir Hottingerus: *diem primum ſacrum faciunt Soli; ſecundum Lunæ; tertium Marti; quartum Mercurio; diem quintum Jovi; ſextum, congregationis diem, Veneri, cujus nomen eſt Beltab; & ſeptimum Saturno.* Etenim nominari certo modo debuerunt dies æque, ac menſes, & dierum nominatio eſſe communis: cujuſmodi res ſemel uſu confirmatæ vix mutari poſſunt poſtea & corrigi: ſic ab antiquiſſimis, quicunque etiam illi fuerint, morem illum dimanaſſe credibile eſt. Quare quemadmodum ex aſtrorum ſcientiâ, vel honore, nomina illa profluunt; ita nihil obſtat, ad vetuſtiſſimos Sabæos referre, qui ante alios cultu aſtrorum excelluerunt. Unde & difficultas, illa nomina, utcunque improbanda, & manifeſta impiæ ſuperſtitionis monumenta, commutandi in melius. Cum iis tamen facere nos, qui hæc emendata, & vel Chriſtiana, vel ſaltem minus ethnica cupiant, quamvis conſuetudinis torrente abrepti, loquamur cum vulgo, alibi profeſſi fuimus, & nonnulla in hanc rem protulimus, *Summæ Controverſ. lib.* 10. Nihil autem impedit, utcunque non poſſis communis uſus mala corrigere, indicare tamen, & teſtari animi ſententiam à vulgatâ & malâ praxi alienam. Quamvis nec id habeant nunc illa nomina, quod primâ ſuâ inſtitutione, & naturâ ſignificant. Quo minori cum ſcrupulo iis hodie uti licet, vel abuti.

Illi ergo Gentilium primi Chaldæi, vel Sabæi, & prima Gentilitiæ idololatriæ rudimenta videntur ab *aſtris* incæpiſſe, & eorum cultu. Quemadmodum, neglecto veri Dei ſenſu & ſuperſtitione, cœleſtia illa corpora corpora maxime ſolent homines in admirationem ſui rapere & reverentiam. Interque illa præcipue duo luminaria magna, & primum horum Sol, qui quia diei & orbi dominatur luce ſua ac calore, à primis, & quamplurimis ſemper gentibus pro numine habitus, & ſub nomine בעל *domini*, vel *Bel, Beli*, & *Moloch*, nam creatus Sol ad regendum diem לממשלת היום Geneſ. 1.16. cultus fuit.

Arnobius, lib. 1. *Solem Deum cum eſſe credatis, conditorem ejus, opificemque non quæritis? Luna cum apud vos Dea ſit, &c.* Vetus inſcriptio: SOLI. INVICTO. ET. LUNÆ. ÆTERNÆ. Ac proinde Deus ab eo quidem primùm dehortatur, Deut. 4. 19. *ne forte eleves oculos tuos in cælos, & videas Solem ac Lunam, atque ſtellas, cum univerſo exercitu cælorum, & impellaris, ut adores atque colas ea.* Et Jobus, quando hoc agit, ut omnem à ſe removeat idololatrici cultus ſpeciem, inquit cap. 31. 26,27. *ſi adſpexi Solem, quum ſplendeſceret, aut Lunam mobiliter incedentem.*

Digitized by Google

Poſt Chaldæos ſecundo loco ponimus *Ægyptios*: qui aliàs merentur primo loco nominari. Propheta Jeremias, ubi vaticinia in Gentes profert, primos adit Ægyptios: cap. XLVI. 1. 2. *verbum Jehovæ, quod fuit ad Jeremiam Prophetam, contra gentes. De Ægyptiis.* Et ultra Ægyptios alii in recenſendâ idololatriæ hiſtoriâ non adſcendunt, vel ignorantes ſuperiores Chaldæos aut Sabæos, vel eos una comprehendentes.

Diodorus Siculus, haud procul ab initio: *apud Ægyptios Deorum genus primum fuiſſe fabulantur: aſtrorumque ab iis veteres repertas obſervationes.* Ubi antiquiſſima aſtrologiæ, ibi & idololatriæ, monumenta: quandoquidem in colendis aſtris primùm iſta occupata fuit. Ab *aſtris* ad *elementa*, ab his ad *homines* progreſſa, ab hominibus ad *animalia*, hinc denique ad terræ fruges ac *plantas*, & quidquid *figmentorum* ad illa, vel alia deſignanda fuit reliquum. Vetus orbis ἐξήγησις, edita à Gothofredo, de Ægypto: μηδαμόθι γὰρ *nuſquam enim terrarum ſacra Deorum ita celebrantur, ut ibi jam ab antiquo, & uſque nunc: & verò ipſa propemodum omni orbi terrarum Deorum cultum tradidit. Dicunt equidem nonnulli, Chaldæos melius adhuc colere; ſed enim quos videmus, & miramur, & in omnibus primos eſſe aſſerimus, ſiquidem ibi Deos habitaſſe, imo & habitare ſcimus.*

Supra omnes gentes ſuperſtitioſa fuit Ægyptus. Et primò quidem Solem ac Lunam coluerunt ſub nominibus Oſiridis, & Iſidis. Diodorus: *igitur primi illi homines olim in Ægypto geniti*, ibi enim primos homines extitiſſe credebant, *hinc mundi ornatum conſpicientes, admiranteſque univerſorum naturam, duos eſſe Deos, & eos æternos, arbitrati ſunt, ſolem & lunam: & illum quidem Oſiridem, hanc Iſidem certa nominis ratione appellarunt.* Oſiridem, ſive ſolem, radiatum; Iſidem, cornutam faciebant, quia Luna quando creſcit, cornua quaſi aſſumere videtur. Hæc verò à Sabiis vel Chaldæis perveniſſe ad Ægyptios, declarat etiam nomen Thammuz, ſub quo cultus Oſiris, & quem Iſraëliticæ mulieres defleverunt apud Prophetam Jezechielem, cap. 8. 14. & viri, verſ. 16. *quorum terga erant ad templum Domini, facies autem verſus Orientem, adorabantque Solem ad Orientem.* Et Joſias Rex deſtruxit equos Soli poſitos à Regibus Judæ, ab ingreſſu Templi, 2. Reg. 23. 11. Jam vero celebratiſſima apud Sabios fuit Thammuzi memoria, & fabula, quam de eo narrat Maimonides, More Nevochim, lib. 3. cap. 29. *antiqua valde eſt hiſtoria de Thammuz apud Sabios.* Notat prophetam Solis, vel Solem, qui aliis Oſiris, maritus Iſidis; apud alios Adonis dictus. Sic frequenter confudere Gentiles ſuâ religione & numinibus mundi naturam, & hominum hiſtoriam: in quibus poſtmodùm

modùm ſecernendis maxime ſudavit eruditorum induſtria, non pari, uti quidem viſum, fructu, ac labore: poſt omnes, ſimul & ante omnes, Joh. Ger. Voſſii, in libris de Theologia Gentili, ſive de origine ac progreſſu idololatriæ, *ad veterum geſta, ac rerum naturam, reducta*.

Ab aſtris ad ſubcœleſtia deventum, & ſpiritum, ignem, terram, aquam, aërem, tamquam primas mundi partes, ad inſtar membrorum in humano corpore, pro Diis habuere. Etenim eos partiti fuerunt in *cæleſtes*, atque *terreſtres*: atque hos ex hominibus aſſumſere, qui vel regnandi autoritate, vel aliis beneficiis, nomen & gloriam, atque venerationem à poſteris adepti fuerant, διὰ δὲ σύνεσιν, καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν, τετυχηκότες τῆς ἀθανασίας. Tales in Ægypto fuerunt Vulcanus, Saturnus, Jupiter, atque Jovis ex Junone filii, Oſiris, Iſis, Typho, Apollo, Venus, alii, de quorum vel factis, vel inventis immania fabulantur. Nec tacendus Mercurius, litterarum inventor, & qui nomina rebus impoſuit, cujus libros quadraginta duos, religionis & philoſophiæ rationem comprehendiſſe, atque ab Ægyptiorum Sapientibus ediſci ſolitos, commemorat Alexandrinus Clemens, *Stromat. lib. 6.*

Oſiridis (quæ Gentilium in tradendis rebus ſuis fuit vanitas & confuſio, varios & varia eodem nomine & numine denotare ac colere ſolitorum) filii, Anubis & Macedon, quia pro inſignibus habebant canem, & lupum, hæc etiam *animalia* religioſo cultu proſequenda putarunt. Nec iſta tantum, ſed alia; nec ſola viventia, ſed quoque mortua, & felem, & ichneumona, & canes, & accipitres, ibides, lupos, crocodilos, ac ſimilia. Idque cùm ob alias rationes, quas tres adfert Diodorus; tum præſertim uſus & commoda, quæ præſtant hominum vitæ atque ſocietati. Præ aliis bovem coluerunt, ſeu Apim: quod & Iſraëlitæ, in deſerto imitati, facto vitulo: atque Apis ſymbolo Joſephum patriarcham, ob providam ejus in alendis hominibus curam, cultum, Eruditorum plurium eſt ſententia. Neque apud omnes omnia, ſed Apim quidem Memphi, Mneum Heliopoli, Midetæ hircum, alibi alia præ aliis animantia in pretio fuiſſe, proditum. Clemens, in Protreptico, ad Gentes: *Ægyptii autem diſperſi ſunt in varios cultus ac religiones. Ex his Syenitæ quidem colunt piſcem Phagrum. Mæotem autem (eſt vero hic quoque alius piſcis) colunt, qui habitant Elephantinam. Oxyrinchitæ autem piſcem ſimiliter, qui ab eorum dictus eſt religione. Præterea Ichneumonem Heracleopolitæ: Saitæ autem Thebani ovem: Lupum autem Lycopolitani. Canem vero Cynopolitani: Apim Memphitani: Hircum Mendeſii.* Hinc idem ſcite *Pædagog. lib. 3. cap. 2.* hypocritam cum religione

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ægyptiorum comparat, quorum templa extrinſecus erant deaurata, & admodum magnifica; verùm introſpecta propius, pro numine animal aut bellua aliqua, vel felis, aut crocodilus, ſerpens etiam ſuper purpuream ſtragulam, oſtenſa adorabantur. Sic hypocritam apparere alium ſpecie externâ, & nitidum valde ac religioſum; intus autem refertus eſt belluinis moribus ac turpitudinibus. Tacitus hiſtor. lib. 5. *Ægyptii pleraque animalia effigieſque compoſitas venerantur.* Et fruges, herbaſque etiam vulgariſſimas illis religioſè habitas, notum. de quo Juvenalis:

Porrum & cæpe nefas violare, & frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Quæ Apoſtolus ſignificavit, Rom. 1. 23. *mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis hominis corruptibilis & volucrium, & quadrupedum & reptilium.* Nugaciſſima & ſuperſtitionum fertiliſſima fuit gens Ægyptia: non obſtante, quod apud eam aliquamdiu diverterunt Iſraëlitæ. Sed qui ipſi non minùs multa ab illis, quam hi ab ipſis, acceperunt. Nempe quantum ab Iſraëlitis illi, tantum fere ſcabiei hi videntur affricaſſe Iſraëlitis. Magiſque mirum, illa ab Iſraëlitis, veri Dei præſentiâ & notitiâ claris, adoptari; quam primùm ab Ægyptiis præſtari potuiſſe. Magna inter utramque gentem, quo tempore juxta ſe habitarunt, fuit ſocietas, &, utcunque ſegregati in ſpeciem, de ſuo nonnulla communicarunt Ægyptiis, & ab his quoque multa mutuarunt. Habitaſſe olim in Ægypto Judæos, neque Ethnicis ſcriptoribus ignotum fuit. Unde hinc Judæorum originem petit Tacitus, *Annal. lib.* 5. & exactos Ægypto, à Rege Occhori fuiſſe, ex plurium conſenſu & fama tradit. Ægyptii ab Hebræis, quidquid ſani apud ipſos, accepere; ab Ægyptiis Gentilium alii, præſertim Græci, qui ſcientiæ profundioris acquirendæ causâ Ægyptum vulgo petebant. Sed & alia habuerunt ſibi propria. Nam Moſes inſtitutus dicitur fuiſſe à puero, ἐπαιδεύθη, in omni ſapientiâ Ægyptiorum, Act. 7.22. Quod verò ab Hebræis Ægyptii, ab his cæteri Gentilium præclara multa hauſerunt, à multis veterum Theologorum oſtenſum adverſus Gentiles fuit, præſertim à Clemente Alexandrino, & Euſebio.

Id autem maximopere deteſtandum, Iſraëliticam nationem adeo potuiſſe, cum quibuſcunque verſaretur, eorum ſuperſtitiones amare & ſequi: in ipſâ adeo Ægypto. Quod Deus illis exprobrat, Jezech. 23. 19. *multiplicat enim ſcortationes ſuas, recordando dies pueritiæ ſuæ, quibus ſcortata fuerat in terra Ægypti.* In Ægypto, horum ſectati idololatriam fuerunt;

runt; in deſerto, vicinorum; in terrâ ipſa, aliorum quorumcunque paſſim. Jam & primis Eccleſiæ familiis, ſuperſtitio Chaldæorum & Sabæorum frequenter adhæſit. Etenim Eccleſia ſuas habuit periodos: primam, & quaſi domeſticam, in Patriarcharum *familiis*: tum in *natione* integrâ Cananæa, diſpoſita per illam Dei populo; quæ nunc per totum *mundum* facta eſt catholica.

Porrò ab Ægyptiis *Græci* admodum multa petivere, & religionis plura capita, niſi quod, quæ pudenda & ridicula Ægyptii habebant, in cultu præſertim animalium, & frugum, ea paulo minus affectarint, meliori imbuti philoſophiâ, & ratione, cui præ illis erant dediti. Græcorum autem antiquiſſimos & ſapientiſſimos in Ægyptum certatim abiiſſe, & quæ ad ſapientiæ faciebant ſtudium, inde reportaſſe, nemo ignorat. Hoc Orpheus, Muſæus, Homerus, Lycurgus, Solon, Plato, Pythagoras, Democritus fecerunt, aliique. Ex Eupolemi libro de Regibus, Clemens *Stromat. lib.* 1. Moſem ſapientum primum litteras Judæis tradidiſſe, à Judæis illas accepiſſe Phœnices, denique à Phœnicibus Græcos, docet. Atque è Phœnicum doctrinâ pluria in Græcorum diſciplinam commigraſſe Veterum multi tradiderunt, apud Judæos Joſephus, apud Chriſtianos Euſebius, in libris *de Præparat. Euangelicâ*, præter alios, atque recentes.

Etiam religionis haud prorſus abſimilis ratio ab Ægyptiis tranſiit ad Græcos. Herodotus, in Euterpe, duodecim ſigna cœleſtia primùm ab Ægyptiis obſervata meminit & culta; tum à Græcis: *duodecim eorum nomina primos dicunt Ægyptios feciſſe, & ab illis accepiſſe Græcos.* Sic Jovis, Junonis, Saturni, Apollinis numina apud utroſque celelebrata. Et ad naturam, vel de Theologiâ naturali ſimiliter fere philoſophati fuerunt utrique. De quo videnda Heſiodi *θεογονία*.

Ἐξ ἀρχῆς ὧν γαῖα καὶ Οὐρανὸς ἔτικτεν
Οἵτ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοί.

Jam de *Romanis*, tanquam cloacâ Deorum, ad quos omnium gentium idola ac ſuperſtitiones deſtillarint, loquendum. Minutius, in Octavio: *per univerſa imperia, provincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, ut Eleuſinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, univerſa Romanos.* Quidquid Deorum alibi fuit, Romanis omnium avidis, omnium dominis, mox arriſit, & adhæſit. Quibus de ſuo, prout hominum ingenium ſuperſtitionum valde ferax eſt & mire amans, addiderunt quodcunque addi inſuper potuit.

Quare

Quare Deos primùm diſtribuerunt, in *certos*, & *incertos*; quorum de divinitate nondum ſatis conſtaret, & *Semideos* appellat Ovidius: quales Nymphæ, Satyri, & monticolæ Sylvani:

Quos quoniam cæli nondum dignamur honore,
Quas dedimus certè terras habitare ſinamus.

Metamorphoſ. 1. Incertam Deorum turbam ſignificabat formula; in comprecationibus & evocationibus uſitata, *Dii Deæque:* vel quum dicerent, *ſive tu Deus es, ſive tu Dea.* Ne memorem Athenienſium Deum ignotum. Auguſtinus, de Civitate Dei, lib. 3. cap. 12. *ſub tot Deorum præſidio, quos numerare quis poteſt, indigenas & alienigenas, cælites, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluviales: &, ut Varro dicit, certos atque incertos.* Prudentius, contra Symmachum, lib. 1.

Quidquid humus, pelagus, cœlum, mirabile gignunt,
Id duxere Deos, colles, freta, flumina, flammas,
Hæc ſibi per varias formant elementa figuras.

Turpiſſimum verò, tot vana illos confinxiſſe rerum quarumcunque & vulgarium, nec ſeriarum ſæpe, nec honeſtarum, numina ludicra, ipſo ſono ridenda. Qualia fuerunt, Dea Cloacina, Educa, Potina, Volupia, Febris, Feſſonia, Flora, Pavor, Vagitanus, Robigus &c. Cyprianus, de idolorum vanitate, *Romanorum autem vernaculos Deos novimus: eſt Romulus pejerante Proculo Deus factus, & Picus, & Tyberinus, & Pilumnus, & Conſus, quem Deum fraudis, velut conſiliorum Deum, coli Romulus voluit, poſtquam in raptum Sabinarum perfidia pervenit. Deam quoque Cloacinam Tacius adinvenit & coluit, Pavorem Hoſtilius atque Pallorem, mox à neſcio quo Febris dedicata, & Acca, & Flora meretrices, hi dii Romani.* Atque Auguſtinus haud uno loco illa ſalſe ridet, & perſtringit, de Civit. Dei, lib. 5. cap. 8. & 11. & 21. cap. 16. *Miror autem plurimum, quod cum Deos ſingulos ſingulis rebus, & penè ſingulis motibus attribuerent, vocaverunt deam Agenoriam, quæ ad agendum excitaret: deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum ſtimularet: deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, marcidum, id eſt, nimis deſidioſum & inactuoſum: deam Strenuam, quæ faceret ſtrenuum: his omnibus diis & deabus publica ſacra facere ſuſceperunt. Quietem vero appellantes, quæ faceret quietem, cum ædem haberet extra portam Collinam, publice illam ſuſcipere noluerunt.* Quærit, utrum indicium hoc fuerit animi inquieti, quod qui turbam dæmoniorum colebat, quietem habere non poſſet? Etenim *nulla pax, inquit Deus meus, improbis.* Jeſa. 57. 25. Minutius: *Cloacinam*

nam Tatius & invenit, & coluit: Pavorem Hoſtilius atque Pallorem, mox à neſcio quo Febris dedicata: hæc alumna urbis iſtius ſuperſtitio, morbi & malæ valetudines. Sane & Acca Laurentia, & Flora, meretrices propudioſæ, inter morbos Romanorum, & Deos computandæ.

Cumque Græci ultra trecentos Deos numerarent, Orpheus trecentos & ſexaginta duos, quos tamen omnes in teſtamento ſuo rejecit: quod Gentilibus exprobrat Theophilus, ad Autolycum, *lib.* 3. non pauciores habuerunt Romani. Euſebius, *Præparat. lib.* 5. ex Heſiodo numerat ultra triginta millia. Diceres cogitandis & faciendis diis tantum occupatum fuiſſe hominum ingenium.

Germani noſtri poſt Romanos quidem coluere accepta ab illis Numina, ſed pauciora. Cæſar, lib. 6. de bello Gallico, ubi digreditur in mores Gallorum Germanorumque: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt.* Aſtra, atque elementa, ſolem, lunam, terram, tum etiam heroës & viros principes, atque opere vel dignitate excellentes, venerabantur. Tacitus, de moribus Germanorum: *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent. Herculem & Martem conceſſis animalibus placant: pars Suevorum & Iſidi ſacrificat.*

Culti à Majoribus noſtris Mercurii plura ubique monumenta, vel ſub nomine *Wodan*, quod Mercurium ſignificat. Unde nomen diei *Wodenſdag*, vel *Woenſdag*, qui eſt dies Mercurii. Paulus Diaconus, lib. 1. cap. 9. *Vuodan ſane, quem adjecta littera Godan dixerunt, ipſe eſt qui apud Romanos Mercurius dicitur: & ab univerſis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur: quæ non circa hæc tempora, ſed longe anterius: nec in Germania, ſed in Græcia fuiſſe perhibetur.* Dierum nomenclaturam Romanis debemus, mutato aliquando, & ad noſtram linguam facto nomine. Sic Martem Heſum dixerunt, atque inde *Dijſdag*, vel *Dijnſdag*, diem Jovis, tonantis βροντάιυ, *Donnerſdag*: & *Vrydag*, à Venere.

Terram etiam, tamquam communem matrem venerati: quam *hertham*, ſive *eerden* appellabant: *in commune Hertham, id eſt, terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.*

Inter heroës primum habuerunt *Tuiſconem*, tum Filium ejus *Mannum*, conditores gentis; unde videntur & nomina derivata *Tuytſchen*, & *Germanorum* ſive *Alemannorum.* Quod nomen apud antiquiſſimos occurrit, Hieronymum, Sabrianum, Euſebium in Chronicis, Ammianum, Vo-

Digitized by Google

piſcum, Aur. Victorem, & alios. Tacitus: *celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terrâ editum, & Filium Mannum, originem gentis, conditoreſque.* Germanorum quidem nomen alii ex Germanicâ lingua & compoſitione, quaſi totos viros *gar-man*; alii à Gallorum commercio derivant, quod ab iis pro fratribus habiti, ob morum, gentiſque ſocietatem. Quam Strabonis ſententiam ſequitur, in epiſtolâ ad Beatum Rhenanum, Ægidius Tſchudus, & extat in Centuriâ epiſtolarum Philologicarum Goldaſti.

Cæterum Germaniam non eſſe Aſcenaz, Geneſ. 10. 3. contra communem Judæorum & Chriſtianotum opinionem, ſed Aſcenaz eſſe Bithyniam potius, ac minorem Phrygiam, docent Voſſius, *de Idololatriâ, lib.* 1. *cap.* 38. & Bochartus, *Geograph. lib.* 3. *cap.* 9. Perperam Aben Ezra in Obadj. verſ. 20. Germanos ſcribit antiquos fuiſſe Cananæos, qui aufugerint à facie Iſraëlitarum, ſuas terras occupantium, אלמניים הם הכנעיים. Boxhornius, in Hiſtoriâ Univerſali, Germanorum nomen ab Arminio, gentis duce ac vindice, derivat: neque illo nomine, ut viri proprio, ſed muneris atque honoris, ſive gentis ſupremum militem deſignante aut imperatorem. Atque tum iſthic, apud Voſſium, tum Eliam Schedium plura videſis, *de Dîs Germanorum.*

Denique & *Herculem* Tacitus celebrat: *fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Carmina etenim & cantus ſive in communi, ſive Deorum cultu habuerunt admodum multa. Atque hæc de Veteribus, & Veterum obiter dicta Gentiliſmo, Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, & Germanorum.

Atque illa idololatriæ Gentilium origo, & proſapia fuit, à *naturâ*, primò *cæli*, tum *terræ*, ad *homines*, admixtis etiam *Dæmonibus*; Varro, de LL. lib. 4. principes Dei, cœlum & terra: hinc progreſſa idololatria ad *animalia*, ac terræ *fruges*, denique ad quævis figmenta etiam & *notiones* tam *virtutum*, quam *vitiorum*, & *rerum*, & *utenſilium* quorumcunque: ut jam nihil ſuperfuerit vel excogitandum, quod non inter Numina relatum ab antiquis aliquando fuerit. Quam idololatriæ propaginem notat quoque Athanaſius, *contra Gentiles*, quod mox atque à Deo, & ejus ſolius notitiâ ac cultu defecit homo, primùm cœlo, Soli, & Lunæ, atque ſideribus divinos honores habuit, neque ſolum Deos illa, ſed & ſubſequentium Deorum autores fecit. Deinde elementa & corporalis ſubſtantiæ principia, calidum videlicet, frigidum, ſiccum, humidum putarunt Deas. Inde ho-

Digitized by Google

de homines quoque & hominum figuras, partim viventium, partim vitâ functorum, habuere pro Dîs. Tum verò deteriore conſilio ad lapides, & ligna, & reptilia, aquatilia, terreſtria, & feras animantes Dei appellationem tranſtulere. Quin eo uſque perrexere, ut quæ nullâ ratione exiſtunt, neque inter creaturas veniunt, ceu Deos coluerint: cujuſmodi ſunt, apud Ægyptios Cynocephali, & Ophiocephali, & Onocephali; apud Libycos, Criocephalus Ammon. Alii rurſus corporis partes, caput, humerum, manum, pedem, ſeorſim accipientes, ſingula in Deos retulerant: quaſi non ſatis fuiſſet ex integro & toto corpore numen effingere ac cultum. Alii ulterius voluptatem & concupiſcentiam pro Diis venerati fuerunt. Cujuſmodi apud illos amor, & quæ Paphi colebatur, Venus. Alii Principes ſuos, atque eorum liberos in Deos retulerunt, ſæpe turpiſſimos: ſicuti, quod tum recentioris memoriæ Athanaſio memoratur, Antoninus Hadriani Imp. delicatus puer.

Clemens Alexandrinus, in *Protreptico ad Gentes,* ſimiliter primum idololatriæ Gentilitiæ gradum ponit in adorato cœlo: atque inde ad alias ejus ſpecies progreſſum docet. Digna ſunt ejus, quæ hic legantur: *Alii enim ſtatim in cœlo contemplando decepti, & ſoli viſui credentes, motus aſtrorum contemplantes, admirati ſunt, & Deos eſſe cenſuerunt; aſtra Deos (nempe* θεοὺς ἀπὸ τοῦ θεῖν, *hoc eſt, à curſu) nominantes: & Solem adorarunt, ut Indi: & Lunam, ut Phryges. Alii autem, eorum quæ ex terris naſcuntur, mites fructus carpentes, Cererem frumentum, ut Athenienſes: & Bacchum vitem, ut Thebani, appellaverunt. Alii, cùm conſideraſſent vitii pœnas, eas in Deos retulerunt, adorantes pœnas & calamitates. Hinc Furias & Eumenidas, & quos* παλαμναίους *&* προστροπαίους *vocant, ceu averruncatores & malorum depulſores: & præterea* ἀλάστορας, *id eſt, cacodæmones ſeu malos genios, finxerunt Poëtæ ſcenici. Jam verò quidam ex philoſophis, ipſi quoque poſt Poëticos, earum quæ ſunt in nobis affectionum figuras & ſimulacra conſtituunt; nempe metum, & amorem, & gaudium, & ſpem: ſicut certe priſcus quoque Epimenides, qui Contumeliæ & Impudentiæ Athenis erexit altaria. Alii autem ipſis profecti rebus ab hominibus in Deos referuntur, & inſtar corporis effinguntur; Juſtitia quædam, & Clotho, & Lacheſis, & Atropos, & Parca, & Auxo, & Thallo, Atticæ. Sextus modus, quo introducta, & paulatim nata eſt hæc fraus Deorum, ſecundum quem Deos numerant duodecim. Quorum etiam Theogoniam, ſeu Deorum ortum, canit Heſiodus, & quæcunque de Diis theologice diſſerit Homerus. Reſtat poſtremus (ſunt enim hi omnes ſeptem modi) qui proficiſcitur à divino in homines beneficio. Nam cùm*

Digitized by Google

beneficio afficientem Deum non intelligerent, effinxerunt quoſdam ſervatores, Caſtorem & Pollucem, & Herculem malorum averruncatorem, & medicum Æſculapium. Hæ quidem ſunt lubricæ & exitioſæ à veritate digreſſiones, quæ hominem è cælo detrahunt, & in barathrum peſſundant. Denique de illis, & tum ortu, tum progreſſu idololatriæ à cæleſtibus ad terrena, etiam ad homines, videndus, poſt Voſſium, in libris, *de idololatriâ Gentilium*, Eduardus Baro Herbert, *de Religione Gentilium, errorumque apud eos cauſis.*

CAPUT QUINTUM.

De Gentiliſmo hodierno: Africanorum, & Aſianorum. De Indorum Brachmannis, antiquis, & hodiernis. Guzurattenſibus. De religione hominum, in regno Decam, Malabar, Narſingâ, Zeylan, Pegeſiam, &c.

PErgamus ad Gentiliſmum cognoſcendum, qualis hodie præcipue eſt in tribus Orbis partibus, *Africâ* primum, tum *Aſiâ*, denique *Americâ*. Et in Aſiâ quidem, apud *Indos*, *Chinenſes*, & *Japonios*. *Africa* primum noſtris cognita per Vaſcum de Gama, quando auſpiciis Regis Luſitaniæ in Indiam navigavit a. cIↃ cccc xcvII. nempe pars Africæ meridionalis, ad mare ſita Æthiopicum, & quæ Gentiliſmo obnoxia; reliqua enim, & qua mare ſpectat Mediterraneum, Muhammedanis paret: ſive ita dicta ex Arabico verbo *Faraca*, quod dividere ſignificat, quia eam mare Mediterraneum dividit ab Europâ, & Arabicè Africa vocatur Iphrichia; ſive ab Arabiæ felicis rege Ifrico, qui eam primus tenuit.

Olim illa Africæ pars, quæ nunc Muhammediſmo infecta, Chriſtianas habuit Eccleſias multas, & percelebres, Epiſcopos, Patres, Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, Fulgentium, alios; & Concilia ab Africanis celebrata heic multa egregia, præſertim Carthaginenſe ſub Aurelio Carthaginenſi epiſcopo, ann. ccccxix. præſentibus legatis diverſarum provinciarum Africanarum, id eſt: Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Stifenſis, & Mauritaniæ Cæſarienſis, & Tripolis, & Vincentio Culuſitano, Fortunatiano, & cæteris epiſcopis provinciæ Proconſularis ccxvII. ubi celebris Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ formatus, & actis inſertus fuit: hodie verò, non Chriſti iſthic nomen, ſed Muhammedis celebratur. Niſi qui forte Chriſtiani ſunt inter Abyſſinos.

Vetu-

Digitized by Google

Vetuſtiſſimi autem Africani olim fuerunt ut idololatræ, ita teſte Leone Africano, *Deſcript. Africæ lib.* 1. præcipue cultores Solis, & Ignis, quos ceu Deos, venerabantur erectis templis magnificis & ampliſſimis, in quibus, uti apud Veſtales Romæ, ignis perpetuus noctes dieſque ſervabatur, ne extingueretur.

Hodie in *Guineæ* regno exiguâ religionis & honeſtatis curâ tanguntur incolæ: ſuperſtitionibus & conjurationibus, quas *Fetiſios* appellant, unice dediti. Nudi incedunt, pudenda, nec tamen omnes, tecti. Miſcentur promiſcue, uſque dum jungantur matrimonio, atque tum etiam viris licet plures, quot ex facultatibus alere poſſunt, ducere uxores.

Ex Africâ ſi in Aſiam & *Aſianorum vetera ornamenta Deorum*, ut Juvenalis loquitur, tendimus, an ſinus Arabicus, an Nilus utramque diſterminet, non diſputamus, ſed relinquimus controverſiam Pomponio Melæ, & Ptolomæo, vel quibuſcunque placuerit hujus, aut iſtius ſententiam ſequi & defendere. Quum non natura, non gentium ſuper limitibus habitum conſilium vel reſponſum illa diſtinguat, ſed Geographorum libera, & quæ viſa ipſis probabilior ſententia.

Cæterum Indos quod ſpectat, olim quidem in ſeptem ordines ſeu tribus diviſos Diodorus ſcribit, *Biblioth. lib.* 3. Quorum prima erat *Philoſophorum*, qui doctrinæ nomine conſpicui, ideo & cæteris antecellebant, & Regibus habebantur proximi. In principio anni convenientes prædicebant quæ futura ſequente anno eſſent: unde omnes, & Rex, & populus quid agendum ſibi erat, colligebant. Qui verò ſecus ac eveniebat, dixiſſet, perpetuo multabatur ſilentio. Altera claſſis erat *Agricolarum*, qui numero plurimi, & quia communi bono inſervire credebantur, ab oneribus publicis, etiam belli tempore, habebantur immunes, atque in agris degebant ſecuri cum familiâ, & ſuis. Tertia tribus *Paſtorum* erat, qui venationi incumbebant. Quarta *Artificum*, qui omnes generis inſtrumentis & utenſilibus fabricandis, ſive ruſticis, ſive bellicis, vacabant. Quinto loco veniebant *Milites*, qui caſtra ſequebantur. Sexti inſpectores ſeu *Ephori*, quæcunque per univerſum regnum gerebantur obſervantes, deferebant ab Regem, vel ad Principes. Ultimi *Conſiliarii*, conſiliis judiciiſque publicis præerant. Neque adeo incongrua iſta Reip. forma fuit & ratio, adjudicatâ ſingulis ſuâ tribu, & profeſſione, quam excolerent. Quos etiam inter ſe commiſceri alios cum aliis, vel matrimonio, nefas erat. Reges præ omnibus luxurioſi, *ſupra omnium gentium vitia*, inquit Curtius, majeſtatem ita tuebantur, ut non facile ſe darent conſpiciendos, niſi forte belli ne-

Digitized by Google

li negotia urgerent, vel dicendum jus, aut ſacrorum cauſa prodeundum eſſet.

Philoſophi ipſorum *Brachmanni* appellati: quorum adeo celebris fama, ut plurimos Græcorum Philoſophos ad ſe allexerint, ſapientiæ cauſâ, Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, Apollonium Thyaneum, alios, qui ab illis multa in ſuos uſus & doctrinam tranſtulerunt. Quare ex Megaſthene, rerum Indicarum Scriptore, Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. 1. *omnia quidem quæ de natura dicta ſunt à veteribus, dicuntur etiam ab iis, qui extra Græciam philoſophantur, partim quidem apud Indos, à Brachmannis, partim verò in Syria ab iis qui vocantur Judæi.* Brachmannos autem ex proſapiâ Abrahami eſſe, ex Cethurâ, & hinc in iſtas oras conceſſiſſe, &, cum alia, tum philoſophiam & aſtrologiam docuiſſe, multorum eſt ſententia. Clemens Alexandrinus Indicorum Gymnoſophiſtarum duo conſtituit genera, unum Brachmannûm; alterum eorum qui appellantur Sarmanæ, & Allobii, nec urbes habitabant, nec domos, neque ſub tectis degebant, ſed arborum veſtiebantur corticibus, & earum baccas edebant, ac glandes, neque nuptiis dabant operam, vel conſtituendæ aut alendæ familiæ. Etiam aliud apud Indos hominum genus prodit, qui Buttæ alicujus præceptis parebant, quem, propter inſignem virtutem, ceu Deum honorabant. Ἐξήγησις *mundi*, à Gothofredo edita, Brachmannos refert regum expertes feliciter vivere, καὶ αὐτοὶ ἄναρχοι διάγουσι ἀγαθῶς, καὶ διακατέχουσι τὴν τῶν γειτόνων ἀγαθίαν. Illos tamen Regibus proximos vivere Diodorus dixit, Biblioth. lib. 3. & Philoſtratus, in vitâ Apollonii, lib. 3. magno in honore apud Reges eſſe, uti apud populum. Ut illa auctoris Ἐξηγήσεως, de alia gente & regione Brachmannûm accipienda ſint, quorum terram dicit eſſe duntaxat quinque manſionum: de quibus, apud Porphyrium, περὶ ἀποχῆς, lib. 4. Bardeſanes Babylonius, ὑπὸ τῆ βασιλείᾳ Βραχμάν. Non verò quod Brachmanni philoſophi cum Regibus non vivant. Sed forte & Gens fuit ſingulariter ita appellata; & ſic appellati quoque Indorum ſapientes, Philoſophorum genus, de quo jam loquimur.

Philoſtratus, lib. 3. deſcribens Apollonii ad Indorum Sapientes profectionem, & quæ cum iis egerit, Jarcam facit illorum præcipuum, omneſque ſectæ Pythagoricæ, ſive ejuſdem fuiſſe cum Pythagorâ opinionis. Nam ad illos olim Pythagoras acceſſit, & docuit ipſos multa. Unde Jarcas in Colloquio, rogatus ab Apollonio, quid de animâ ſentiret, idipſum inquit, quod nobis Pythagoras, nos verò Ægyptiis tradidimus. Suos Ægyptiorum ſapientibus faciens antiquiores. Quod inde etiam confirmabitur,

Digitized by Google

tur, ſi admittamus, quod ſupra dictum, poſteros illos eſſe Abrahami, ex Cethurâ. Sed Jarcas ſe Pythagoræ inſtar, qui meminerat ſe alio in corpore Euphorbum fuiſſe in bello Trojano, dicebat olim quoque alium fuiſſe, Indum, iſtiſque in locis imperaſſe, condidiſſe urbes, liberaſſe patriam, & præclara multa pro Rep. egiſſe. Quin & ipſum Apollonium, addebat, antea fuiſſe Ægyptiacæ navis gubernatorem: quique adſtabat forte adoleſcens, in bello etiam Trojano fuiſſe Palamedem. Quippe vulgo credunt *metempſychoſim*. De illo autem Apollonio, qui tempore Domitiani floruit, & quem ad obſcurandum Chriſti nomen, famam, & miracula Diabolus figmentis mendacibus adornavit, vide Baronium ad a. 52. & 68.

A veſcendis, mactandiſque *animalibus* abſtinent admodum religioſe Brachmanni, hoc quod ſponte natum comedentes, fruges omnis generis, olera, atque herbas. Quemadmodum & Pythagoras, qui nec ſacrificandum animalibus docebat, neque Deorum aras ſanguine fœdandas eſſe, ſed libationibus, thure, & laudationibus colendos. Deque Indis Mela, lib. 3. cap. 7. *quidam nullum animal occidere, nulla carne veſci optimum exiſtimant. Quoſdam tantum piſces alunt.* & Solinus: *plurimis placet neque animal occidere, neque veſci carnibus. Plerique tantum piſcibus utuntur, & è mari vivunt.*

Elementa ſtatuebant quinque, præter ignem, aquam, aërem, terram, etiam æthera, ſed immortalium, ſive Deorum generandorum, reliqua mortalium.

Mundum animal dicebant, quod non una manu, ſed plurimis gubernaretur: vel navigio ſimilem, in quo prima quidem & perfectiſſima ſedes Deo eſſet attribuenda, tamquam genitori; cæteræ Diis variis, qui ejus regerent ſinguli partes.

Solem verò non Brachmanni tantum, ſed Indi omnes, & Apollonius, etiam antequam ad eos acceſſiſſet, ſacrum habuit, quum pro felici itinere, ei ſacrificaturus, tale votum nuncuparet, lib. 1. *ô ſumme Sol, eò me terrarum mitte, quò me profecturum eſſe cognoſcis, & concede precor, ut viros bonos agnoſcam; improbos vero neque agnoſcam, neque agnoſcar ab illis.* Confer Rogerium, de hodiernis Brachmannis, part. 2. cap. 13. de feſto *Pongol*, quod celebrant in honorem Solis, alii quotannis, alii quoque die ſolis, quem, uti nos Solis, ſic illi appellant *Surianamam*. Et orientem, & occidentem ſolem adorare ſoliti Brachmanni. Clemens Alexandrinus, in Protreptico, *& Solem adorarunt, ut Indi.* Cteſias, in Indicis, *quod colunt ſub nomine Solis & Lunæ.* Aſtrologiæ, magiæ, & divinationi deditos

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe clarum: unde & Apollonium diſcedentem ſeptem annulis donaſſe ſcribitur Jarcas, ad ſeptem planetas, qui ſingulis diebus, per illos operarentur. Poſtea autem Apollonius, quatuor libros *de Aſtrologicâ divinatione* ſcripſit; & alios, de Deornm *ſacrificiis*, ut ſingulis ſit ſacrificandum, ſi Philoſtrato fides, neque enim ei ut facile credas, par eſt.

Hodierni verò Brachmanni, vel *Bramines*, à Brammâ, quod Numen illis eſt, & ſub Deo ſupremo mundum hunc gubernat, ſe appellant. Eorum doctrinam, mores, vivendi genus, & religionem accurate admodum & copioſe noſtrâ linguâ conſcripſit Abrahamus Rogerius, qui in partibus Orientalis Indiæ per quindecim annos, ab ann. cIↄ Iↄ cxxx. tum in regione Chormandel, Paliacattæ; tum in inſulâ Javâ, Bataviæ, paſtorem Belgicâ, & Luſitanicâ linguâ egit, in patriam reverſus ann. cIↄ Iↄ CXLVII. à quo, biennio pòſt Goudæ obiit. Singulari fide ac diligentiâ res Braminum conſcripſit, ex ore præſertim Brachmanni Padmanabæ: quam narrationem ſuam exhibuit Synodo Leydenſi, a. cIↄ Iↄ CXLIX. & edidit poſtmodum, ac nobis illuſtravit ampliſſimus juxta & doctiſſimus vir A. W. In Germanicum quoque tranſlata eſt, & Norimbergæ edita, a. cIↄ Iↄ CLXIII. Quamvis enim religio ſit Brachmannis ſacra ſua exponere & divulgare vel plebi ſuæ, nedum extraneis, vel Chriſtianis, graviter id prohibente ipſorum lege, quam *Vedam* nominant; attamen juſta cauſa erat, cur Padmanaba noſtrorum hominum favorem cuperet ac patrocinium, adverſus ſuos nimirum ſibi infeſtos, propter detonſam vid. concubinæ ſuæ comam, quod magno apud gentes illas eſt opprobrio, & ſic Rogerio utens interceſſore apud Gubernatorem, is occaſionem illam in eximium Reip. bonum vertendam ratus, ſe in Brachmanni iſtius amicitiam ac familiaritatem ita inſinuavit, ut ab eo omnia retulerit, quæ, ut dixi, pòſt edita, & notis eruditis illuſtrata fuerunt à viro doctiſſimo pariter & ampliſſimæ dignitatis A. W. Nec à Padmanabâ tantùm, ſed & ſocio ejus, quem ſæpe ad ædes Rogerii una ſecum adducebat, Dammerſâ, illo in linguâ Luſitanicâ promptiore, ſua hauſit didicitque. Et quamvis ſingularia multa, plurima tamen eorum cum antiquis Brachmannis, & diſciplinâ Pythagoræ convenire, inibi obſerves.

Retulit ergo Padmanaba, quatuor eſſe inter ipſos familias principales, primam *Braminum* ſeu Brachmannorum: alteram *Settræorum*, ſive Nobilium, quorum Rex caput eſt, & ſunt præſides judiciorum, ac regni: tertiam *Weinjaſiorum*, ſive Mercatorum: quartam *Soadraſcorum*, iſt eſt, plebis: ſub quibus & agricolæ paſtores, & mechanici cenſentur. Atque

præter

Digitized by Google

præter illos familiam eſſe quam appellant *Perreaſiorum*, hominum viliſſimorum, qui fæx vulgi ſunt, neque cum reliquis vivunt aut cenſentur, ſed ſeorſim ab aliis, quibus Braminum loca aut ædes intrare nefas, neque ullâ tenentur religionis curâ aut ſtudio, ſed impuri prorſus ac profani, ea quæ aliis interdicta edunt, etiam morticinia, & opera curant paſſim viliſſima.

Prima hominum ſors aut locus, Brachmannûm vid. ipſis Regibus præfertur. Quod & in Brachmannis ſuis obſervatum Apollonio. Proximi Deo creduntur, eique omnium, quotquot vivunt, eſſe gratiſſimi. Quemadmodum inter animantia, vacca; ſic inter familias, illam excellere. Et ſummum nefas habent, Braminem, utcunque vitæ flagitioſiſſimæ, occidere, tantummodo licet eum privare oculis; & qui illum occiderit, duodenni multatur peregrinatione aut oberratione, cum cranio occiſi ſtipem petens, ex eo ipſo edens ac bibens, quouſque expleto illo tempore templum ædificarit in honorem Dei Eſwaræ. Quæ iſtorum pœnitentia, & ſatisfactio eſt canonica.

Bramines verò inter ſe diſcrepant ſeu *profeſſione*, ſeu *vita* genere. Illius ſex ordines. Primi *Weiſtnouwi*, qui ſupremum Deum aſſerunt Wiſthnou, neque aliquem ipſi eſſe ſimilem. Iterum in duas diviſi ſectas: quarum una appellatur *Tadwadi Weſtnouwa*, qui acerrime ſibi videntur diſputare de Deo, & rebus divinis: *tadwadi* enim ipſorum linguâ ſignificat diſputatorem. Hi ſignant ſe quotidie albâ lineolâ à naribus ſurſum, & circum tempora, atque ad brachia ſuper humeros, & in pectore, orbiculari ſigno: quo ſe adverſus Diabolum, & *Jamma* judicem infernalem præmuniri credunt. Deo *Wiſtnou* votum nuncupant, ſe illum pro ſolo Deo ſemper agnituros: verùm adjungunt, non ſufficere votum concepiſſe, niſi proba & honeſta quoque ſequatur voventium vita, ſecus nullius eſſe, & tranſgreſſores manere pœnam. Altera primi ordinis Weiſtnouworum ſecta appellatur *Ramanouja Weiſtnouwa*: qui ſeſe muniunt ſigno in fronte, adinſtar Græci Υ. Nec ut primi ſe quotidie ſignant in humeris, ſed hoc ſemel agunt inurendo, ac putant ſufficere. Eorum ſententia eſt, eos qui ſemel Deo votum fecerunt, quamvis malam poſtea vitam ducant, nihilominus benignum habituros Deum, propter iſtud ſaltem votum. Deum, Patris inſtar, ſuos quos ſemel complexus fuit, non deſerere, ut qui norit abſque peccatis homines vivere non poſſe. Prioribus nihilominus ſe præferunt, quia mercaturis abſtinent, neque frequentant lupanaria; vel quando eorum aliquis peccaſſe deprehenditur, à ſectæ principe (habent enim ſingulæ ſuos,

læ ſuos, quos ſummè venerantur) corripitur: quod non ita fit inter primos Tadwados.

Secunda Brachmannorum ſecta vocatur *Seivia*, vel etiam *Aradhiba*; qui ſupremum Deum affirmant eſſe *Eſwara*, cui reliquos, quin etiam Wiſthnou, ſubjiciunt. Hi ſe aliter adhuc ſignant, ac priores. Collo geſtant idolum lapideum, quod appellant *lingam*, in ſignum profeſſionis ac fidei, quod nempe omnem fiduciam in nullo alio, quam in Eſwara collocant. Soudraſii, ſive ex vulgo quotquot lingam geſtant, carne & piſcibus, omnique præterea animato abſtinent, æque ac Bramines.

Tertia ſecta *Smaerta* docet, Wiſtnou, atque Eſwara idem eſſe numen, ſed quod ſub diverſis nominibus & ſimulachris colitur: averſantur rixas & contentiones eorum, quorum hi dicunt, Wiſtnou; illi, Eſwara ſupremum Deum eſſe.

Quarta ſecta eſt *Schaerwaecka*: qui ſunt quaſi Epicurei, & nullam aliam, poſt hanc, vitam credunt, neque ejus quod nec vident nec ſentiunt, rationem ullam haberi volunt. Honeſte nihilominus inter reliquos agunt, non ob alterius vitæ præmium vel beatitudinem, ſed ob hujus gloriam, & ad famam nominis bonam obtinendam.

Quinta *Paſenda* appellatur: qui non opinione ſolum, ut illi, ſed & vivendi genere ac modo Epicurei ſunt. Legem rejiciunt, vivunt & coëunt promiſcuè: omnia ſuſque deque habent: & nec vitam aliam, nec famam apud homines curant. Opiniones ſuas promere formidant, veriti aliorum iram ac zelum, qui iſta non ferentes illos inclementius tractarent. Nam plures quidem hinc olim occiſos, meminerunt.

Sexta eſt *Tſchectea:* qui neque Wiſtnou, neque Eſwara credunt ſupremum Deum eſſe, verùm alium *Tſchecti*, à quo illi, & Bramma originem ſuam habeant, & quod ille mundi auctor ſit, & gubernator. Cum aliis hi quoque legem Vedam rejiciunt, & omnia ſibi, quæ eâ continentur, poſtulant probari. Quare tres illi poſtremi à reliquis habentur pro hæreticis. Atque illæ ſunt Brachmannorum hodiernorum ſectæ ac familiæ. In vitæ diſciplinâ quidem multum cum veteribus Philoſophis conveniunt; at quæ Numina ſub nominibus Wiſtnou, & Eſwara colant, an antiquos heroas, naturam, vel mundi partes, aut Solem, aut Lunam, ille explicabit, qui aliquando in penitiorem horum notitiam admiſſus, vel ex linguæ, vel rerum fide plura nobis Braminum explanaverit. Nicolaus Pimenta Jeſuita, in litteris ad Aquavivam, ann. cIↃ IↃ c. ſcribit, Braminum eſſe aliquam ſectam, quæ idola omnia rejicit, uno Deo contenta: & quod ſummus illis

ab

Digitized by Google

ab omnibus defertur honor, à Rege etiam, qui ipſos, non illi viciſſim Regem honorant. Quin in viâ ante ipſos à præcone publico clamatur, *poo poo, via via:* monente, ut viam illis cedant omnes.

Convenientiam cum antiquis Philoſophis, aut Brachmannis majorem obſervamus in iis, qui ab aliis Braminis, non ita opinionibus uti illi, de quibus jam diximus, quam vivendi genere ac ſtudio, diſcrepant, ſuntque trium ordinum. Primi appellantur *Wanapraſtæ:* qui in ſylvis, cum uxore & liberis inertem & ſine ullo labore vitam degunt, ex ſolis terræ frugibus, quas etiam una cum radice evellere non auſint.

Secundi *Sanjaſii*, prioribus auſteriores, mundo & rebus omnibus mundanis valedicunt: cœlibes vivunt, atque ex eleemoſynâ: non comedunt betel, quæ apud eos eſt herba famoſa ſatis, & calore ſuo Venerem provocans: vaſis non utuntur æneis, utcunque iſthic ſatis familiaribus, ſed terreis: nec, niſi ſemel in die, edunt: aurum argentumve tractare manibus, neſas: nuſquam locorum longius quam noctem unam diverſantur; niſi quod ſemel in anno in loco aliquo ſancto per duos menſes commorari licitum, vel etiam per totam vitam forte, ſed duntaxat in loco ſancto. Sex ſibi deſignant debellandos hoſtes: *Cama*, id eſt, *concupiſcentiam*; *crooſa*, id eſt, *iram*; *lopa*, id eſt *avaritiam*; porro *arrogantiam*, amorem *mundanorum*, & denique *vindictæ* cupiditatem: quâ demum pugnâ ſuperatâ, ad meditationes divinas parari ſe, ajunt.

Tertii ſunt *Avadoutæ*; qui ſupra Sanjaſios vitæ genus ſequuntur adhuc rigidius; nam neque vaſa retinent, quamvis terrea, ad edendum, neque arundinem pro baculo in manibus, neque etiam veſtem, quâ ſe tegant, duntaxat pudenda linteolo aliquo obvelant, quod tamen nec omnes faciunt. Jam olim de illis Mela, lib. 3. cap. 7. *Cultorum habitus moreſque diſſimiles. Lino alii veſtiuntur aut lanis, quas diximus, alii ferarum aviumque pellibus, pars nudi agunt, pars tantum obſcœna velati.* Sunt enim qui toti nudi incedunt. Hi corpus cinere obducunt, & eſurientes domum intrant quamcunque, manu porrectâ cibum ſilentes petunt, quem mox deglutiunt: vel ad fluminis alicujus, qui ſanctus ipſis habeatur, ripam conſident, exſpectantes ut proximi & vicini adferant cibum: quod copioſe præſtatur, dum religioſum opus quilibet æſtimat & meritorium, hominibus adeo ſanctis & omnium perfectiſſimis victum, quod eſt lac, fruges, ſimiliaque, ſuppeditare.

Legis ſuæ librum habent, quem appellant *Vedam*, conſcriptum rythmo, qui continet ipſorum religionem, ac ſacra. Diviſus eſt in quatuor partes.

Prima agit de *cauſa*, & materiâ primâ, de Angelis; animâ, generatione, de corruptione, peccato, mercede operum, ſive bonorum, ſive malorum. Pars altera, de regimine *politico*. Tertia tota *moralis* eſt, de virtutibus, & vitiis. Quarta *cæremonias* explicat, & rationem tum ſacrificiorum, tum feſtorum: ſed hanc partem dicunt periiſſe. Solorum Braminum eſt, Codicem hunc legere, & docere: vulgo ne diſcere quidem ejus canones licet. Docent quidem quoſvis etiam ſacra (nam religionem & litteras docere Braminum proprium eſt munus;) ſed non ipſum Vedam: quem ſolis ſui ordinis hominibus, & Nobilibus exponunt. Vulgò Brachmanni filum, ex tribus funiculis compoſitum inſtar loricæ, à quinto ætatis anno, geſtant; quod à ſiniſtro humero in coxendicem dependet. Perforatas quoque habent auriculas, non ut monilia & pretioſos iis appendant lapides, ſed in ſacramentum perpetui erga Deum Wiſthnou, vel Eſwara obſequii. Uti apud Judæos ſervi, qui Dominis ſe mancipabant, factitarunt, ex Exod. 21. 6. Polygamiam Bramines, juxta ac alii, nullâ notant infamiâ. Cæterum ſuperſtitioſiſſimi temporum obſervatores, & non dierum ſolum, ſed horarum, quas cujuſque diei numerant triginta; & fauſtarum vel infauſtarum tenent Kalendarium, quod appellatur *Panjamgam*. Jam vide, ut iſta cum antiquorum Brachmannûm moribus conveniant. Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. 3. *Brachmanes quidem certe neque animatum comedunt, neque vinum bibunt: ſed aliqui quidem ex iis, quotidie ſicut nos cibum capiunt: nonnulli autem ex iis tertio quoque die, ut ait Alexander Polyhiſtor, in lib. de rebus Indicis: mortem autem contemnunt, & vivere nihili faciunt: credunt enim eſſe regenerationem: aliqui autem colunt Herculem & Panem. Qui autem ex Indis vocantur σεμνοὶ, hoc eſt, honeſti ac venerandi, nudi totam vitam tranſigunt: ii veritatem exercent, & futura prædicunt, & colunt quandam pyramidem, ſub qua exiſtimant alicujus Dei oſſa repoſita. Neque vero Gymnoſophiſtæ, nec qui dicuntur σεμνοὶ, id eſt, venerandi, utuntur mulieribus, hoc enim præter naturam & iniquum eſſe exiſtimant: qua de cauſa ſeipſos caſtos conſervant. Virgines autem ſunt etiam mulieres quæ dicuntur σεμναὶ, hoc eſt, venerandæ. Videntur autem obſervare cæleſtia, & per eorum ſignificationem quædam futura prædicere.*

Quod verò Brachmannûm hodiernorum concernit Theologiam, ita ſtatuunt: Supremum Numen & eſſe aliquod, & unum: ſed hoc alii *Wiſthnou*, alii *Eſwara* appellant: forte idem, ſolo nomine diverſum. Ab hoc productum ajunt, *Bramma*, qui mundum condiderit; ex aquâ nimirum, quæ & ſententia Thaletis fuit, qui principium rerum, aquam poſuit;

poſuit: nam Bramines ante conditum mundum, nil præter Deum & aquam fuiſſe, aſſerunt. Ita conditum mundum credunt: & eundem ab Auctore Brammâ regi ac gubernari, neutiquam à Deo ſupremo, infra cujus majeſtatem, & quietem hoc ſit, ſed eum omnem mundi creandi gubernandique vim ac poteſtatem tradidiſſe putant Brammæ: & hunc res omnes ita ordinare, ut abſque ipſius providentiâ nihil quidem eveniat. quin & ſingulis hominibus vitæ ſuum aſſignaſſe terminum. Bramma locum occucupat cœlo proximum, & ſub eo orbes conſtituunt octo: quorum primum tenet *Dewendre*. Hic ſub Bramma, atque ab eo conſtitutus eſt tamquam reliquorum Numinum, qui cæteris præſunt orbibus, Dux generalis: nam uti Wiſthnou, vel Eſwara Brammæ omnia commiſit, ito hic per alios ſibi ſubjectos, reliquum gubernat mundum: quorum noſtrum, quem incolumus, ajunt eſſe infimum: ſingulis autem moderantur ſua Numina, quæ omnia ſub Dewendre ſunt, uti hic ſub Brammâ. Neque hoc ſolum agunt, ut ſuis præſint orbibus, verùm & res particulares quaſdam ſub ſingulari ſuo habent patrocinio: ut *Achni*, qui ſecundum à *Dewendre* locum tenet, ignem; *Warouna*, qui alius eſt, aquam; *Wajouvia*, ventum; *Cubera*, opes; alii alia: quin & Deo uxorem adſcribunt, ſive τῷ *Wiſthnou*, *Laetſemi* pulcherrimam, cujus ortum haud multo aliter, ac Græci Veneris, tradunt; ſive *Eſwaræ*, τὴν *Parvati*. Numen ſupremum *Wiſthnou*, ajunt, decies in terram deſcendiſſe, atque ſub figurâ aliquâ corporeâ vel animantis, vel hominis generatum ſe toties hominibus manifeſtaſſe: ſub formâ piſcis, teſtudinis, ſuis, ἀνθρωπολέοντος, equi, ſæpius autem hominis, & aſſumto inter homines alio atque alio nomine.

Mundum hunc, quem ſtatuunt, non, uti alii, æternum, ſed creatum, non primum, nec ultimum ponunt, ſed & ante, & poſt eum plures quidem numerandos, interiturum tamen & hunc igne. Mundi autem ætates faciunt quatuor, haud abſimiles Poëtis: & primam fuiſſe præ hac ultimâ inſigniter juſtam, nempe quadruplo, dicunt, juſtiorem; ſecundam, triplo; tertiam, duplo; hanc vero quartam, peſſimam, cujus tres partes injuſtitiæ, una tantum juſtitiæ numeretur. Atque ita cenſent, mundum indies factum pejorem.

Angelos agnoſcunt, & quoque Diabolos. Illos appellant *Dewetas*, hos *Ratsjaſios*. Quorum amborum parentem faciunt *Kaſſiopa*, primum Brachmannum, filium Brammæ, qui ex duabus fœminis, ex *Diti* Dewetas, id eſt Angelos bonos; ex alterâ *Aditi* Ratsjaſios ſuſceperit. Quæ non admodum differre videntur à Judæorum fabulis, de duplici Adami conju-

ge, ſi per Kaſſiopam, Brammæ filium, intelligamus Adamum filium Dei Creatoris, qui, juxta Judæos, ex primâ uxore Lilith ſupra modum malitioſâ, genuerit Dæmones. Ratsjaſios faciunt duum generum: ſunt enim inter eos qui ex demortuorum peſſimorum hominum animis facti, per mundum vagantur quidem, at nullis nocent: cæteri propriè dicti Ratsjaſii, liberi nempe τῆς Aditi, ſunt valde maligni, & non homines tantum, ſed ipſos ſæpe Dewetas multum vexant & perſequuntur. His Magna & tetrica corpora attribuunt, & ſexum: nam mares alios, alias fœminas dicunt, & liberos procreare, atque etiam mori. Uti Ratsjáſios, ita quoque Dewetas duum ordinum: quomodo Græci olim genios. Nam alios eorum dicunt eſſe benè defunctorum manes ſeu animas, qui ubi certo tempore in aliquo orbium ſubcœleſtium commorati fuerint, in hunc mundum remigrant iterum generandi; alii vero Dewetæ perpetuum ibi manent, qui & magno numero, atque inter hos etiam Solem, Lunam, & ſtellas computant, quæ omnia juxta opinionem ipſorum animata.

Hominem, uti reliqua, à Brammâ factum, tenent: & in principio homines novem, ex quibus, ut & iis quos ex uxore ſuâ *Saraſwati* ſuſcepit, univerſa hominum deſcenderit progenies. Nec noſtram ſupra reliqua excellentiam in animâ conſtituunt, utcunque eam credant immortalem, ſaltem eorum potiſſimi & plurimi, ſed in ſolo corpore: animam putant omnium viventium eandem eſſe, & in beſtiis non minus rationalem, ac in hominibus: in illis quidem non edere rationis tot tantaque indicia, uti in hominibus, ſed hoc accidere ob δυσεργίαν corporum, quemadmodum in prima hominis ætate nondum, propter eandem cauſam, ratiocinatur vel diſcurrit.

Omnes animarum credunt μετεμψύχωσιν, non quidem omnium, ſed plerarumque: aliquas enim ſtatuunt ita vel in cœlum, vel in infernum abire, ut nunquam inde revertantur; ſed alias putant ob peccata, quorum pœnas luere primùm oportet, ideo reverti in corpora vel hominum, vel beſtiarum, vel etiam plantarum; alias in dæmones mutari, & vagari per orbem, & enecari fame, cui ſublevandæ ne minimum quidem granum evellere, duntaxat ſtipem ab hominibus petere, & ex eâ vivere, fas eſt.

Nullæ autem earum, quæ alia ſubintrant corpora, feliciores habentur his, quæ in vaccas commigrant. Quod domeſticum, mite, benignum & frugi animal, amplum & auguſtum præ aliis videtur præbere inhabitando ſpiritui domicilium. Hinc vaccæ & tauri nuptias celebrant etiam, opulentiores humanis, & curant foventque animalia iſta præ aliis omnibus. Qui ea oc-

Digitized by Google

ea occiderit, ſummum nefas, malitque homicidia commiſiſſe aliquot, quam unum illud interemiſſe animal. Cui proinde mortuo etiam ſepulturam, & pompam funebrem adornant, quavis humanâ ſumtuoſiorem magiſque magnificam. Refert Texeira, ſuo tempore, quando in Indiâ agebat, factum, ut aliquis, nuptias tauri & vaccæ celebrarit tantâ ſumtuum opulentiâ, ut decem aut duodecim ducatorum millia, quin erant, qui dicerent, triginta millia, in eas inſumſerit. Hinc tanta ipſis erga animalia humanitas, ſi non religio, major quam in homines. Amant, fovent, & curant ea ſive volatilia, ſive terreſtria, & quando male habent, majori curâ & affectu proſequuntur, quam homines ipſos. In celeberrimâ civitate Cambayâ publicum illis curandis conſtitutum eſt noſocomium, &, quod hominibus alibi, hic beſtiis reficiendis hoſpitale.

Sed, ut de Braminibus, de quibus dicere cœpimus, finiamus, de illis qui hinc in cœlum transferuntur, ſtatuunt, prout varios cœlos, & eorum ſedes fabricant, aliis redeundum in hunc iterum mundum & corpora eſſe; aliis, qui beatiſſimum cœlum quod *Weicontam* appellant, occuparint, perpetuas hic & mutabiles ſedes paratas eſſe.

Iſta quidem Brachmannorum apud Indos religio, ac diſciplina eſt. Alii, adhuc præter illos, vivunt, religione diversâ. De quibus videre eſt libellum *de diverſis Gentium religionibus*, Bernhardi Varenii; poſt tractatum, *de religione Japoniorum*, Atque ut diverſas Indiæ regiones & populos, ita diverſam luſtrabis religionis formam. Olim quidem omnes gentiles erant, & communi nomine *Hindoi* dicti; verùm poſtquam à Termirlane victi, inter alia etiam Muhammediſmum accepere.

Ad mare Indicum inter prima occurrit regnum *Guzurattæ*, ſive ut hodie à Luſitanis vocatur *Cambayæ*, ab oppido primario, vel emporio, quod Luſitani frequentant, Cambaja; uti noſtrates, & Angli, *Suratam* adeunt, quod propius mari adjacet, & celebre advenis ac mercatu eſt oppidum: provinciæ incolæ vulgo *Baneanes* appellantur, vel *Vaneanes*. & religione, vel ritibus ac ſectis adeo differunt, ut vix familiam ſit reperire, quæ in eadem conſentiat. Alii carnes comedunt, alii minus: comedunt alii quidem, ſed non mactant animalia; alii nonnulla tantum; piſcibus alii; alii lacte & herbis veſcuntur. Inter innumeras apud illos ſectas & hæreſes, quas alii numerant ad tres ſupra octoginta, tres vel quatuor habentur principales. Texcira, inde Latius, in Deſcriptione Indiæ, tres vocant, *Lon Kah*, *Mexery*, & *Baman*: quarum priores eo differant, quod Mexery idola habet & veneratur; Lon Kah minime; ſed unum Deum principium & finem,

Digitized by Google

nem rerum omnium credunt: cæterum & cibum una ſumere, & inire inter ſe connubia non detrectant. Matrimonium enim laudabile habent, cœlibatum minus. Septennes ſæpe nubunt, & decem annos natæ pariunt, præcoci, at non diuturnâ fœcunditate. Johannes Twiſt, in Deſcriptione Guzurattæ ſub magno Mogolo, quatuor recenſet ſectas principales, niſi fortaſſe penitiora regni exponat, at alii, nam non conveniunt, ea quæ in oris maritimis, appellatque *Cheurawack*, *Samarat*, *Biſnou*, & *Golgis*. Quorum primi omnia fortunæ adſcribunt, ac propterea cæteris admodum ſunt exoſi: ſecundi Deum agnoſcunt & creatorem, & rectorem omnium, eique ſuccenturiant tria numina, *Bramam*, cui poteſtatem faciunt in quaſcunque, ſive hominum, ſive brutorum animas; *Buſſiumam*, qui animantibus proſpicit de neceſſariis, victu, nutrimento, & homines docet ſummi Dei, quem *Permiſer* appellant, præcepta ac leges; denique *Mais*, qui poteſtatem habet mortis: tertii Deum faciunt *Ram Ram*, eique addunt divam uxorem, inferiores autem Deos nullos: quarti colunt Deum *Bruyn* vocatum, quem omnium creatorem, & dominum, atque in omnibus quidem faciunt præſentem, at inviſibilem, neque formâ ullâ ſive hominis, ſive beſtiæ præditum.

Proximum Cambayæ regnum *Decam*, emporium habet totâ Indiâ celebre *Goam*, quod Luſitaniæ regi paret, & Proregem, atque Archiepiſcopum. Multa ejus mentio paſſim in Indicis Jeſuitarum. Degunt heic variarum & provinciarum, & ſectarum homines. Qui autem Gentiles, credunt Deum omnium creatorem, & quod regit omnia, atque poſt hanc vitam conſtituit hominibus aliam, in quâ operum ſuorum recipiant vel præmium, vel pœnam. Idola etiam colunt effigie teterrimâ ac Diabolicâ, ſub qua Diabolus nonnunquam apparet ac loquitur, quem proinde venerantur, ne nimirum ipſos lædat.

Quales Dæmonolatræ etiam ſunt *Calecutenſes*, in regno vicino *Malabar*, cujus eſt metropolis. Ubi non procul templum eſt, annuâ peregrinatione & feſto, Decembri menſe, clarum, ad quod innumera hominum turba confluit, & ſceleſtiſſimo etiam cuique impunitas per multos dies indulgetur; & Diaboli effigies coronati, rictu oris horribili, atque flammantibus oculis populo oſtentatur, coliturque magnâ devotione non niſi à lotis aquâ proximâ, & luſtratis à Bramine, templi ſacerdote, qui quoque diſcedentibus abſolutionem impartitur peccatorum.

Supra Diabolum, Deum agnoſcunt omnium creatorem, quem ut quieti ſuæ conſuleret, Diabolo tradidiſſe, ajunt, mundi imperium, ut homines

nes pro merito puniat, appellantque *Duma*, & Deum *Tameram.* Templa ipſorum magnifica & ſpecioſa, ſed intus plena horrendis Dæmonum ſtatuis & ſimulacris: quibus & nummos ſuos inſigniunt. Nam ſupra omnes Indiæ populos in cultu Diabolico excellunt Calicutenſes. Et Rex nihil comedit, niſi quod non prius Dæmoni fuerit oblatum, quo ubi ſatietatem explevit, reliquum à Braminibus exponitur ſacris corvis, ad hoc aſſuetis, quæ illud devorant, quoſque turbare aut cædere religio ipſis eſt maxima.

In *Narſingâ*, cujus rex *Biſnagar*, à regni metropoli, appellatur, ſerpentes in honore habent plus quam vulgari, propter eandem opinor rationem, quâ Diabolum colunt, ne ipſis noceat: quin Deum etiam adorant ſub imagine ſerpentis. Cenſent aliquid divini animalibus iſtis ineſſe, quoniam tam ſubito hominem veneno ſuo interimunt: & quia non tantum iis parcunt propterea, ſed & cultum deferunt ſupra humanum, inde tanto in locis iſtis occurrunt numero.

Quæ miſerorum hominum ſit religio in *Cormandel*, quæ regni Narſingæ eſt, copioſe deſcripſit Abrahamus Rogerius; & quomodo venerentur Dæmonas, præſertim *Gangam*, & *Gourmatam*, & rationem celebrandi annua in honorem feſti Gangæ ſacrificia hircorum quæ ei offeruntur, & currus ejus, coram quo non tantum ſe inclicant homines, ſed & ei ſe ſubjiciunt, & ab eo conteruntur, *lib.* 2. *cap.* 15.

In *Ceylon* vel *Zeylan* inſulâ, ne dicam de monte altiſſimo totius Indiæ, qui hic eſt, & vocatur *Pico de Adam*, quoniam exiſtimant indigenæ, *Singales* dicti, hic loci Paradyſum & creatum Adamum, vel ſaltem huc abactum fuiſſe ex Paradyſo, tanquam mundi medium, & hic ſepultum, cujus etiamnum veſtigia lapidibus impreſſa obſerventur: Salmaſius, ad ſolinum, *Tom.* 2. *pag.* 1110. hanc inſulam, veterum Taprobanem, ætate Ptolemæi Σαλικὴν dictam, contendit, hinc Zeilan hodie ab Arabibus, & Perſis appellatam: certius verò eſt, cynnamum tanta copiâ hic creſcere per ſylvas & nemora, ut orbi univerſo alendo ſufficiat. Incolæ norunt ſupremum aliquem Deum, omnium creatorem, ſed qui curam & regimen rerum tradiderit aliis inferioribus, quorum multa admodum ac diverſiſſima conſpiciuntur idola & imagines. Celeberrimus in eâ gente cultus ac veneratio tum *Elephantum* eſt, tum *Simiorum* alborum, præſertim ejus, quem Deum fuiſſe aliquando, at ob delictum cœlo dejectum, & in ſimium mutatum, ferunt, & cujus reliquiæ *Dens* in templo ſeu Pagode ſupra montem Adami, maximâ hominum frequentiâ, & peregrinatione annuâ coli ſolebat, antequam Luſitani ex Indiâ ann. cIↃ IↃ LIV. inſulam invadentes,

 & mon-

Digitized by Google

& monte ac templo potiti, ubi maximas putabant ſe, propter hominum undequaque in iſtum locum confluxum, & loci ſanctitatem ac celebritatem, reperturos opes, nil præter ciſtulam, ſed hanc pretioſiſſimis lapidibus circumcinctam accepere, quæ dentem iſtum aſſervabat. Pro quo recuperando Reges Ceylon, Pegu, Siam, Bengala, Biſnagar, miſerunt ad Viceregem nuntios, oblatâ, præter alia munera, 700000. ducatorum aureorum ſummâ, neque tamen, reſiſtente imprimis archiepiſcopo Don Gaſparo, impetrarunt, ne in nominis Chriſtiani dedecus verteretur, eos idolum tradidiſſe, & non eradicaſſe, nummorum gratiâ. Quare ſpectantibus illis concremari dentem juſſit, & cinerem ejus per aërem diſpergi. Quod intelligens Beneanum aliquis, & luctum ex illa jacturâ apud gentes iſtas immodicum, finxit, ſe verum dentem Luſitanorum manibus miraculoſe excuſſum habere, altero in ejus locum ſubmiſſo, quem pro genuino inſcii cremarint, atque à Pagode ſibi viſione confirmatum, eſſe illum ipſum dentem verum, quem oſtendebat. Quod & populus facile credidit, & Rex Biſnagar, vocato ad ſe impoſtore, & accepto gravi pretio dente, credi ab omnibus, & coli eum poſtliminio, adinſtar prioris, voluit.

Regnum *Pegu* abundat Elephantis, qui divino illic afficiuntur honore, eoſque excellere ingenio ſupra alios, dignitate, ac reverentiâ, quam ipſis reliqui elephantes deferant, credunt. Quare acriter inter ipſos nonnunquam belligeratum, propter elephantem fuit. Præcipue ann. CIↃ IↃ LXVIII. à Rege Peguano, adverſus Siamenſem, quem ubi intellexerat, album alere Elephantem, & donis nec precibus impetrare poterat, adducto exercitu millionis militum, 200000 equitum, 500 elephantum, & 300 camelorum, regno devaſtato, & urbe Siam, multis magniſque cum ſpoliis, abduxit tandem ſecum, magnum nempe belli pretium, Elephantem.

Cæterum Deum quidem fatentur Peguani aliquem ſupremum, omnium bonorum datorem, ſed & Diabolo ſacrificia impendunt ac cultum, hoc fine, ne ab ipſo lædantur: denique innumera habent & rebus quibuſcunque præpoſita numina ac idola. Inter quæ recenſent idolum *Corcovitas*, quod ſit antiquiſſimum & primum, à quo cætera dependeant; *Oyſima*, quod cauſa motus ſit in rebus omnibus: *Fotoko*, cui ſacerdotes ſingulis Saturni diebus offerunt ſuem nigram, & tres gallinas, itidem nigras, quarum nigra caro, nigrum quoque reddit juſculentum cui additur.

In regno *Siam*, fere eadem religionis ratio eſt, quæ in regnis lociſque vicinis, cujus, qualis qualis ſit, habentur à nonnullis primi auctores vel inventores. Deum quidem credunt ſupremum, verùm & inferiores ei adjun-

jungunt multos, & quoque Diabolo litant, horrendum in modum. Sic & in ultimâ ejus terræ regione, *Malaccâ*: ubi frequentiſſimus mercatus, & Luſitani habent epiſcopum, Goënſis Archepiſcopi, una cum Cachinenſi regni Malaberis, ſuffraganeum.

Quæ in reliquis Indiæ inſulis, *Sumatrâ*, *Javâ*, *Borneo*, aliiſque, conveniunt cum iis quæ hactenus de Indorum rebus ac religione diximus, vel dicturi ſumus de Chinenſibus, & Japoniis, qui Indiæ loca varia frequentant: & in multis ſimilem, in aliis diverſum religionis ſequuntur modum ac formam.

CAPUT SEXTUM.

De Sinenſibus. Firmoſanis. Cereanis.

PRiſcorum quæ fuit ſententia, *ultra Indos non habitare homines*, quod Cteſias, apud Photium, ſcribit, in Indicis; hodie conſtat, adeo non eſſe verum, ut ultra Garamantas & Indos Veteribus etiam notos, Sina ſit (ne dicamus Japoniam) quæ toti propemodum Europæ par eſſe creditur, in noviſſimo regni hujus Atlante, quem, præterquam ex propriâ notitiâ & experientiâ, ex quindecim Sinenſium Geographis, edidit Martinus Martinius Jeſuita. Sinam ſcribimus per S. non Chinam: quod à Luſitanis ortum, qui S. in Ch. mutarunt, atque pro Sina, Chinam dixerunt, inde & alii ſimiliter; ut levis eſt inter illas litteras mutatio: quemadmodum à Syriaco סיערא Gallorum & noſtrorum *chiſie*, atque ita in aliis. Incredibilis terræ iſtius eſt latitudo, adeo ut univerſam Europam æquare, ſi non ſuperare, ſcribatur: & quum in quindecim dividatur provincias, unaquæque maximum quodvis in Europâ regnum dicitur excedere. Unde quando primum illis noti Europæi, ægre ferebant in tabulis ipſorum Geographicis ſe poni ſub extremum orbis: quum medium inhabitare credant, & regionem ſuam hortum eſſe ſitum in medio terræ.

Quare Imperator, quem Cœli filium, atque iterum ad ejus à Deo cœleſti diſtinctionem, terræ ſive luteum Imperatorem *Hoangli* appellant, quum terra lutei coloris ſit, ſe ſcribere ſolitus eſt Dominum univerſi. Neque alibi Monarcham reperias poteſtatis magis abſolutæ, aut ditiorem. Quum reditus ejus annui ad ſummam CL. ſcutatorum milliones adſcendant, ex quovis terræ pede, quem quiſque poſſidet, ſuum capiens tributum. Singularis abundantiæ & felicitatis in illo regno argumentum eſt,

Digitized by Google

quod ita ſibi & ſuis omnibus ſufficiant, ut legem fecerint, quam & rigidiſſimè obſervant, ne abſque ſingulari Regis veniâ liceat vel Sinenſi alicui exire regno & peregrinari, vel peregrino intrare Sinam: neque etiam vel bellum cum extraneis velint gerere, vel loca aut ditiones extra Sinam poſſidere: quum antea credantur domini fuiſſe regnorum Malacæ, Siam, aliorumque adjacentium & ipſius, quod prorſus credibile eſt, Japoniæ. Quâ temperantiâ & juſtitiâ non tantum vincunt quidquid eſt Romanorum, Græcorum, & Gentilium antiquorum, quos vetuſtas adeo fuit admirata, ſed & Chriſtianorum plurimos.

Innumeri ab Rege hic pendent Magiſtratus, qui ſine ejus arbitrio aut conſenſu agunt nihil; ſuntque adeo multi, ut hâc parte laborare Imperium videatur. Unde prudenter admodum pro Rege in partes Chriſti trahendo vigilarunt unice, qui regno cœleſti in iſtis oris provehendo olim incubuerunt. In epiſtolis Jeſuiticis, ann. cIↃ IↃXCVIII. ſcribit Nicolaus Longobardus, *ſingularis unio & conſenſio Chinenſium cum ſuo Rege, non dubium eſt quin maximo adjumento aliquando futura ſit ad eorum converſionem. Si enim ſolam Regiam voluntatem nobis conciliaverimus, totius quoque regni tantopere conjuncti & ſubjecti animos facile conciliabimus.* In aliis litteris, ann. cIↃ IↃ LV. à Melchiore Nuneſio ſcriptis, hæc leguntur: *hæc omnium maxima eſt difficultas, quam in Sina invenio, pro Chriſtiana noſtra fide propaganda. Tam gravi enim homines hic premuntur imperio, ut aliam legem profiteri non audeant, citra eorum, qui præſunt, facultatem: nec ipſi provinciarum gubernatores ſine Regis imperio promulgare poſſunt.* Hoc tamen illud mitigat, quod Rex omnia provinciarum officia diſtribuit juxta merita & gradum, quem quiſque fecerit in ſtudio litterarum. Non gens ulla eſt ſtudiis magis addicta, & hic verè Philoſophi regunt, ac Rectores philoſophantur. Non eſt civitas, in quâ non Academia, & quæ non promoveat Licentiatos, Doctores, citra communionem cum Academiis aliis: & paucis in Chinâ exceptis, mercatoribus, opificibus, agricolis, omnes ſunt litterati, & viliſſimus quiſque ſaltem legere novit, & formare ſeu pingere litteras. Martinius, in præfat. Atlantis, pag. 9. *litteras autem ac ſtudia quanti faciant, vel inde patet, quod nulli illiterato pateat ad Remp. aut regni gubernacula aditus, quo quiſque à litteris inſtructior eſt, eo opibus ac honoribus magis eminet: hinc tota pendet, oriturque nobilitas. Vix quiſpiam inter eos etiam ruſticorum eſt, qui non ad decimum & quintum ætatis annum in litteras incumbat. Difficile ibi reperire eſt aliquem, qui ſcribere neſciat.* Quæ ut ad animum revocent, imo æmulentur, Europæi, Chriſtiani, & Reformati, etiam atque etiam rogo.

Peni-

Digitized by Google

Penicillo litteras ſuas, vel emblemata, ſunt enim hieroglyphicæ, ducunt. Et dictiones habent omnes monoſyllabas, nullis generum, numerorum, flexuum differentiis obnoxias, neque aliquod alphabetum, ſeu certum litterarum numerum; ſed res quaſque ſuis figuris exprimunt, & quæque habent figuram ſuam vel hieroglyphicen, quâ perdiſcendâ, totâ vitâ vacant, indeque à circumjacentibus regnis intelliguntur, quamvis alio & alio modo à ſingulis, eadem legantur.

Quodque à ſummo deorſum omnia pingunt & legunt, non vel ſiniſtroſum, uti Hebræi; vel dextrorſum, uti nos, id ſe majori putant facere ratione, quam quod alii aliter: æque mirantur nos ad lineam tranſverſam ſcribentes, ac nos miramur modum perpendicularem illorum. Se, dicunt, naturæ ordinem magis ſequi, quæ homini formavit caput in ſublimi, & pedes, non in eodem loco, ſed humiliori & in imo; ad eundem modum alibi inchoare ſcriptionem, & in ſublimi, ſed finire in imo: atque à dextrâ ſiniſtram verſus lineis abſolutis pergunt, uti Hebræi & Arabes, non vice verſa uti nos. Japonii autem quamvis diversâ utantur linguâ, intelligunt tamen Sinenſem ſcriptionem, eâdemque utuntur, & iiſdem figuris ſinguli ſuo idiomate, unde ſcribentes ſe mutuo intelligunt quidem litterarum vel hieroglophycorum utrimque intellectorum beneficio, non item loquendo. Nam ſignum vel littera eandem rem ſignificat apud Sinenſes, & Japonios, atque ita diſcunt hieroglyphica, ut iis modo ſuperſcribant Japonii ſuo more, id quod apud Sinenſes illa ſignificant; adeo ut eadem pictura rem eandem oſtendat his, & illis, quamvis eam diversâ linguâ utrique efferant & exponant. Quapropter Sinenſis lingua omnino addiſcenda eſt Chriſtianis, cum fructu rem Chriſti iſthic acturis, & ſcriptio; ut, quo compendio Japonenſes, eodem alii, in eorum gratiam & ſalutem utantur. Adhæc voces multas habent homonymas, quæ plurimas & diverſiſſimas res ſignificant, & tantum accentibus & tonis muſicis diſcernuntur. Quam ad rem opus eſt multo ſtudio, & accuratâ attentione. Unde accidiſſe refert Nic. Longobardus, in *epiſt. de ſtatu regni Chinenſes*, ad Claudium Aquavivam, Jeſuitarum Generalem, quod aliquis Chinenſibus dicturus, naves Europæas altitudine & amplitudine turres adæquare, vocabulo navis ejuſmodi accentum dans, qui non navem, ſed laterem deſignaret, Chinenſibus egregie ridiculus fuerit, incredibile exiſtimantibus, lateres noſtros eſſe inſtar turrium: quantæ igitur, inquiebant, ſunt fornaces pro illis excoquendis lateribus tam prodigioſis! Quin non alios duntaxat, ſed ipſos Chinenſes ſæpe multum vexat iſta vocum ſuarum amphibolia. De qui-

Digitized by Google

quibus vide Commentarium Theophili Spirelii, *de re literaria Sinenſium.*

Cæterum in Sinenſium politiâ, nam hac parte aliis præcellunt, maximus honor defertur litteris atque litteratis. Ingenio pollent, & hoc tantâ quotidie curâ excolunt, ut non tantum ſtudiis inhæreant per totam vitam, ſed & examinari quotannis de profectu ſoleant, à quo vel promoventur ulterius, ſi digni; ſin minus, degradantur, & deponuntur aliquando priſtino loco & dignitate: unde jam nil fere ipſis impervium aut occultum in re litterariâ & philoſophicâ eſſe poteſt.

Hinc & artis *Typographicæ* illic uſus fuiſſe aliquis perhibetur, antequam apud nos; & *nauticæ* quoque, ac *Magnetis*, ſive acus Magneticæ, quem Chericungus, magnus apud Sinas Aſtrologus & Mathematicus, & ſummus totius Imperii præfectus, ante Chriſtum natum annis mille centum & viginti habuit familiarem. Uſus quoque apud illos, antequam apud nos, fuit *pulveris nitroſi*, non quidem ad bella & occidendos homines, ſed ad oblectandos eos artificioſis ignibus & ſpectaculis.

Nec litterati tantum, ſed alii quivis aliquod opus tractant, ne quis inter ipſos ſit deſidioſus. Nuſquam terrarum adeo exoſum & infame otium, ac illic. Mendicantes in vicis, vel templis, & errones qui per terras vagantur, apud eos nulli. Pauperum curam habet is, qui apud illos vocatur Judex pauperum: cujus eſt vel parentes monere, ut operam illos doceant, quâ victum quærant, vel illis deficientibus, idem injungant proximis agnatis: vel denique ubi hi id nequeunt, aluntur ex publico in hoſpitalibus huic fini per ſingulas civitates erectis, ubi & locus devectæ ætatis ac virium militibus. Unuſquiſque filium docet artem, quam ipſe exercet, neque aliam. Et vel affectare nobilitatem; vel potentem nimis fieri aliquem, aut perpetuos occupare cenſus, ne hinc morum & politiæ turbatio accidat, non ſinunt. Ipſe Rex noviter electus ſolet agrum arare, & ſeminare, cui miniſtri ſui adſtant & armis ruſticis inſerviunt: Regique meſſis tempore offertur juſtum laboris ſui præmium. Nimirum ut proprio experimento diſcat, quo labore victus paratur, & quam parce ac ſobrie eo ſit utendum, denique & agriculturam, quâ aluntur homines, habere in pretio. Regis exemplum omnes jubet vacare operi, & mulieres omnes, ipſæque adeo Reginæ, alicui opificio deditæ, nendi aurum, ſericum, & ſimilibus, neque graviori ignominiâ notari aliquis poteſt, quam ignaviæ. Unde mira apud cunctos αὐτάρκεια & contentatio: ut nec aliena admodum appetant: neque adeo ipſum imperium prorogare multum laborent. Quod vicini intelli-

telligentes, Tartari, eos à dilatandis imperii finibus abhorrere, ab illorum invaſione ſecuri, rapido belli turbine totum imperium uno fere impetu devaſtarunt. Viribus quamvis multum impares, celeritate autem hoſtes ſuos obruerunt magis; quum vicerunt: laborante Sinarum imperio Præfectorum copiâ, & conſiliorum hinc, ut ſolet fieri, tarditate.

Triplex apud illos ſecta. Prima litteratorum, ſeu *Philoſophorum*, qui litteris & ſtudiis ſtrenue incumbunt per totam vitam, examinantur acriter, & citra gratiam promoventur, pro doctrinæ & graduum ratione ad regimen Imperii. Neque enim alii hic regunt, quam litterati.

Philoſophia ipſorum occupatur circa cœlum, terram, & hominem; exponunt illa, & præſertim docent hominem bene vivendi rationem. In hoc toti, potiſſimam partem conſtituunt in tradendâ Ethicâ. Ubi quinque ponunt virtutes cardinales; amorem, gratitudinem, urbanitatem, prudentiam, & veritatem: quinque etiam præcipuas virtutum combinationes & ordines, ex quibus reliqua dependent: officia parentum, & liberorum: maritorum, & uxorum: Regum ſeu dominorum, & ſubditorum: Amicorum inter ſe, & æqualium ſociorum: denique fratrum. Hiſce abſolvitur, quidquid tractant, docent, agunt. Nam de Deo, eoque colendo non ſunt ſolliciti. Unum quidem agnoſcunt ſummum Numen, à quo omnia conſervari & regi credunt: ſed quia quomodo coli velit, ignorare ſe profitentur, ſatius autumant, cultum ejus omittere, quam in eo deſignando errare. Olim Regi proprium fecerunt, Deo cultum exhibere, qui propterea duo habuit templa, alterum cœlo ſacrum, alterum terræ.

Poſſevinus, *Biblioth. lib. x. de Japoniis & gentibus juvandis*, *cap.* 11. ad quatuor capita revocat illorum de uno Principio ſententiam. 1. quod illud perfectum dicunt & beatum, ſed nil intelligens vel cupiens cognoſcere aut curare, eo quod in ſummâ quadam quiete & tranquillitate verſetur, inſtar hominis, qui quando in rem unam intentus eſt, reliqua non cogitat vel curat. 2. Principium iſtud rebus omnibus ineſſe, & cum iis ſe communicare, adeo ut omnia cum ipſo idem ſint, quod ad intimam ſubſtantiam, & in illud, cum intercidunt, revertantur. 3. hominis cor eſſe unam & eandem rem cum illo primo rerum principio; cumque homo moritur, cor perire prorſus quidem & abſumi, ſupereſſe tamen ex eo primum Principium, quod vitam ante conferebat. Quarto, poſſe hominem in hac vitâ ſummam Principii cognoſcendi perfectionem adipiſci, & meditando pervenire ad maximam vitæ tranquillitatem, & hoc eſſe ſummum bonum, quod donec obtineat, continuo motu agatur, & de inferno uno

in

Digitized by Google

in alium conjiciatur, uſque dum contemplando & meditando ad faſtigium pervenerit tranquillitatis, quæ in Principio illo primo eſt.

Doctrinæ autorem celebrat prima illa ſecta *Confutium*, antiquiſſimæ & irrefragabilis apud ipſos autoritatis. Vixiſſe Trigautius ſcribit, quingenteſimo & quinquageſimo uno ante Chriſtum natum anno. Hujus libros & doctrinam ſequuntur admodum religioſe, continent autem Ethicam, & bene vivendi diſciplinam. Eſt penes me Confutii iſtius aliquod manuſcriptum Sinico-Latinum, dono D. Juſti Heurnii, viri piiſſimi & amici ſingularis, cujus nota ad Indos legatio Euangelica: quo continentur Doctrinæ moralis aliquot capita, & Colloquium Confutii cum puero, ſuper ejus officio, & obedientiâ: in cujus ſtatim initio, pro fundamento pietatis ponitur, obedientia filiorum erga parentes, & mulierum erga maritos. Conſtat ſententiis, egregie ac concinne dictis. Apud Poſſevinum, *Biblioth.* lib. 9. cap. 27. legere quoque eſt initium Sinenſis libri, de moribus. Magna autem Confutii vel Cungfutii apud Sinenſes eſt autoritas ac veneratio: cui in omnibus fere urbibus gymnaſium erigitur, & fanum, in Magiſtri honorem, quem ut infallibilem in omnibus ſequuntur, & nefas habent ab eo recedere.

Egregia verò habent Sinenſes multa morum præcepta, quæ nullis antiquorum Philoſophorum cedunt. Virtutem, propter ipſam ſectandam: Virtutem, inquiunt, exerce, abſque eo quod aliud exſpectes præmium; nam ipſa ſibi ſufficit. Unde qui cum illis agunt Chriſtiani, eam rationem ſequuntur, ut oſtendant multam præceptorum noſtrorum convenientiam cum illis: ſicuti eſt in litteris Jeſuitarum annuis, an. cIↃ IↃ cx. Et præcepta de moribus noſtra non queunt improbare: quin in Nicolai Longobardi epiſtolâ legimus, eos ſiquando noſtra laudare cupiunt, dicere ſolitos, ipſum Confutium, ſi in vivis foret, doctrinam noſtram eſſe amplexurum.

Altera ſecta eſt *idololatrica*, & varia colit idolorum monſtra, qui originem ab Indis, vel Indoſtanis trahere putantur. Gonſales de Mendoza, in hiſtoriâ Chinenſi, refert ex Hieronymo Marino, in uno templo, ultra centena idola conſpici. Sed ridiculum in modum venerantur, & alias ſupplicant iis, & adulantur, alias ubi voto minus reſponderint, egregie diverberant. Docent metempſychoſin, unde & ab eſu animalium abſtinent. Qua de re vide Spirelium, *de re litteraria Sinenſium*, *à pag.* 274. Neque poſt hanc vitam alium eſſe vel præmii, vel pœnæ locum tradunt. Etiam nil in rerum naturâ eſſe verum, niſi prout à nobis apprehenditur. Ipſorum Religioſi *Oſciami* dicti, in cœnobiis degunt, alii in eremo.

Tertia

Digitized by Google

Tertia ſecta eſt *Epicureorum*, qvæ in voluptatibus venandis tota eſt: quibus indagandis & augendis mire ſunt ſagaces. Poſt mortem nihil opinantur ſupereſſe; ideoque in vitâ prolongandâ omnibus modis & medicinis allaborant. Familiam ducunt *à Lauzu*, philoſopho, qui eodem vixerit, cum Confuſio, ſeculo: & Lauzu appellatus, quod ſignificat philoſophum ſenem, quia octoginta annis, ajunt, in matris utero geſtatus fuit, antequam naſceretur. Senex, antequam puer! Dominum cœli venerari ſe dicunt, qui nunc ſit, & vocetur *Ciam*, nam ante hunc alium volunt regnaſſe *Leu*, qui die quodam in terras deſcendens albo vectus dracone, atque apud Ciam, qui augur vel divinator erat, divertens, Ciam dracone conſcenſo evolavit in cœlum, & excluſo veteri Domino Leu, cœleſtem thronum occupavit, ſolâ montis alicujus præfecturâ Leu, hoc petenti, relictâ, ubi & vivere adhuc, antiquâ dignitate & cœlo extorrem, eorum multi arbitrantur.

Verùm præter tres illas ſectas principales, complures, imo innumeræ, ſunt aliæ: ſed in tribus illis conſervandis, & conjungendis, nam benè uniri poſſe quam multi ſtatuunt, verſatur ipſorum politia. In templis olim non niſi ſpiritum colebant, tamquam ſupremum Numen, quod Mundi animum dicebant: jam ſpiritus & dæmones colunt varios, rebus, & locis ſingulis præfectos, eorumque idola quamplurima: ſed quæ ita verentur, ut non magis ſe illis, quam illa ſibi ſubjecta videri velint. Nam quum ſortibus ſupra modum ſint dediti, atque ab his pendeant prorſus, & negotia omnia ſuſpendant, ſi quid præter ſortem evenerit, miſere vapulat idolum, & contunditur verberibus. Jam quæ quis domi habet ſuæ, ſuffitu honorant, non precibus.

Auguriorum & divinationum adprimè ſunt ſtudioſi. Unde magna apud illos hominum iſtorum copia, & Aſtrologorum, Geologorum, Phyſiognomorum, ac Chiromantarum. Qui dies omnes, & loca definiunt, diſtinguuntque in fauſta & infauſta. Quem in finem Regii Aſtrologi conſcribunt Calendaria, ubi de diebus & horis faſtis, nefaſtis conſulunt, & vix quidpiam agitur, niſi ex illorum conſulto. Præſcribunt autem quid quovis tempore conducat, aut noceat, quid tali die ſacrificare tutum ſit, & an beneficentiam exercere, mederi morbis, inſtruere convivia, lavare corpus, mutare ædes, inire conjugium, colere terram, erigere columnas vel culmina ædium, arbores, famulos elocare aut emere; inchoare ſtudia, effodere puteos, & ſimilia, qvæ de ipſorum Calendario, & faſtis memorantur in annuis Jeſuitarum litteris, a. cIↃ IↃ cxI. Atque a. cIↃ IↃ cxx. facto

Digitized by Google

cto novo rege, primo mandatum fuit Tribunali rituum, qui apud illos eſt, ut per Aſtrologos, quorum nobile admodum eſt collegium, fauſtus conſecrationi dicaretur dies. Qui ſupputatâ Principis nativitate, aliiſque judiciariæ rei rationibus, conſtituerunt diem, & horam, quæ videbatur ex felicitate Principis & regni. Adeo nihil agitur illis inconſultis. In extruendis ædibus, deſignandis ſepulchris ſuperſtitioſe omnia rimantur, figuras, loca, ſitum, juxta membra Draconis, quem ſibi imaginantur & formant Geologi; è quibus pendere autumant, viventium ſælicitatem.

Utcumque verò in Deum credant aliquem ſupremum, non tamen ipſum vacare curis & regimini mundi inferioris putant, ſed harum rerum regimen tradere aliis infra ſe Dæmonibus vel ſpiritibus. Unde turpiſſimi exiſtunt Dæmonolatræ. Nec minus pudendum, illius Dæmonolatriæ exercitium publice illis concedi, quod dicitur, à Chriſtianis, in locis & ſub oculis Noſtrorum, non ſine ingenti Chriſtiani nominis opprobrio & ſcandalo. Nempe quam ob cauſam illi Diabolum adorant, ne ipſis noceat; hi idem illis permittunt, ne damno aliquo multentur.

Proxima Sinis inſula eſt, quamvis ipſis non ſubjecta, ſed jam olim ſui juris, & pòſt ab Hiſpanis partem occupata, qui & nomen indiderunt, à Sinico aliud, *Formoſa*, qvam Belgæ Noſtri pridem ſive ejus munimentum tenuerunt:& ab hac fere mediâ leucâ diſtat *Tayvan*, ubi Noſtris quoque arx eſt: vivunt utrobique eodem fere modo, ab aliis & vicinis valde ſegregati, neque regem, aut gentis caput agnoſcunt, at liberi, & in mutua bella oppidò frequentes. Varios credunt, non unum, Deos. Quorum alium in Auſtrali collocant parte; & appellant *Tamagiſangab*; ejus autem divam uxorem in parte Orientali, *Tekarpuda* vocatam. Quando verò in Oriente tonat, Uxorem maritum ſuum alloqui fingunt & objurgare, quare pluviam inhibeat, hinc eam confeſtim dari. Alium Deum conſtituunt in ſeptentrione, & *Saiſano* nuncupant, malum, quem adverſa immittere credunt, & propterea colunt, ne faciat. Demum & alios habent, quos invocant in bello: ſæpius enim inter illos, uti diximus, belligeratur. Idolum aliud immortalitatis, ſub viri ſenis, pinguis, & magnifici formâ, adſtante cervo, & ciconiâ, animalibus longævis, coli, cervorum enim cibum ad longævitatem maxime conferre exiſtimant, refert in Atlante, Martinius, ſub provinciâ Sinarum undecimâ Fokien, pag. 131.

Peninſula eſt *Corea*, vel continens cum Niuche Tartariæ, ubi eadem viget religio, quæ apud Sinenſes, quorum ſunt feudatarii, & cum quibus tum ſacra, tum profana adeo ſequuntur eadem, ut in nupero Tartarorum bel-

Digitized by Google

bello, vel ſoli maluerint totam ejus molem ſuſtinere, quam Tartarorum voto ſatisfacere, quod erat, *capillos* abradere Tartarorum more; & *veſtimenti* genere uti ad corpus adſtricto, non laxo, uti Sinenſes. Quæ duæ erant tanti belli & vaſtationis cauſæ. Tartari enim capillos non alunt, ſed abradunt, relictis duntaxat in occipitio aliquibus, qui pulchre contexti, ab humero caudæ inſtar dependent: barbam etiam totam evellunt, oblongis relictis myſtacibus: veſtes autem ad talos uſque dimittunt, manicis admodum ſtrictis, qualibus ferè utuntur Hungari & Poloni. Ipſa verò Corea non exigua eſt inſula, etenim in octo dividitur provincias.

Cæterum doctrinam, & docendi ac ſcribendi modum, & fidem metempſychoſis, & ſtudium Philoſophiæ, & idolum Fe, & cadaverum demum ad tertium à morte annum inhumationem, aliaque cum Sinenſibus habent communia; niſi quod diſcrepare ab illis malint in fœminarum converſatione, & conjugio, liberiori hic & ex mutua conjugatorum voluntate contrahi ſolito; aliter quam apud Sinas, ubi totum hoc peragunt parentes & amici, inſciis filio & filiâ, quia, dicunt Sinenſes, nam hanc dant rationem, immodeſtum videtur ſi filia interrogata velitne nubere, velle ſe audeat profiteri, aut etiam nolle.

CAPUT SEPTIMUM.

De Japoniis.

POſt Sinenſes, & quos diximus, Formoſanos, Coreanos, veniunt *Japonii*, illis inferiores quidem ingenio, doctrinâ, rebuſque aliis, non autem armis & re bellicâ, quibus ab anno ætatis decimo quarto aſſueſcunt, & ſemet enſe ac pugione præcingunt: à Sinenſibus tamen oriundi, forte & à Tartaris. In litteris Japanicis legitur, quod originem trahant à regione Chegnico, quæ ultra Sinam, & Tarthaum ſit; Paulo Veneto *Zipangri* dicti, quod convenit cum proprio ipſorum nomine *Gepuiengi*, & ſignificat, indicante Martinio, in Appendice ad Atlantem Sinicum, originem ſolis, quia ab illâ terræ parte primum oriri ipſis videatur.

Diſtat autem Japonia à Sinâ decem vel duodecim dierum trajectu: & Luſitanis primum reperta fuit a. cIↃIↃXLIII. Religionem, leges, & litteras, mutatis nonnullis additiſque, à Sinenſibus acceperunt, anno à Chriſto nato circiter ſexcenteſimo. Quapropter in dubiis & arduis ad Sinenſes provocare, quod illi ſic docent & tradunt; atque apud Chriſtianos doctri-

Digitized by Google

nam Euangelii ipſis annunciantes, excipere ſolent, ſiquidem vera hæc eſſet, Sinenſes jam dudum illam fuiſſe amplexuros.

Cum in quinque hominum ordines ſeu tribus vulgò Gens tota dividatur, I. in eos, qui funguntur *honoribus*, & muneribus publicis. II. in *religioſos*, quorum maxima frequentia, mento ac capite prorſus raſos; *Bonzii* appellantur: tertius ordo eſt *civium* & nobilium. IV. *opificum*, & inſtitorum. V. ultimus denique *agricolarum:* tres poſt regem, quem ut Numen venerantur, & quæcumque fere attigerit, ſancta habent, unde nec terram pedibus ipſi tangere licitum, quin de ſanctitate ipſius actum, & forte regno, eſſet; habent ſummarum dignitatum viros: quorum primus *Sacris* præeſt, ad inſtar ſummi pontificis, & vocatur *Zazo:* cui domicilium vel aula eſt in urbe regiâ Meaco, atque habet intra ædes ſuas 366 idola, quorum in ſingulas noctes unum ad latus ſuum, ut excubias agat, conſtituitur. Pro ſancto, ac Numine etiam illum habent, cui veſtigia humi ponere non permittunt, rerum ſacrarum & perſonarum ſupremo domino. Alter præfectus *dignitatum* eſt & honorum, qui in regno geruntur, *Vo* dictus, atque honores diſtribuit pro meritis ſingulorum: cui quoque terram pedibus attingere, religio eſt, vel ſi tetigiſſe deprehenditur, aut occidiſſe aliquem, aut denique pacis & tranquillitatis publicæ probaverit ſe inimicum, deponitur, at capite plectitur nunquam. Tertius cognoſcit cauſas & judicia, rebus belli præfectus, & pacis, *Cubacami* appellatus.

Gaſpar Villela, in epiſt. a. cIↃ IↃ LVII. tres ordines recenſet, Patritiorum, & Bonziorum ſeu religioſorum, & denique Operariorum; additque, inter nobiles, & alios in perpetuum tantam eſſe differentiam, ut nec patritiis unquam inopia auferat dignitatem, vel aliis utcumque ditioribus illa accedat, & neque matrimonium inter utroſque unquam ineatur.

Bonzii, ſeu religioſi maximo numero ſunt ubique & autoritate, quamvis non probæ vitæ, & hoc vulgum quoque non lateat: attamen propter externam ſaltem abſtinentiam, quia carnibus nunquam veſcuntur & piſcibus, ſed terræ tantum frugibus, & orizâ, idque ad menſuram, & ſemel tantum in die, neque etiam potu utuntur ex oriza, & cum mulieribus non conſueſcunt, ſub pœna capitis, ſaltem qui ſacerdotum modo inter illos veſtiuntur; tum ementitis variis ſanctorum ſuorum legendis ac fabulis; adhæc quinque ſaltem præcepta tradunt fundamentalia, omnibuſque obſervanda, videl. non occidere, non furari, non adulterari, non mentiri, & abſtinere à vino, ſed quæ neminem obſervare poſſe perſuadent, niſi ſe ſolos,

Digitized by Google

ſos, & ſe quoque pro aliis, qui modo ipſis providerint de neceſſariis, de monaſteriis, prædiis, & rebus quibuſcunque aliis, imo eorum animas ex inferno poſſe liberare: quare chirographis, quæ magno vendunt, morientes muniunt adverſus infernum, qui miſeri hinc ſe ſatis tutos adverſus dæmones arbitrantur, & propterea ſecum terræ mandari illa cupiunt. Atque hinc ipſorum apud plebem exiſtimatio & reverentia. Imo & propterea religionem ſuam Bonzii Chriſtianæ etiam præferunt, quod tam facile adverſus peccata, & ex ipſo inferno liberationem promittat, ſacerdotum operâ & interceſſione; quod non facit Chriſtiana. Dant chirographa de pecuniâ ſibi mutuatâ, quam cum fœnore reddant ſc. in vitâ alterâ, & quæ morientes creditores ſecum deferunt, ut ſuo tempore recipiant. Vendunt quoque tunicas papyraceas, in quibus S. Amidæ deſcripta vita, additis indulgentiis & diplomatibus, ut ſi eo amictu indutus quis decedat, peccatis liber & immunis ad beatas Amidæ ſedes perveniat. Quod *lib.* 4. *epiſt. Japanicarum*, referunt Jeſuitæ.

Diverſi coloris induuntur veſtitu, & hinc duplex ordo: aliorum, qui cineraceo; & qui nigro incedunt, aliorum; ſibi invicem valde infenſi. Habent & Bonzias, fœminas, quæ ſe etiam diverſicolori veſtimento diſtinguunt, & ejuſdem ordinis vel coloris viris religioſis addicunt, quaſi ejuſdem familiæ. Quæ cineracei coloris, ſequuntur Amidam; nigri verò, Xacam.

Qui duo ſunt præcipua Japoniorum numina. Quum enim ſectas numerent ſupra undecim, vulgo ſectantur aut *Xacam*, aut *Amidam*, qui fuerunt olim egregii ſc. viri, & doctores, quorum poſteri hujus, aut illius ſequuntur doctrinam: ambo verò vitæ auſteritate ac pœnitentiâ excelluiſſe, & tantum ſibi apud ſuos nomen comparaſſe, dicuntur. *Xacam* Regis fuiſſe filium, & plures libros ſcripſiſſe & hos diſcipulis ſuis, quos millenos habuit, reliquiſſe, aſſerunt. Porro, demolitis veteribus idolis, unum Deum docuiſſe, omnium rerum conditorem: & quinque illa præcepta, quæ modò retulimus, ſtricte obſervanda: ad hæc, ne de rebus, quæ vitari non poſſunt, ſe torquerent ſui; & ut injurias condonarent; jejunarent ſæpius, ſeque affligerent; & alia morum præcepta tradidiſſe, variis conſcripta voluminibus. Docuit etiam infernum, & locum vel ſtatum poſt hanc vitam eſſe puniendis malis, igne perpetuo. Ex qua diſciplina eſt, quod Japonii cane pejus & angue oderunt à puero omne mendacium, & nulla gens minus furto dedita ſit, quam illi. Unde & nullibi tanta hominibus, & bonis ipſorum eſt publica ſecuritas. Quod ſi in furto

quis deprehendatur, tutò à quovis interimitur. Non habent vincula publica, non cuſtodias, lictores; ſed vel patres familias domi ſuæ capitis ſupplicia exercent, nullâ interpoſitâ morâ; vel in perduelles pronunciatâ à Rege ſententiâ, Præfecto judiciorum mandatur, ut reum quocumque loco liberè vagantem moneat, ad mortem ſe ut paret: qui ſi impetrare veniam ſui occidendi à Rege nequeat, in ædes ſe recipit, & amicos, & liberos, & ſervos omnes inſtruit armis ad ſui defenſionem: quem expugnare Præfectus tenetur, & ſic non ipſum tantum, ſed totam ejus delere familiam. Aleæ & luſuum propterea inimici ſunt, quia indignum putant, ut homo rebus vacet, quæ ipſum avidum & rapacem efficiant rerum alienarum. Verum ubi tantopere abhorrent homicidium, mirum qui mos apud eos obtineat, quo pauperiores, etiam qui tales inter nobiles ſunt, infantes ſuos recens natos trucidari curant, pede ſuo natorum collo impoſito, ne vid. hinc ad paupertatem redigantur. Uſque adeo crudeles & inhumani; quamvis honoris & commodorum ſuorum cæteroquin vindices ſtrenui.

Xacæ non tantum imaginem & idolum venerantur Japonii, ſed & reliquias, imprimis dentem habent ſacrum, eumque in ſupplicatione aliquando circumferunt, ad impetrandam pluviam, uti in epiſtola eſt Gaſpari Villelæ, Meaco, quæ regni metropolis eſt, & urbs regia, quaſi Japonenſium Roma, ſcripta a. cIↄ Iↄ LXI.

Magis adhuc Amidam colunt, & frequentius invocant, conſuetâ & obviâ formulâ, *namu Amida ambut*, hoc eſt, *ſalva Amida:* ſive in templis, ſive in foro, & domo, ad quævis negotia; docti ab iſtius ſectæ Bonziis, quod qui nomen Amidæ invocaverit, ſalvus erit. Quinimo iſtius viſendi & fruendi ſtudio in altero ſæculo, ſibi ipſis manus inferre haud dubitant, quod ſingularis ſanctimoniæ ducunt & gloriæ. Nec dedecori eſt, ſed honori imputant, ſibi ultro mortem conſciſcere. Quod quando damnatis ad mortem à Rege conceditur, ſicâ à ſummo pectore ad imum ventrem corpus diſſecant, ſic demum ſibi, ac familiæ egregium decus parare arbitrati.

Alii religionis ergò, ab excelsâ arce, in honorem proximi idoli, alacres ſe præcipitant. Vel conſcendunt naviculam, eâque in altum ſubvecti, inſtructi falce, ad vepres ac ſentes, qui iter ad beatorum ſedes impediant, præcidendos, facto in navi foramine cum eâ, vel extra eam, ſaxis ad collum, brachia, & pedes ligatis, ſe ſubmergunt: quam mox navem amici, alio navigio ſequentes, injecto igne comburunt, indignum cenſentes, tam

tam ſanctam navem alios impoſterum in uſus adhiberi: defunctis ſc. illis martyribus ædes & monumenta erigunt, quæ religioſe in ipſorum honorem frequentantur. Alii in ſpecum ſe abdunt, conteguntque, ubi ex unâ tantum arundine perforatâ trahunt ſpiritum, & inclamant Deum Amidam, quouſque inediâ extinguntur. Hos in miſerâ gente ſui martyres reperit, & facit Diabolus.

Habent & alia Numinum idola, quæ in epiſt. Japonicis dicuntur eſſe numero 13000. quorum nullum genus deeſt in aulâ regiâ: nam eorum animas vigilare credunt in ſalutem Regis. Quod ſi verò adverſi quid ei eveniat, aut ſi ægrotet, idolum, cui eo tempore Regis cura commiſſa erat, egregie excipitur verberibus, & ejicitur palatio, ut centum dies exulet, poſt quos comiter iterum revocatur & reponitur ſuo loco, ne altius nimirum animo ignominiam recondat, & poſtmodum gravius ulciſcatur. Quæ deploranda magis, quam ridenda, hominum iſtorum cæcitas eſt ac ſtupor.

Colunt inter cætera numen, quod *Combadaxi* appellant, de quo mira narrant: quod Bonzius fuerit ante novem circiter ſecula, mirâ vitæ ſanctimoniâ & miraculis clarus: forte dæmon ſub humanâ ſpecie, adeo horrenda deſignaſſe dicitur: inventor creditur litterarum, quibus vulgo Japonii utuntur, & futura prædixiſſe multa, & ſtellas potuiſſe evocare, ac ſimilia. Extremâ ætate ſpecum ſubterraneum ingreſſus, nolle ſe amplius inter illos verſari, neque mori tamen, ſed quieturum, dixit; addens, poſt decem annorum millia reverſurum ſe, cum aliquo, qui tum oriretur, Japoniorum Doctore, viro excellenter litterato. Quibus dictis ſe includi curavit cryptæ, ac vivere ibi etiamnum populus perſuaſum habet, nonnunquam etiam aliquibus apparere. Monumentum verò ejus vel ſpecum, in quo reſidet, magnâ colunt religione, & præſertim Diem anniverſarium quo ſeſe abdidit. Facit ejus mentionem quoque Voſſius, in libris *de Idololatriâ*: præter Varenium, *de Japoniorum religione*, *cap.* 1.

Admiranda & terribilia ſibi formant idola: nonnulla, quæ varia habent capita, alia facies diverſas: ſuper collum capita multa, alia ſuper humeros: quædam etiam brachia, vel manus quatuor, imo plures, & quò plures (ſunt enim quæ centum pinguntur manibus,) hoc arbitrantur eſſe fortiores: alia caput ferunt animalium, bovis, porci, canis, & ſimilium: horrendâ autem admodum ſpecie pingunt Diabolum, & colunt. Alii ſolem, & lunam venerantur: quin & per ſolem jurant. Sic variis miſeri idolis, ſectis, terriculamentis turbantur & diſtrahuntur.

Eſt

Digitized by Google

Eſt ſecta inter illos ſeu familia *Contemplantium*, qui pertinaciter ſe dedunt aſſiduis meditationibus, & appellantur *Muraxaqui.* Toti hærent in cogitando rerum omnium primo Principio, ex quo, & in quod omnia: ſingulis illud rebus intime ineſſe, & in hoc omnia reſolvi, ejuſque meditatione pervenire homines ad ſummam felicitatem, & tranquillitatem, quæ ſummum bonum ſit, quandoquidem etiam Principium illud in otio & torpore perpetuo verſetur, & nihil agat, vel curet, arbitrantur. Atque illud in homine eſſe cor, vel ſaltem hoc in illud tranſire, autumant, quare & animas interire. Alii primam rationem appellant, aut magnum ſolem: nam ab omni æternitate fuiſſe volunt, clarum, lucidum, expers ratiocinationis, in perpetuo uti dictum, degens otio ac quiete. Qui diu admodum in illis meditationibus verſati fuerunt, magno habentur in pretio, & pro valde ſanctis. Quin ſingularem etiam commenti ſunt illos in ſanctorum canonem promovendi rationem. Quod in epiſtolis Japonicis ita refert Laurentius Japonius, ex Japone factus Jeſuita; nempe quomodo, poſtquam Bonzius aliquis, Quenzu dictus, triginta annos meditando inſumſiſſet, à Doctoribus Meacenſibus duobus, probatâ ejus in meditando peritia, & vitæ ſanctitate, in cathedrâ ſublimi poſitus, & adoratus, & ſic in divorum catalogum relatus fuerit: cujus poſtea rei ab illis acceperit diploma publicum, ipſorum manu ſubſcriptum. Et hic aliis præſcribens meditandi argumentum, in charta pinxerat pratum, in eo arborem, ſubſcriptis verſibus duobus, quos judices ut eximios admodum & reconditæ ſcientiæ comprobarunt. Prioris verſus ſenſus erat:

Cedo, quiſnam te ſevit arbor arida?
Ego, cujus Principium nihil eſt, Finis nihil.

Atque alterius;

Meum cor, quod neque eſſe, neque non eſſe habet,
Neque it, neque redit, nec retinetur uſpiam.

Uterque ſatis jejunus & inficetus.

Nullos deprehenſum magis obſtare & reluctari converſioni, quam Bonzios, atque inter eos, iſtos Meditabundos. Nam impuræ & flagitioſæ paſſim vitæ ſunt, utcumque in ſpeciem duræ & ſanctæ, ſed nihil non faciunt pro lubitu, & clam perpetrant omnia, etiam quibus alios prohibent. Non tantum non à vino, ſed neque alienis uxoribus, & turpioribus abſtinentes flagitiis.

CAPUT OCTAVUM.

De Tartaris.

IN Septentrione, ultima orbis Aſiatici regio eſt Tartatorum ſive Tatarorum. Quod enim de *Catayo* Marci Pauli Veneti hactenus anquiſiverunt multi, id clariſſimi viri D. Golius, Collega noſter honorandus, & D. Martinius tot demonſtrationibus locorum, nominum, rerum earundem, oſtenderunt nihil aliud eſſe quam ipſum Sinarum regnum, magno fluvio Kiang in duas præcipuas partes diviſum, quarum ſex provinciæ boreales, cum Catayo; novem aliæ auſtrales, cum M. Pauli Mangin conveniant: *namque ita vocantur etiamnum à Tartaris, ac Mauris, qui ſingulis tribus annis ad Sinarum Imperatorem tributa ferre conſueverunt:* Golius autem etiam ex nominibus iiſdem horarum, dierum, annorum, ſive Sinicis, ſive Catayicis, eodemque computo idem collegit, in Additamento ad Martinii Atlantem Sinicum: ut fruſtra porro Catayum extra Sinas, vel apud Tartaros, aut Scythas, vel alibi, inveſtiges. Quemadmodum & Seres veterum noſtri ſunt Sinenſes.

Tartariam Aſiaticam, ſive majorem, quæ hinc Chinâ, inde freto Anian terminatur, ſi modo fretum illud in rerum naturâ extet, orientalem & occidentalem tenent veteris Scythiſmi reliquiæ, & ſumma quidem barbaries. Ab Indis nonnulla Tartari accepiſſe videntur. Nam & mortuorum cadavera, cum Indis comburunt, fœminis, & famulis in eundem rogum conjectis; & ſacrificulos habent, quos *Lama* vocant.

Unum agnoſcunt Deum ſupremum, cœleſtem, & immortalem, cui adolent quotidie, & precantur ab eo ſanam mentem, ac firmam valetudinem. Bene hoc quidem, quod mentem petunt ſanam in corpore ſano, ipſis ſupra modum neceſſariam.

Deinde inferiorem illo habent Deum alium *Natigai* dictum, prioris filium, qui præſit terræ fructibus, atque animalibus: cujus ſtatuam humi ponunt & venerantur, cum alterius nomen tabulæ inſcribant, à pariete ſuſpenſæ. Hujus Idolum non tantum ſuffitu ornant, ſed quando edunt, pinguiorem carnis partem labris ejus affricant, unde totam ſanctificari credunt, & præmiſſo primùm illo idolothyto devorant, jus etiam in plateas effundentes, quo cibari ſpiritus exiſtimant.

Alibi ſolem invocant, & lunam, expanſo in ſublimi rubro panno, vel

Digitized by Google

pelle caprinâ. Credunt & animorum metempſychoſim: atque pro ratione vitæ anteactæ renaſci priorem hominem defunctum in nobili alio, vel Principe; & ſi pergat ſemper in melius, aliquando evadere Deum: ſin contra, è divite ire in pauperem primùm; & ubi deterior evadit, in canem & vermem; ſemperque in pejus mutari ejus conditionem à morte, prout fuit in vitâ.

Magos habent complures, & Aſtrologos, quibus multum fidunt, & conſulunt eos non aliis tantum in rebus ac negotiis, ſed poſtquam aliquis mortuus, rogant illos, obſervatâ bene mortui nativitate, quando & quâ ædium parte debeat ſub propitio planetæ adſpectu efferri, ac cremari. Interim quotidie inſtructâ menſa apponunt cibos, quibus ſatiari & delectari defunctorum animas, perſuaſum.

Nomen Tartarorum maximè illuſtre ac tremendum fecit magnus Chan (quod Principem notat, & Tartaricorum Imperatorum eſt, uti Chalifa Saracenorum, Ægyptiorum Pharao, aut Romanorum Cæſar) Timur ſive *Tamerlanes*, ex proſapiâ Gingis Chani, Tartariæ Regis, mortui a. cIↄ ccxxviii. Tamerlanis autem hiſtoriam edidit Arabice CL vir, & Collega Jac. Golius; ex Arabico autem Ahmede Arabſcha latine ſummatim cel. D. Hottingerus, in Hiſtoriæ Eccleſiaſtiæ ſæculo xv. Nam Timur (ſignificat autem vox iſta Turcis *ferrum*) ſæculo iſto vixit, & floruit circa a. cIↄ ccccvi. nam in regnum ſucceſſerat a. cIↄ ccclxx. & vixit ad octogeſimum ætatis annum. Scribebat ſe, & ſuos eſſe *exercitum Dei, creatum ex ira ejus, dominantes omni illi, cui indignatio ejus incumbit, non parcentes querenti, nec miſerantes flentem*: ſymbolum annulo ſignatorio inſculptum erat, *juſtus, & elapſus ſum.* Corpore quidem claudicabat, magis autem animo. Non Gentilis religione, nec prorſus Muhammedanus; attamen cum hac fere convenientem tutabatur Gingiſchaniſmum: quare Muhammedanis infenſus erat, uti fere Samaritani Judæis ſolent.

De Tartaris Martinius, in *præfat. Atlantis*, narrat, quod religio apud eos vix ulla, quod Mahometiſmum horrent, de Turcis peſſime ſentiunt, ſuperſtitiones Indorum aliquas adoptarunt, & religionem Chriſtianam facile admittunt: nec difficilis ipſorum lingua: unde ſpes videtur, nonnunquam, forte per nuperas Tartarorum in Sinenſe imperium irruptiones, & commercium Chriſtianorum cum illis, etiam in Tartariam perductum iri Doctrinam Chriſti. Quamvis alii propter alia obſervent, eos in Muhammediſmum eſſe procliviores, & idcirco hunc potius, quam religionem aliam acceptare. Quod Matthias Michovius hac ratione docet contigiſſe,

&

Digitized by Google

& Muhammedanos haud difficulter ſuam illis perſuaſiſſe religionem, eo quod facilior eſſet Chriſtianâ, & ſuavior, denique viris belligeris, quales Tartari, convenientior. Sed hæc omnia meliori doctrinæ cedere cogentur, ubi Deo viſum eâ colluſtrare gentes vel maxime barbaras, & remotas.

CAPUT NONUM.

De Lappiis Americanis: eorum terrâ primum, tum religione.

A Tartariâ, per fretum Anian, ſi quod tale ſit quod tabulæ nobis exhibent, perveniri in Quiviram Americæ poſſe, & inde etiam incolas illuc advectos, plurimorum eſt ſententia. De quo quidquid ſit, nobis in præſentia ſaltem commodum iter illac progrediendi erit in alterum orbem, & ſpectare rationem religionis & Gentiliſmi, qui iſthic hodie eſt: primum ubi dixerimus, de iis qui in viâ occurrunt, ſub extrema Europæ ſeptentrionalis, *Lappiis*. Quos ignem & ſtatuas lapideas ceu Deos venerari; & ex hoc quod mane primum occurrit, totius diei colligere augurium, ſcribit de illis Damianus à Goes, Luſitanus eques. Atque ſuppolares in extremo ſeptentrionis ſolem adorare, quia & lucem dat adverſus tenebras, & calorem poſt frigus; lunam quoque, cujus luce, abſente ſole, utuntur, expanſo ad erectam perticam panno rubro, propter ſimilitudinem quam color iſte habet cum ſanguine, autor eſt Olaus Magnus, *Hiſtor. Septentr. lib.* III. *cap.* II.

Pergamus hinc ad remotos toto orbe Americanos, quorum nulla, vel obſcura admodum apud Veteres mentio: quo magis mirum, unde in tantâ Orbis regione aut parte iſtâ hominum frequentia, & quando, vel à quibus primum habitari illa cœperit. Siquidem non ultra ſeſqui ſæculum eſt, quod mundo mundus iſte innotuit. Chriſtophoro *Columbo*, Genuenſi primùm detectæ a. cIↄ ccccxcII. ejus aliquot inſulæ, Hiſpaniola, Cuba, & Jamaica: deinde continens ulterior ab *Americo* Veſputio, Florentino, Emanuelis Portugalliæ regis auſpiciis, a. cIↄ ccccxcvII. atque ab eo ſortita nomen fuit America.

Admirandâ Dei providentiâ, ſub idem fere tempus Europæis utraque, & Orientalis, & Occidentalis India expoſita, & quaſi ex Chao aliquâ illuxit. An Columbo indicata Occidentalis illa fuerit à Navarcho quodam, cujus nomen fere tacetur, niſi quod alii ei nomen dent Alfonſi Sanchez de

Huelva, qui dum in Africæ commercio eſſet occupatus, ventorum violentiâ abreptâ navi, ad ignotas terras & littora appulerit, & hoc retulerit redux, in Madera inſulâ degenti forte Chriſtophoro Columbo Liguri, cui & navigationis ſuæ quos confecerat commentarios reliquerit, unde & geographiæ & aſtronomiæ notitiâ inſtructus Columbus in cogitationes de quærendâ novâ terrâ cujus mentionem alter fecerat, inciderit, dubium: quia illam de Navarcho narrationem, tamquam inventi orbis illius occaſionem alii ſuſpectam habent, uti ex æmulatione Hiſpanorum ortam, gloriam tantam extraneo invidentium. Nam Americus Veſputius Florentinus fuit, non Hiſpanus. Atque dubitare videtur ipſe Mariana, qui illud refert, lib. XXVI. cap. III. addens, *quæ ſi vera cauſa fuit*: & viri docti in illam nunc eunt multi ſententiam, confictum id de Navarcho, ex eâ, qua dictum, cauſa fuiſſe, & confictæ perſonæ tandem etiam quæſitum nomen. Quam ego quæſtionem non decîdam. Niſi quod cavendum etiam arbitrer, ne ex aliâ adverſus Hiſpanos æmulatione ipſis videamur vicem rependere, & invidere, quod aliter negare tutum haud ſit. Quodcumque iſtius ſit, omnibus nunc, idque ſingulari divinæ providentiæ benignitate, illæ terræ, tam ſpacioſæ, & incolarum plenæ pridem innotuerunt. Mirum unde, & quomodo homines aliquando ſuos acceperint? ſiquidem ab Europâ, & Africâ vaſto mari Atlantico diviſæ ſunt, & ab omnibus remotæ. Quæ quæſtio doctiſſimos ævi noſtri viros exercuit: neque ſatis adhuc conſtat quid tenendum ſit, adeo omnia incerta, & conjecturis nituntur, non demonſtrationibus.

Tria in controverſiam venire animadverto: *Unde*, ſive ex quâ terræ regione advenerint primi illius, quem novum dicimus, quia noviter non natus, ſed notus, orbis incolæ? & *quomodo*? an mari, an terrâ? & *quando*? an primâ, populorum diſperſione? an inſtitutis gentium quarundam coloniis? & an veteribus etiam, notæ terræ illæ fuerint, atque frequentatæ? Neque de hominibus tantum quæritur, ſed & animantia difficultas eadem concernit, præſertim quadrupeda & vaſtæ molis corpora, fera & noxia; quomodo in inſulas, trans mare, & remota loca pervenerint? In quod jam olim inquiſivit Auguſtinus, lib. *de Civitate Dei* XVI. *cap.* VII. & Petrus Cottonus Jeſuita de eo conſulendum putavit Diabolum in obſeſſâ. Præcipuum tamen rei momentum ſitum eſt, in tranſplantatione & migratione hominum, quos facilius ſequi animalia poſſunt, ſi non adulta, tenera atque juniora, & ſi terrâ homines, item & illa, vel tranſnare aut vehi primùm in proximas inſulas, inde & ulteriores, potuerunt. Quæ ex dicen-

cendis magis eluceſcent, & variarum relatione ſententiarum ad expediendam difficultatem.

Septem præcipuas video ſententias, quas non Auctorum habitâ ratione, ſed rerum, vel locorum, temporumque, ut ſequuntur, proponam ordine. *Prima* eſt, partem iſtam Americam (uti nobis dicitur: nomenclationes enim iſtæ & diviſiones pòſt repertæ ſunt, Aſiæ, Africæ, Europæ, & τεχνικῶς ab hominibus uſurpatæ) orbis, occupari & habitari hominibus cœptam, poſt tempora Noachi, à populorum antiquiſſimâ diſperſione, & confuſionem linguarum apud Babelem. Quæ ſententia eſt Johannis de Laet, in Notis, ad Diſſertationes Hug. Grotii, *de Origine Gentium Americanarum.* Qui benè, noſtro quidem judicio, colligit, non à poſterioribus aliquot ſæculis, aut mille annis illam migrationem contigiſſe, quia tanta incolarum multitudo, ac ibidem à primo Europæorum appulſu deprehenſa fuit, non eſt paucorum ſæculorum, & orbis iſte novus terræ latitudine, & hominum tum numero, tum diverſitate nequicquam cedit aut Aſiæ, aut Europæ. Ita ille, ad Diſſertationem primam: *Ego autem ita judico, quum America tam late pateat quam noſter orbis, & non minus habitata fuerit, quam aut Europa aut Aſia, aut Africa, omnino credendum eſſe, non ab annis quingentis aut mille primum habitari cœpiſſe, ſed ſtatim poſt confuſionem linguarum & diſperſionem illam familiarum, etiam in Americam migratum fuiſſe: nam aliàs non video quomodo idonea ratio reddi poſſit tantæ ubique per Americam incolarum multitudinis: & infinitarum ferme diverſarum linguarum, & à ſe invicem & ab Europæis toto cœlo diſcrepantium. Neque tamen negandum puto, etiam ſubſequentibus ſeculis novos advenas acceſſiſſe, ſive caſu, ſive ex inſtituto in has aut illas partes ſucceſſerint.* Huc accedit, quod Diluvii, cum apud gentes alias, de quo etiam Bochartus, in *Præfatione Geographiæ ſacræ*; tum Americanas aliqua non adeo obſcura notitia, & indicia fuerint. Quod teſtantur Lopez de Gomara, *hiſt. Ind. Occid. lib.* v. *cap.* xv. *lib.* vi. *cap.* v. Garcilaſſo, in *Comment. Regum Peruanorum lib.* I. *cap.* xviii. Brulius, *Hiſt. Peruan. lib.* I. *cap.* I. Acoſta, de natura novi orbis, lib. I. cap. xxv. *ac magni quidem diluvii plurima in his regionibus mentio eſt & fama celebris.* Scripſit autem librum iſtum Acoſta in illis dum ageret regionibus. Joh. Stadius Heſſus, *Hiſt. Braſil. lib.* II. legitur inter *eos American. Scriptores* à Theodoro de Bry editos, *part.* III. cap. xviii. *commemorat ab illis quoddam diluvium quod omnes olim majores illorum perdiderit, præter paucos, qui partim ſcaphis elapſi, partim in arboribus ſaluti conſuluerint.* Et Gigantum iſthic memoria ſupereſt, quales primis

 tem-

Digitized by Google

temporibus exſtitiſſe Scriptura memorat, & in America fuiſſe, Hiſtoriæ fidem faciunt. Neque propterea probari commentum Marci Leſcarboti debet, qui in Hiſtoriâ novæ Franciæ, lib. 1. cap. 111. probabile admodum putat, Noachum ipſum in Americâ natum, filiis ſuis poſt diluvium, reditum in patriam commendaſſe: *Qui tantus erat architectus & navita, ignorabat artem fabricandi aliud navigium (nam ipſius conſtiterat in montibus Ararat, id eſt in magna Armenia) ut terræ deſolationi ſuccurreret? Qui habuit cognitionem mille rerum, quæ nos ignoramus, per traducem ſcientiarum à primo noſtro parente, cujus filios videre potuit, ignorabat terras illas Occidentales, in quibus forte natus erat?*

Altera ſententia eſt Joh. Lerii, *Hiſt. navig. in Braſiliam, cap.* 16. Gomaræ, in *Hiſt. Indica lib.* 5. Americanos origine eſſe *Chananæos*, ex Chamo Noachi filio: & reliquias eorum, quos ſedibus ſuis fugavit Joſua, qui proinde alias regiones quærere coacti devenerint tandem in Americanas.

Tertia, eſſe ex genere *Iſraëlitarum*, quorum decem tribus in Aſſyriam abductæ, inde per varias gentes diſperſæ, penetraverint tandem in Americam. Ad quod adferunt ſervatam Americanis Jukatanenſibus circumciſionem: & locum ex 4. Eſdræ libro apocrypho, cap. 13. Quod ſequitur Fredericus Lumnius, *de extremo judicio, lib.* 2. *cap.* 8. Quæ nullius ponderis, & ab aliis refutata ſunt. Illa quoque ſententia fuit celebris Judæorum magiſtri R. Menaſſe ben Iſraël, in Libello, cui titulus *Spes Iſraëlis*, fretus relatione alterius Judæi, Antonii Montezini, Luſitani, qui primos Americæ incolas ajebat fuiſſe Iſraëlitas ex decem tribubus, à Tartaris bello victos, fugatoſque, qui hinc oras iſtas tenuerint & occuparint.

Quarta ſententia Americanos derivat à *Phœnicibus*, ſeu Sidoniis, ſeu Tyriis, aut Carthaginenſibus; omneſque Occidentalis Indiæ regiones ab illis primum inventas, habitatas, nec non ab eorum poſteris, uſque ad Hiſpanorum adventum, fuiſſe. Quod multis illuſtrare & confirmare ſatagit Robertus Comtæus Nortmannus: probans primùm, Phœnices eximios & audaces fuiſſe navigatores: tum, ex Plinio, & Curtio, illos incognitas ſæpe terras adiiſſe, & extra orbem Gades condidiſſe, atque erraſſe extra Oceanum: præter alia quæ ex Phœnicum, & Mexicanorum moribus, linguâ, & ſimilitudine cum Americanis petit argumenta.

Quinta Tartaros dicit Americanorum progenitores, & ab his potius, quam ullâ aliâ gente eos prognatos, maxime propter vicinitatem vel contiguitatem Aſiæ Aquilonaris cum America; unde ſaltem per Tartariam, quamvis aliunde ortos, tranſiiſſe in Americam primos incolas, vel etiam fuiſſe origine Tartaros, cenſent. *Sex-*

Digitized by Google

Sextam, propter locorum majorem vicinitatem, ſententiam colloco Hugonis Grotii, qui quæſtionem illam haud ita pridem a. cIↄ Iↄ CXLI. inter ſæculi noſtri Eruditos movit, & multorum eâ occaſione ſuper iſtâ doctas exercitationes & lucubrationes elicuit. Statuit autem, Americanos, qui Iſthmum Panamæ habitant, ex Norwegiâ ortos, per Iſlandiam, & Groenlandiam, ac vicinas iis regiones, veniſſe. Jucatanenſes autem, & qui in vicinis locis, ex Æthiopiâ accerſit. Qui verò ultra Iſthmum Panamæ ſunt, Peruanos primùm à Sinenſibus derivat, reliquos verò ad fretum uſque Magellanicum, ab Auſtrinis terris, quæ ultra fretum ſunt, ſive à terrâ Auſtrali dictâ, à Javâ, aut Gilolo ſuos accepiſſe habitatores.

Ego verò, ut judicium meum quamvis exiguum admodum, ſubjungam, tutiſſimum exiſtimo dicere, quod in tantarum regionum, quemadmodum aliarum, habitatione, non uno *tempore*, nec *loco*, nec *modo*, homines advenerint: quare & rationes illas terram adeundi occupandique, atque de iis varias quas protulimus, ſententias, conjungi potius deberi, quam ſibi invicem opponi. Neque enim admodum opus videtur divellere eas, & unam aliquam arripere, ut cæteræ poſthabeantur, quum rerum omnium fere origines in obſcuro lateant; & hic, uti alibi, nequeat ferme aliter eſſe, quin habitatio illa variis vicibus modiſque contigerit. Plerumque primi omnium habitatores ita ſunt in ambiguo, ut vix pro certo aliquid adſtrui vel exponi queat. Quare temere aut locum, aut tempus certum quæras, aut ſomnies, aut denique modum, quo in oras quas nunc dicimus Americanas, & quarum procul dubio longe alia facies fuit olim, ac hodie, penetrarint primi.

Quid ergò obſtat, quo minus dicamus, & à Noachi poſteris jam tum, ſive ante ſive poſt diſperſionem, aliquos per Septentrionem, verſus quem diſperſi populi frequentius contenderunt, quam ad Auſtrum, in Americam perveniſſe: ſive etiam alio rectiori itinere, terris, & continenti tum temporis non ubique ſic mari ſecretis & ſejunctis, uti nunc ſunt. Nam & hoc gratis ſumitur in hac diſputatione, orbis partes, etiam Americanas, ita divulſas maribus fuiſſe ſemper, & à primo tempore inacceſſas & obſcuras, æque ac poſtea fuerunt. Quum noſtro adeo tempore videamus, quam facile dilatetur æquor, & terræ auferat, quod ſibi paſſim adjungit, & mare nunc ſit ubi pridem fuit terra. Taceo abſorptas inſulas, loca, regiones. Ut temporum olim alia, & hominum, ſic & locorum fuerit conditio, quam hodie: nam non hæc minus mutantur, quam alia, quam omnia. Fac propiorem non Aſiæ tantum, uti nunc, ſed & Europæ, & Africæ fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe Americam antiquis temporibus, in quæ anquirimus, quam nunc: vel ceſſabit, vel levior ſaltem evadet tota quæſtio, quando nulla, vel exigua difficultas cognoſcendi, & petendi regiones illas, ex orbe noſtro. Quare primùm adſtruxeris neceſſe erit, tam late diviſum fuiſſe mari Atlantico utrumque mundum, & ſitum locorum fuiſſe primis temporibus eundem, quem nunc videmus. Quod nulli perſuadebitur. Et tamen tota quæſtio, & quæſtionis difficultas hinc oritur, quomodo tam late diviſo, quemadmodum nunc conſpicitur, utroque orbe, hinc illac patuerit aditus? Quod ſi verò aliter ſe habuiſſe antiquis temporibus ſuſpicamur aut credimus, & non toto diviſos orbe fuiſſe Britannos, non Americanos, ſed uti hinc per mare in Britanniam, inde facile ulterius, vel ex Europâ in Africam, aut hinc in Aſiam, ita quoque in Americam iter inſtitui potuiſſe, uti valde veriſimile eſt, non nimis diviſas à ſe invicem præcipuas mundi partes ab initio, & à primâ gentium migratione fuiſſe, jam non video quid admodum quæſtio illa fatigare nos debeat aut poſſit amplius. Quis autem credat, quum æque mundi pars vaſta & integralis ſit America ac reliquæ, imo latior aliis, eam ſolam neglectam fuiſſe, & ne quidem cognitam Majoribus? Certum eſt, ex Adamo, ſive ex uno ſanguine habitatum fuiſſe terrarum orbem: inde à Noacho. Hi in Aſiâ vixerunt, & Arca Diluvio ſubſtitit in montibus Ararat, ſive Armeniæ. Qui hinc iverunt in diverſas mundi ſedes Noachi liberi & nepotes, cur non in Americam abire potuerunt, ac in Africam? Et fac, mari tantum patuiſſe, in illam regionem, viam, quod tamen nec probari poteſt, neque veroſimile vel ſemper, vel tum temporis, ne dicam hodie, ſic ſe prorſus habere, à maximo mundi nauclero Noâ cur non diſcere potuiſſent naves faciendi & gubernandi artem, quâ longinquiores & maritimas peterent regiones, tanti magiſtri ac parentis non æque degeneres omnes liberi? Si à Noacho, ergo ex Aſiâ undecunque, & quaſcunque in oras advenerunt primi ubivis incolæ. Definire per quam viam, & quo modo, & à quibus primum hominibus occupatæ ſingulæ regiones fuerint, eſt eorum, qui ſe incertis anxie nimis torquent: & pro certo determinare, non hac vel iſtâ olim viâ potuiſſe immigrari in longinquas regiones, quia jam non poſſit, eorum eſt, qui rebus, & ſæculis ſuis alia temere metiuntur. Quare in quæſtione temporis ἀδήλȣ perperam quid factum fuerit, concluditur: quum ex incertis & de incertis non alia formanda concluſio ſit, quam hoc vel illo modo fieri rem *potuiſſe*, ubi quid factum certo ſit ignoratur. Neque ulterius hic procedendum arbitror, quam quid fieri probabiliter potuerit, non quid debuerit,

vel

vel factum demum ſit, aſſeramus. Debuerunt quidem venire ex Aſia primi regionum incolæ, quia hic degerunt parentes, à quibus reliqui prognati: ſed uti primi iſti terræ omnes regiones ſtatim occupare non potuerunt, ita vel quâ viâ eorum poſteri in has & illas oras, & quia non immediate omnes ex Aſiâ venerunt, ſed per loca, in quæ ipſorum majores conceſſerant, ſic regio quidem, unde primi homines primò venerint, aſſignari ἐν πλάτει poteſt, non verò unde primi cujuſque terræ incolæ, immediate videlicet, & viâ proximâ ac certâ, advenerint. Vel ſi certis id monumentis doceri poſſit, jam nullus vel exiguus ſupererit ulteriori indagini & quæſtioni locus. Ex Aſiâ quod ad genus & originem, ſi non proximam, ſaltem remotam, Americæ habitatores veniſſe inde etiam confirmari videtur, quod nuperis navigationibus conſtitit, occidentalem Americæ partem, quæ Aſiam reſpicit, magis populoſam, & incolis frequentem eſſe, quàm partem oppoſitam orientalem, quæ Europam ſpectat. Sed conjecturis omnia hæc conſtant, uſque dum alia, quæ in Democriti puteo adhuc hærent, in lucem ſe protulerint. Nos nil certi determinamus, vel determinari poſſe arbitramur, ubi ſola adferuntur, quæ non videntur prorſus improbabilia.

Ergo poſt primam & antiquiſſimam hominum à Diſperſionis ſæculo, דורהפלגה dicunt Hebræi, in varia loca, forte & Americana, demigrationem, etiam ſequentibus ſæculis loca eadem à Phœnicibus, à Tartaris, à Scythis, à Norwagis, etiam Sinenſibus, aliiſque Indiæ populis, & Auſtralibus, id eſt, aliis & aliis undequaque terris, Aſiâ, & Africâ, & Europâ frequentatas terras Americanas fuiſſe, vel frequentari potuiſſe identidem, mihi quidem non negabitur. Non dico, neque dici debere arbitror, *omnes*, vel *primos* Americæ incolas ex hoc, aut iſto ſolo loco prodiiſſe; ſed ex variis regionibus, diverſo tempore jam hos, tum alios, venire potuiſſe, aut veniſſe non videri improbabile. Quod in regione tam latâ & populoſâ eveniſſe, aut evenire potuiſſe, haudquaquam mirum, vel inſolitum. Ex Norwagiâ vel Groenlandiâ ſolâ aut primos, aut omnes veniſſe, haud vero ſimile: quia & longe plures comprehendit homines America, quam ut inde venerint, vel venire potuerint; & jam hic gentes erant variæ, antequam Norwagi Groenlandiam adirent, & hinc Americam. Sed iterum non video quid dicere impediat, ex Norwagiâ, & Groenlandiâ, vel per eam plures ſemper in proximam Americam perrexiſſe. Nec dubito, quin uti ſub ſeptentrionem videmus proximius coire Americam, & Aſiam, (quis autem dicet, quomodo ſe habuerint terræ illæ olim, dum & hodie ſuper eo

diſputatur, & quæritur, an non ſint contiguæ, neque freto admodum lato diſſitæ?) iſtâ viâ plurimi in Americam quovis tempore tranſierint. Mitto argumentum ex ſimilitudine hominum ſeptentrionalium fere omnium. Atque uti multæ inſulæ adhuc in mari Atlantico extant præter maximam Britanniæ, & Hiberniæ; nempe Terceræ ſive Azores aut Flandricæ, Fortunatæ ſeu Canariæ, Capo Verde, quis fidem dabit non plures olim mari abſorptas interiiſſe? cur non per iſtas & Europæis, & Africanis, ne ex ſolâ Aſiâ videamur incolas quærere, aditus in Americam quoque dari potuit? Quomodo ex continente in inſulam, eodem modo ex inſulâ in continentem remotiorem Americam profectio potuit inſtitui. Ne dicam, quod navigantibus nonnunquam accidit, ut caſu in longinquas & minus notas regiones delabantur, ſic etiam huc homines advehi tempeſtate potuiſſe. Nec difficilis largiar, à Phœnicibus, navigandi peritis, & hac arte celebribus, frequentatas oras Americæ, poſt Africanam, fuiſſe. Ab Auſtro uti adhuc incertum quo pacto ſe terra habeat, probabile autem conjungi cum Novâ Guineâ, ita ab hac etiam plagâ homines Americam ingreſſos qui ad fretum le Maire, & Magellanicum habitant, non omnino improbandum. Denique non prorſus & ubique diviſum ab hoc orbe eſſe Americanum, ut non conjungatur alicubi, ſaltem non longe diſtet, quemadmodum cæteræ mundi partes contiguæ ſunt, certe non ita diſſitæ ut nullâ parte vel uſum ſui præbeant aliis, vel notitiam, non ægre mihi ſinam perſuaderi. Vel etiam ſi ubique diremtus à reliquo jam ſit Americanus, quod non facile credo, ſemper verò tam late diviſum fuiſſe, ut omnibus aliis quaquaverſum pariter ignotus fuerit, & inacceſſus ſemper, haud ſtatuam. Id enim & contra mundi, ejuſque partium uſum, & hominum ſocietatem ac commercium, primamque originem aut proſapiam, facere videtur. Quare & à ſeptentrione, & auſtro conjungi Americam, ſaltem non multum divelli à terris aliis, propter Phyſicas & Geographicas rationes, præter experientiam recentium navigationum, mihi non improbatur. Etenim, quod Apoſtolus inquit, Act. 17. 26. Deus *fecit, ex uno ſanguine omne genus hominum habitare omnem ſuperficiem terræ, definiens præſtituta tempora, & terminos habitationis eorum.* Loca definiit habitationis ſingulorum: unde communis ſanguinis, atque communitatis habita ſemper ratio fuit. Deut. xxxii. 8. *Quum poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus, quum diſpararet filios Adami, ſtatuit terminos populorum, pro numero filiorum Iſraëlis.* Gentibus inter ſe diſpartitis, ſolius Iſraëlis ſervata præcellentia fuit. Et quemadmodum ejus exigua admodum notitia fuit apud

Digitized by Google

apud Barbaras gentes, & harum apud Iſraëlitas, attamen non omnibus propterea pariter ignoti Iſraëlitæ, vel Iſraëlitis omnes: ſic quoque Europæis aliiſque multis potuit ignota fuiſſe multis ſæculis America, ut non idem fuerit omnibus vel ſeculis, vel ſeculorum hominibus. Quin uti Iſraëlis, & Iſraëliticæ poſtmodum terræ notitia viciniis conſtitit, ſic & Americanæ quid ni exiſtere potuit apud quoſdam, apud proximas gentes, propter illam hominum terrarumque ſocietatem inter ſe, quamvis non æque apud nos, vel quoſdam alios?

Dico ergo, variis *temporibus*, *& undiquaque*, & *quovis modo*, in Americam pervenire potuiſſe primos & ſequentes, ſive omnes horum, qui hodie eam incolunt, progenitores hoſpites. Neque enim una ibi gens, ſed variæ, & moribus ac inſtitutis longe diverſæ vivunt. Ut nec uno ex loco, aut tempore, vel omnes ſimul, neceſſe ſit adveniſſe. Denique nec uno modo: ſed terrâ alios, ſic forte primi; alios mari: nonnullos ex inſtituto, caſu alios in regiones illas fuiſſe delatos. Omitto quæ ab aliis, ex veteribus adducta loca & teſtimonia ſunt, ex Platone, Ariſtotele, Plinio, Æliano, tum Poëtis Homero, Horatio, Senecâ: ad probandum, non ita ignotas prorſus antiquis terras illas fuiſſe, quas obſcurius aliquando, aliquando clarius commemorârint.

Hæc ſcripſeram, quando in manus venerunt Cl. viri & Collegæ Georgii Hornii, ſummi Geographi, *de Origin. Gentium Americanarum* libri, in quibus eandem, quam poſuimus, tuetur ſententiam, *poſt diluvium, ex noſtro orbe, terra, mari, caſu, conſilio, diverſis temporibus & animalia & homines in Americam veniſſe*: quamvis aliquos ab adventu in Americam removeat, ſaltem eo, ut gentem hic condiderint, vid. Æthiopes, in Africâ; in Europâ, Celtas, Græcos, Latinos ſive Romanos; in Aſiâ, Indos; in univerſum Judæos, & Chriſtianos, & Muhammedanos: at in ſeptentrionalem Americæ partem, quæ primum culta, atque unde migratio inſtituta fuerit in meridiem, populos veniſſe, ex occidente Phœnices; ex ſeptentrionibus, Scythas; ex Oriente, Sinenſes: denique per intervalla acceſſiſſe & gentes alias.

Neque adfero, quod aliis placuit, Salomonis tempore frequentatas has regiones fuiſſe, quando claſſem inſtruebat, magnam auri vim triennii itinere adferentem, ex Ophir, quod exponunt *Peru*, leviter tranſpoſitis litteris. Et certum eſt, multum auri hic haberi. Verùm ſub judice lis adhuc, quæ terræ regio per Ophir intelligatur. Sunt quidem qui in Americâ meridionali eam conſtituunt, quemadmodum diximus, & contendunt

Digitized by Google

eſſe regionem Peru; vel in ſeptentrionali ejus parte, ad mare Atlanticum, inſulam *Hiſpaniolam.* Alii verò locant in Orientali Indiâ, quæ loca ſunt ſatis remota à ſe invicem: ſed & hic diſſenſus. Alii enim in regno *Pegu*: alii in aureâ Cherſoneſo, quæ hodie *Malacca*: niſi Cherſoneſus non nomen proprium videatur, ſed commune regionum auriferarum, quare pluribus applicandum: Alii in conjunctis illis regionibus Ophir collocant. Quod in Commentario *de Ophyrâ regione* facit Caſpar Varrerius Luſitanus: *quapropter omnem illam oram quæ Peguſiis, Malacca, & Somatra continetur, apud divinam Hiſtoriam, Ophyram regionem eſſe appellatam, facile contenderim.* Adde Cornelium à Lapide, in II. Reg. IX. Alii inſulam *Taprobanam* pro Ophir accipiunt, quæ non eſt hodierna Sumatra, ſed Ceilon. In quâ ſententiâ eſt Samuel Bochartus, *lib.* II. *Geograph. S. cap.* XXVII. Omitto, qui Ophir in Africâ ponunt, in regione Cephalâ vel Sophalâ ad mare Æthiopicum; uti Chaldæus appellat navem Africanam, ספינת אפריקא quam in mari habuit Salomo. & Sophalenſes id dicuntur legere in ſuis Annalibus. Quod autem præter claſſem Salomonis regiam, quæ in Ophir tertio quoque anno ſolvebat, in Scripturis aliquoties occurrat de auro Ophir, de alia Ophir, non remotiori Indicâ intelligendum eſſe, Bochartus exiſtimat; ſed de Ophir Arabicâ, in partibus aut confinio Sabæorum, apud Caſſanitas. De quibus nunc non eſt dicendi locus. Et Tharſim, ad quam regiæ naves contendebant, in Oceano Indico ponit, Ophiræ, id eſt Taprobanæ proximam: uti aliam Tharſim, Hiſpaniam, vel Hiſpaniæ partem eam, quam Tyrii maxime frequentabant, Gades nimirum, & Tarteſſum. *lib.* III. *Geograph. cap.* VII. Bootius autem in Animadverſionibus ad V. T. *lib.* IV. *cap.* VII. Tharſim eſſe Tarteſſum contendit. Et Pineda Hiſpalenſis Jeſuita, *de Rebus Salomonis*, *lib.* IV. *c.* XIV. Tharſim Salomonis quoque ad Hiſpaniam refert, & Gaditanam atque Hiſpalenſem oram, Bæticam univerſam, ſed potiſſimum Hiſpalenſem: quod confirmare laborat variis tum autoritatibus, tum rationibus: & *cap.* XV. pergens in ſolutione objectionum, quæ in adverſum adferri poſſint, contendit, poſt Levinum Lemnium, uſum acus Magneticæ non omnino incognitum fuiſſe priſcorum navigationibus, ſed noſtro tempore potius renovatum & expolitum: vel ſi omnino incognitus, quod non incredibile ſit Veteres, quamvis imperfectiori & impeditiori modo, navigationes ſuas etiam per altum mare in longinquas terras, quas frequentarunt, inſtituiſſe. Forte quemadmodum artis Typographicæ, & pulveris pyrii conficiendi rationem, quamvis non per omnia eandem, viguiſſe etiam olim, ante earum rerum

uſum

Digitized by Google

uſum Europæis familiarem, apud Sinenſes, diximus. Adeo nihil ſub ſole novum, dixit Salomon, de cujus claſſe & navigatione nunc agimus. Apud Minutium Felicem, *relinquenda verò Aſtrologus prolixior de ſideribus oratio, vel quæ regant curſum navigandi.* Regionem verò Ophir Pineda, ſecus ac fecerat commentariis in *Jobum*, in iſtis de rebus Salomonis cenſet eſſe Americæ Peruanam.

Ut tamen obiter promam ſententiam, ſtatuo Ophir eſſe potius regionem Indiæ Orientalis auro feracem, & hinc antiquis dictam Cherſoneſum, Joſepho terram auream ἀπὸ τῆς χρυσῆς καλουμένης γῆς, neque unum ejus locum ſignificari, ſed varia à ſinu Gangetico inde, Pegu, Malaccam, Sumatram, Ceilon, uti hodie vocantur, & quæ aliæ ibidem metallorum, tum lignorum, & rerum aliarum feraces olim fuerunt, quas conſtat triennali Claſſis itinere Salomoni fuiſſe advectas. Verſio Arabica, in II. Reg. IX. 28. habet, *qui egreſſi ad regiones Dahlah, quæ ſunt in Indiâ, adſportarunt inde auri, &c.* Eadem cap. x. 22. *Semel ternis quibuſque annis accedebant naves ex India, advehentes argentum & aurum, elephantes, ſimias, & pavones.* & cap. xx. 49. *& Jehoſaphat fecerat naves in Tarſo, ut irent in Indiam.* Syrus, & Arabs 2 Chron. VIII. 18. dicunt urbem fuiſſe, *qui abirent in urbem Ophir.* Cumque dicatur 2 Chron. xx. 36. naves iviſſe Tharſim; ſimiliter ejuſdem libri cap. IX. 21. atque quod uno loco legitur, naves iviſſe in Ophir; alio, iviſſe Tharſim, quemadmodum I Reg. XXII. 49. de navibus Jehoſophati regis dicitur, iviſſe in Ophir, & 2 Chron. xx. 36, 37. iviſſe Tharſim: ſic & in verſionibus tranſponuntur Ophir, & Tharſis, & in commentariis ſæpe: atque in ſacrâ hiſtoriâ & idem temporis intervallum, triennale nimirum, tribuitur navibus his & iſtis, atque eædem merces iis narrantur fuiſſe advectæ. Unde forte colligas, vel eandem utrâque voce regionem deſignari, quod multis placet, vel ſaltem vicinas. Quid ſi dicamus, Tharſim urbem fuiſſe in regione Ophir auri ferace? Vocantur naves Tharſis: quod non neceſſe eſt explicare ſimpliciter & ubique, in illâ inſulâ factas, de quacunque inſula demum intelligatur: quia exponitur, iviſſe Tharſim: ſed eſt, naves Tharſenſes, ſive Orphirenſes, quæ nimirum eò commeare ſolebant. Uti ſi dicam naves Indicas, Hiſpanicas, quæ ad iter & profectionem in oras illas adhibentur, forte etiam iſthic factas. Sed de his ſatis.

Præſentem quod ſpectat Americanorum religionem, primùm qui degunt in *Novâ Franciâ*, Diabolum habent ut Deum, licet non adorent; & Magicis artibus ſupra modum indulgent.

Qui juxta flumen *Sagadahoc*, malignum ſpiritum venerantur *Tacito* appellatum, qui illos ſingulis noviluniis vehementer agitat, & cogit ad ſui cultum, nec ignorant ipſi malignum eſſe.

Incolæ *Virginiæ* multos faciunt Deos, quos appellant *Mantoac*, ſed diverſorum graduum, unum autem illorum principem & magnum, qui fuerit ab æterno. Hunc, ajunt, quum conſtitueret mundum condere, feciſſe primùm ſibi Deos alios, quibus, tamquam inſtrumentis, uteretur in mundi creatione, & gubernatione: poſtea Solem, Lunam, Stellas, tamquam inferiores Deos condidiſſe, & omnes illos formam habere humanam, eorumque imagines vocant *Kevvaſovvock*, & in templis collocant, ac ædiculis, ubi orant, cantant, & ſacrificant. Animarum credunt immortalitatem, eaſque à corpore ſolutas, ſecundum opera quæ fecerunt, deferri ad cœlum, habitaculum Deorum, ubi perpetuâ fruantur felicitate; vel in ingentem puteum ſubterraneum detrudi ad ferendas pœnas, in parte regionis Occidentali, ubi perpetuò urantur, quem appellant *Popoguſſo*. Alii præcipuè venerantur Diabolum, quem *Olo* vocant, cujus imaginem in oratoriis habent terribili admodum formâ.

Floridani, qui ad mare degunt, videntur inprimis Solem venerari: ante cujus ortum ſe abluunt, uti & poſt occaſum: neque cibum capiunt, antequam id peregerint. Alii intra continentem, venerantur Numen quod *Aguar* appellant & habitare credunt in cœlo, atque pluviam ipſis largiri, & alia ad vitam neceſſaria.

Qui juxta *Cevolam* aut Cibolam, præcipue aquam venerari creduntur, quæ ſementi dat incrementum.

Mexicani primò colere ſoliti fuerunt immanem Deorum turbam, bis mille referunt, inter quos duo præcipui *Vitzilopuchtli*, & *Tezcatlipuca*, Dii fratres, quorum alter rerum providentiæ, alter bellis præerat: alios aliarum rerum præſides & faciunt, & colunt: ipſum etiam Diabolum variâ, ſive turpi, ſive horrendâ ſpecie: eoſque humanis placant hoſtiis, præſertim ſolem & lunam, præcipua ipſorum idola. De quibus videndus Lopet de Gomara, *hiſtor. occident. lib.* 11.

Qui in meridionali Americâ *Darienem* provinciam habitant, inprimis Diabolum invocant, horribili formâ ipſis apparentem. Unum tamen in cœlis credunt Deum, nimirum *Solem*, *&* *Lunam* ipſius conjugem, quos religioſe colunt.

In *Vraka* habent idolum *Dabaibæ*: quam matrem ferunt Dei Creatoris omnium, eique immolant mancipia.

Eadem

Eadem erga Solem & Lunam religio viget apud incolas *S. Marthæ*, & *Cumanæ*: quumque tonat, valde ſibi metuunt, Solem iratum arbitrantes. Præterea inter idola potiſſimum colunt aliquod figurâ crucis S. Andreæ, quo muniri ſe credunt adverſus Dæmones nocturnos, & appendunt infantium collis.

Qui inter *Oronoquem*, & flumen Amazonum, incertis ſedibus vagantur, habent magos, qui medicinam exercent, & præſagiis variis ipſos terrent ac deludunt, quaſi vitæ mortiſque arbitri eſſent, ideoque magna apud illos pollent autoritate. Cæterum Solem ac Lunam venerantur quidem, & vivere exiſtimant, non tamen adorant, neque iis immolant quidquam.

Alii colunt numen *Tamoucum*, quod in ſuperiore aëris parte degere credunt, & inferiora regere pro arbitrio: animas defunctorum, qui bene vixerunt, transferri ad cœlum, quod *Caupo* vocant; qui vero mâlè, ad *Soy*, in terræ viſcera. Defuncto è Primoribus alicui mancipium cædunt ſuum, ut ipſi quoque miniſtret in vitâ alterâ.

Marasbavvaccæ habent idolum ſaxeum, in æde ad hoc factâ; formam hominis repræſentans, ſedentis ſuper calces ſuos, divaricatis genubus, palmis explicitis, atque hiante ore.

In regione interiori, quam flumen *Magdalenæ* ſecat, vocatur hodie novum regnum Granadæ, Barbari plerique venerantur Diabolum, cui ſtatuas fabricant, atque immolant captivos.

Apud *Braſilienſes* exigua admodum religionis profeſſio: Deum *Tupa* vocant; inde tonitru *Tupa cumunga*, id eſt, ſtrepitum factum à ſupremâ excellentiâ; fulgur autem, *Tupa Beraba*, ſplendorem excellentiæ. Cœlum, & inferos videntur ignorare: quamvis animas, poſt hominis mortem, ſupereſſe credant, & converti nonnunquam in dæmones, & ad campos irriguos, arboribus amœnè conſitos tranſferri, & hic agere choreas. Spiritus malignos impenſe metuunt, quos *Curipira*, id eſt, numen montium; *Manachera*, id eſt, numen viarum appellant. *Marangigoana* non ſignificat numen, ſed animam ſeparatam, vel aliud quid inſtantem mortem annuncians, quod adeo metuunt, ut interdum illius terrore exanimentur. Multos fovent apud ſe Magos ac præſtigiatores, quos *Page* nominant. *Caraiba* illis eſt poteſtas patrandi miracula: quare Luſitanos appellabant Caraibas, quando ipſorum aliqua videbant opera captum ſuum ſuperantia.

Chilenſes jurare per Dæmonium, quod *Eponamon* vocant, quando fidem ſuam obſtringere volunt, accepimus.

Peru-

Digitized by Google

Peruviani potiſſimum colunt *Pachacamac*, creatorem omnium, ſecundo loco *Solem*; cui ſororem attribuunt *Lunam*: tonitru & fulgura appellant *executores Juſtitiæ ſolis.* Ille ipſis Deus eſt incognitus & inviſibilis; hi noti & viſibiles. Primus Ynca ſive Rex Peruvianorum Manco Capac cum alia ſuæ genti præſtitit, tum hoc præcipuum, quod à multitudine Deorum illos revocavit ad cultum ſolis: cujus ſe dicebat eſſe filium, ac proinde de ſole quum loquuntur, eum appellant ſuum Patrem: quod præter Yncas alios citra blaſphemiam non licet, ſub pœnâ lapidationis. Ita refert in elegantiſſimâ Hiſtoriâ Yncarum, eorum ultimus, qui ad Chriſtianiſmum converſus fuit, & in Hiſpaniam abductus Garcilaſſo de la Vega, ex ore cum matris ſuæ, tum avunculorum quæ ipſe audivit adhuc puer, quum illi ſingulis fere hebdomadis ex tyrannide Atauhuallpæ ſuperſtites Matrem ſuam inviſerent in primariâ urbe Cotco degentem, & cum dolore multo ac lacrymis commemorarent Majorum ſuorum originem, & facta. Natus ipſe, octavo anno poſt debellatum patrium regnum ab Hiſpanis, ad vigeſimum ſuum illic vixit, & factus Chriſtianus, aliquando alios, uti teſtatur alicubi, præ neceſſitate baptizavit. Anno autem ætatis ſuæ decimo ſeptimo in tali amicorum ſuorum congreſſu ad Avunculum accedens, & in prima gentis ſuæ initia inquirens, ita retulit Ynca ſuo Nepoti: quod quum gens eſſet rudis, inculta, barbara, & homines ferarum inſtar viverent inter ſe, ſoli patri ſuo ſortem illorum miſerenti viſum fuerit in mundum & ad ipſos mittere duos ex ſuis liberis, vid. filium cum filiâ, qui de omnibus ſolis erudirent tam ad vitam communem, quam ad mores & pietatem ſpectantibus, præſertim cultum ſolis, tamquam Dei ſui illis perſuaderent. Quem in finem illos inſtruxit virgâ aureâ, quam in terram figerent ad explorandum locum in quo ex voluntate Patris ſui Solis deberent conſiſtere, quod quum alibi ſæpius ſine fructu feciſſent, terrâ illam virgam nequidquã admittente, tandem iſthic ubi urbs imperii Cotco erat, virga ad terram appulſa eamque altius ingreſſa ſignum dedit ſedis & imperii ibi figendi: ubi duo illi ſolis liberi ex mandato Patris ſui homines circumquaque docuerunt rationem vitæ & religionis. Fuerunt illi filii Solis & Lunæ primi, ſive primus rex & regina, Manco Capac & Coya Mama Oello Huaco, frater ac ſoror, quemadmodum parentes ſui Sol & Luna, unde & ſequentes Yncæ ſorores ſuas ſoliti ducere uxores: etiam ad conſervandum in ſuâ familiâ imperium, & ſanguinem, cujus proſapiæ, omnino purum. Coya Mama ſignificat *Regina mater: nam Mama* eſt *mater*. Quapropter in rebus Peruvianorum diſtinguendum eſt duplex, vel triplex potius ſeculum, primum

agreſte

Digitized by Google

agreſte & barbarum ante regnum Yncarum, tum quale fuit ſub *Yncis*, deniquc ſub *Hiſpanis*: ex quorum confuſione, nempe duorum priorum, varia illis nonnunquam adſcribuntur, quæ diſcrimine habito & temporum, & locorum duntaxat vera ſunt. Ante regnum Yncarum non tantum innumeros coluerunt Deos, & naturales ſive ex naturâ ſumtos, arbores, fructus, lapides, animalia, & quæ iſtius generis, ſive factos, ſed & humanis hoſtiis eorum cultum proſequebantur; quod non ita poſt factum. Ita ut vehementer errent qui promiſcue illa iis adſcribunt, quæ in illorum aliquibus, & aliquando non habuerunt locum, Yncis in hoc laborantibus, ut & ab idolis illis innumeris ad cultum Solis, & ab hominibus mactandis ſuos ſedulo avocarent. In quo ſuos mores Mexicanis, in collatione & æmulatione duorum illorum vaſtiſſimorum regnorum, longe præferebant, qui & ſacrificiis humanis, & carnibus in eſu ſuo delectabantur, ſecus ac Peruviani, ſub dominio Yncarum, qui Soli quoque propter innumera ejus in homines beneficia, ſacrificabant, ſed de animalibus, & herbis. Loco omnium aliorum Deorum Peruviani colebant unum Solem, eique templa multo auro magnificè ſplendentia extruebant: inter quæ famigeratiſſimum templum Solis Cotcenſe, ſive in imperiali urbe Cotco, ubi hodiè eſt eccleſia S. Dominici; olim ex puro auro & Solis ſimulacrum, & menſa aurea, & ipſi muri deaurati erant, auro ſuperba omnia & deornata. Ibi & aliæ ædes ex auro ſacræ erant Lunæ, Stellis, Tonitru, Fulmini, & Arcui cæleſti, denique domus Virginum religioſarum Solis. Cumque nefas apud ipſos haberetur intueri Solem, cenſentes rem indignam eſſe oculos defigere in faciem ſui parentis, & reprehenſus eo nomine à ſacerdote ſummo fuiſſet rex Huyana Capac, quod hoc facere ſuſtineret, reſpondit ille ſacerdoti, qui erat avunculus ſuus, quærebatque, num quidem ullus eſſet ita temerarius, qui ipſum pro lubitu ſuo deturbatum throno conſtringeret iter aliquod ſuſcipere, in quo curreret indeſinenter? iterum, num ſubditorum ullus juſſus à ſe currere Chili uſque, id facere detrectaret? quod quum negaſſet ille utrumque, regerit, non eſſe credibile Solem patrem ſuum eſſe ſummum Deum, quandoquidem hoc ſi eſſet, non ita ſe continuo curſu defatigaret, ſed ſubinde etiam quieſceret. Ita id Garcilaſſo refert lib. 9. Commentarii regii, ſive hiſtoriæ Peruanæ, cap. 10. Acoſta autem, lib. 5. cap. 5. omiſſo Regis nomine, aliquem iſtorum Regum ita dicit argumentatum fuiſſe, Solem non eſſe Deum, quoniam Deum oportet eſſe magnum dominum, qui ſua faciat non feſtinando, & abſoluto cum imperio, quum Sol non deſinat currere, & ſe in curſu ſuo valde præcipitare, quod arguat

Digitized by Google

ipſum non eſſe Deum. Hinc & alium habent Deum ſupremum & inviſibilem, quem, inſtar ignoti Dei Athenienſium, colunt *Pachacamac*, quod ſignificat proprie animam mundi, quem & mundum creaſſe ſtatuunt, & ſoli dediſſe iſtam ſupra reliqua aſtra excellentiam, ob quam etiam pro Deo coli & adorari debeat, ad quem ſe ire dicunt à morte, atque apud eum conquieſcere: quod creditum quoque Mexicanis. Nam animarum non credunt tantum immortalitatem, ſed ſi Garcilaſſum audimus, *lib.* 2. *cap.* 7. etiam corporum reſurrectionem, ſed in hanc iterum vitam: neque ille ſolus hoc de iis teſtatur, ſed quoque alii. Atque illa ab Yncis, ſive Regibus ſuis didicerunt Peruviani, in primis ab illorum primo Manco Capac: qui inter alia & hoc docuit ſubditos ſuos, ne quis alteri faceret, quod nollet factum ſibi: abrogavit polygamiam, & alia ad bonum Reip. conſtituit egregia. Sic etiam Ynca Pachacutec contra adulteros, blaſphemos, latrones edixit varia; quod liberorum matrimonia citra parentum conſenſum eſſent irrita; adulterium eſſet capitale, & ſimilia. Denique illam pauperum curam geſſerunt, & adeo hoc ſibi tum proprium, tum glorioſum putarunt Yncæ, ut elogium inde conſciverint *Amatorum pauperum.* Quod Huayna Capac, parens Huaſcaris & Atahuallpæ fratrum, cum quibus Yncarum regnum concidit, & tranſiit ad Hiſpanos, tanti habuit, ut ſuis paulo ante mortem commendatâ & juſtitiâ & clementiâ erga ſubditos, hoc argumento uteretur, ut ne perderent glorioſum à Majoribus traditum ipſis titulum *amatorum pauperum.* Fuit ille Huayna Capac qui prædixerat adventum peregrinorum in iſtas oras, quæ prædictio credita potiſſima recenſetur cauſa deperditi imperii, major certe ipſis armis Hiſpanorum. Cæterum relictis duobus filiis, minoreque Atahuallpa amato ſupra majorem natu Huaſcarem, traditoque ei regno Quitâ, orta hinc inter fratres æmulatio & diſſidia, deinde bellum, quo captus ab Atahuallpâ Huaſcar, & miſerè diu habitus, cum totâ familiâ regiâ, quam crudeliter Atahuallpa exciderat, advenientibus interim Hiſpanis, Huaſcar tandem quoque juſſu fratris trucidatus, & ipſe Atahuallpa ab Hiſpanis, extinctum Yncarum regnum fuit & tranſlatum in Hiſpanos. Quorum bella cum Indis alio volumine prolixe tractat idem Ynca Garcilaſſo de la Vega. Referunt hiſtoriæ, atque ex iis Joachimus Brulius, *Hiſtoriæ Peruanæ. lib.* 11. *cap.* v. Atahuallpam, quem vulgò Atabalibã vocant, Vincentio de Valverde, Deum & Chriſtum ſibi annuncianti, dixiſſe, ſequitur autem in Hiſtoriâ paſſim Autorem alium, nempe Antonium de la Calancha, natione Peruanum, & religione poſtmodum Auguſtinianum: *Pachamacum habemus credimuſque cuncta produ-*

duxiſſe: ſolem & lunam benefica in mundum univerſum Numina veneramur: immortales ſunt, nec pro miſero veſtro Deo crucifixo & mortuo deſerendi. Cui reſponſurus Pater, Breviarium porrexit, affirmans, eo omnia probari. *Quod Atahuallpa diligenter intuens, & volvens ac revolvens, tandem, quia locuturum ſperabat, vel ſignum aliquod pro reſponſione editurum, in terram indignabundus projecit. Rectius certe, quam qui eo illum convertendum ſtulte putabat. Sic videlicet cum miſeris illis actitarunt Hiſpani, & cum ipſo illo Rege, qui omnium ditiſſimus, Caziquarum ſuorum humeris, aurea ſellâ, portabatur, & incredibilem auri vim ſecum habebat, cujus magis opibus inhiabant avari & crudeles, quam converſioni; corpori, quam animæ. Nam poſt contemtum Breviarium, Vincentius ſatis cauſæ datum arbitratus, milites in Regem ejuſque exercitum incitavit, & Franciſcus Pizarrus dux ipſe Regem ſummis crinibus prehenſum, quos prolixos geſtabat, in terram dejecit, & abduxit captivum, cæſis quinque Indorum millibus. Quod prælium incidit in a. cIↃ IↃC XXXII. cumque eo deſiit Yncarum, ſive Imperatorum Peruvianorum ſeries, qui poſt Caziquas regnarunt, & quorum decimus tertius Atahuallpa, poſt patrata varia ſcelera, occiſos fratres quadraginta tres, & natu majorem Guaſcarem ſuperatum, poſtea quoque occiſum, regnum obtinuerat. Vocatum autem illum Cuſi Guaſcar referunt, quod ſignificat *funem voluptatis*, ideo quod eodem, quo naſcebatur, tempore, auriferi Peruviani perfecerant funem aureum toto regno decantatum, ejus craſſitiei & longitudinis, ut ſexcenti Orejones, qui ſunt inter Peruanos potentiſſimi, eum non poſſent elevare: quem poſtmodum dicuntur conjeciſſe in lacum, ne in Hiſpanorum manus perveniret. Ipſe verò Atahuallpa nequidquam promiſſo tanto auri cumulo, quo ingens in Cajamalcenſi aulâ regiâ atrium impleri poſſet ad tantam altitudinem, quam Pizarrus ſtans erectâ manu poſſet attingere, & fruſtra poſtulans, ut in Hiſpaniam mitteretur, lubentiſſime iſthic curaturus ignoti Regis equos, quos nec aluit America, nec antea viderant Americani, & exprobratâ Hiſpanis fractâ fide, rebellionis accuſatus, eodem anno v. Nonas Majas ſtrangulatus primo, inde uſtulatus flammis fuit. Atque ita intercidit vetus Peruanorum, & Yncarum imperium, tranſiitque ad Hiſpanos. De quorum, dubium an avaritiâ, an crudelitate majori, ut Peruani, ut & alii Indiæ populi ingemuerint & conqueſti ſint coram omnibus, ipſi Papiſtæ teſtes ſunt admodum locupletes: interque eos inprimis, ipſe quamvis Dominicanus, Bartholomæus de las Caſas, epiſcopus Chiappenſis in Americâ, ſingulari hujus argumenti libro

Digitized by Google

bro Hiſpanico, qui & Latinè legitur, & Belgice, ad Carolum v. *Deſtructio Indiarum:* motus inter alios *miſericordiâ inexplicabilium calamitatum, quibus ab Hiſpanis Indi opprimebantur, verberibus, cædibus, bonorum ſpoliatione, intolerabilibus tributis, onerum importabilium vectatione, damnatione ad metalla, injuſtâ piſcatione gemmarum, quibus crudelitatibus myriades Barbarorum in toto novo orbe, Hiſpaniola, Cubâ, novâ Hiſpaniâ, Jamaicâ, Peruviâ, aliiſque ſeu inſulis, ſeu continente, interierunt*, uti ſcribit de eo Brulius, lib. III. cap. III. qui & lib. IV. cap. VI. hæc ex illo Caſæ libro adducit Hiſpanice primum, quæ dein Latinè vertit, quare nobis etiam non minus deſcribenda: *à principio uſque in hodiernum diem non magis ſolliciti fuerunt Hiſpani, ut illis gentibus Jeſu Chriſti fides prædicaretur, quam ſi eſſent canes, aliave animalia bruta. Quin potius expreſſiſſime Religioſos multis afflictionibus perſecutionibuſque illatis, ne prædicarent, prohibuerunt, arbitrati hoc fore acquiſitioni auri divitiarumque, quas inſatiabili ſibi cupiditate promittebant, impedimentum. Neque major modo, quam fuerit à centum annis, in totis Indiis eſt Dei cognitio, ignorantibus an ſit ex ligno, an cælo, an terrâ; ſi modo novam Hiſpaniam, in quam Religioſi intrarunt, quæque non niſi minimus eſt Indiarum angulus, excipias. Atque ita perierunt, pereuntque omnes ſine fide & Sacramento.* Et hæc de Peruanis. Ubi obiter de nomine notandum, non eſſe verum hoc, aut proprium, ſed ab Hiſpanis datum, qui reſponſum indigenæ, ab illis rogati, quodnam eſſet ipſorum nomen, & ſuum dicentis eſſe Beru, illi & male audiendo & explicando, terræ nomen putarunt eſſe Peru: alii ſcribunt, eum reſpondiſſe Pelu dictam, quam Velu fluvius irrigavit; unde levi errore unius litteræ Hiſpani fecerint Peru: antiquum autem nomen fuiſſe, Tavantinſuju. Quo magis arguitur eorum temeritas, qui ex ſimilitudine vocum Peru, & Ophir, per litterarum metatheſim, putant Americam eſſe veterem Ophiram.

De *Tapuyis* Voſſius, in Addendis ad *lib.* I. *de Idolat. Gentil.* ex Chriſtophoro Arciſſewkio: quod gens eſt valde inculta & effera, quæ humanis veſcitur carnibus: duplex ſtatuit Numen, bonum, ac malum: bonum, quod affligit neminem, at bene facit omnibus, & propterea non neceſſe putant adorare ac colere, quia ſponte ſatis eſt beneficum; malum verò omni cultu proſequuntur & invocant, ne noceat, quandoquidem iracundum eſt, & cultum ſui negligentes male perdit. Non iter inſtituunt, vel tendunt in hoſtem, niſi prius malo numine bene conſulto & placato.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS, DE CONVERSIONE INDORUM, & Gentilium.

CAPUT PRIMUM.

De Patribus Græcis & Latinis, qui adverſus Gentiles ſcripſerunt.

POſt expoſitam, uti ferebat argumenti & inſtituti ratio, Gentiliſmi *Hiſtoriam*, ſequitur altera commentationis noſtræ pars, *Diſputatio*, ſuper illis capitibus, quæ in Gentilibus reprehendimus, & tum *religionem* concernunt erga Deum, tum *mores* & vitam inter homines.

Et duo quidem hic ſunt agenda: *errores* ac vitia animis eorum evellenda; & ſalutaris *veritas* tandem inſtillanda eſt; quibus rebus conſtat ea, quam intendimus, ipſorum converſio. In priori parte vindicandus erit imprimis *Decalogus*: in alterâ docendum *Euangelium*, quod quo promtius recipiant, tollenda erunt præjudicia, quæ adferunt ſive adverſus Dei *Verbum*, ſive *Religionem Chriſtianam*.

Hæc autem quo felicius à nobis fiant omnia, haud incongruum videtur præmittere ſeriem & catalogum *Scriptorum* adverſus Gentiles, ſeu Veterum, ſeu Recentium; unde conſtare poterit, & quid egerint alii, & quid nobis reſtet, tum quomodo, quibus armis, & ſucceſſu Gentiliſmum oppugnarint, & oppugnandum eſſe docuerint. Eâdemque operâ videbimus τὰ βάϑη omnis retrò Gentilitatis, quam ſic detexerunt, proſtituerunt, & exarmarunt veteres Theologi, quorum plurimi in illo cæno paulò ante hæſerant, & jam melius reſipuerant converſi ad Deum & Chriſtum, ut non ab ipſis magis Gentilibus ex eorum ſcriptis inſtruendus ſis, de ipſorum ſacris & ſtatutis, quam à Chriſtianis illis, apud quos ſimul videas illorum vanitatem & ſtultitiam copioſe admodum demonſtratam.

Atque ut à Veteribus incipiamus, primus, cujus contra Gentiles ſcripta extant, eſt *Juſtinus* Martyr, initio Philoſophus Platonicus, quum verò nec in hac, nec in reliquis Philoſophorum ſectis acquieſceret, Chriſtianus

Digitized by Google

factus, pro Chriſtianâ fide libros plures ſcripſit, & tandem à Creſcente, philoſopho Cynico, accuſatus, quem ἀφιλόσοφον & φιλόκομπον appellat, ad martyrium ductus, & à Ruſtico præſide ſecuri percuſſus fuit Romæ, anno Domini CLXIII. Etiam de ſe teſtatur, quod maxime ad fidem motus fuit viſâ admirabili illâ & inconcuſſâ Chriſtianorum pro religione ſuâ, in quibuſvis calamitatibus, & ferendâ morte, conſtantiâ.

Hic pro fide, *adverſus Gentes*, ſcripſit libros quatuor. In *Paræneſi* ad Græcos, præcipuè Poëtas perſtringit, & eorum τὴν γελοιοτάτην περὶ θεῶν θεογονίαν, præſertim ex Homero producens, quæ ille infanda, & propudioſa de Diis, eorum jurgiis, querelis, amoribus, perjuriis, pugnis & bellis affatim habet, τόσσος ἄρα κτύπος ὦρτο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων. Deinde quia ſagaciores à Poëtis provocabant ad Philoſophos, ut magis ſanos & ſerios rerum ſuarum auctores, etiam hos aggreditur, oſtenſo primùm diverſo illorum, de primis rerum Principiis, conflictu, Thaletis, Anaximandri, Anaximenis, Heracliti, Anaxagoræ, Archelai, Pythagoræ, Epicuri, Empedoclis, non omiſſis Platone, & Ariſtotele. Tum ad doctrinæ noſtræ ſcriptores deſcendit, quos oſtendit inter ſe de rebus ſuis non diſſentire, & omnibus Poëtarum ac Philoſophorum ſcriptis eſſe multum antiquiores, præſertim Moſem, cujus autoritatem ex ipſis Græcorum monumentis confirmat, Polæmone; Apione, Ptolomæo Mendeſio, Hellanico, Philochoro, item ex Caſtore, Thallo, Alexandro Polyhiſtore, Diodoro, præterquam ex Joſepho, & Philone. Probat etiam, præcipuos Gentilium Magiſtros, Orpheum puta, Homerum, Pythagoram, Platonem, in Ægyptum peregrinatos, & reliquias ſapientiæ Hebraicæ inde reportaſſe, quibus doctrinas ſuas exornarunt.

In *Oratione* ad Græcos breviore, turpitudinem Deorum profert, & exagitat: at in utrâque pro Chriſtianis *Apologiâ*, de noſtrâ agit doctrinâ & religione, oſtendens, quam indigna ſit, ut propter eam Chriſtianos odio habeant & perſequantur: tum quam falſa, quæ in eos confinxerant Gentiles, & ſpargebant, crimina, de promiſcuo inter ſe concubitu, cæde, & neſcio quibus infandis facinoribus.

Libro de *Monarchiâ*, Dei unitatem, creatum ab ipſo mundum, deducit ex ipſis Gentilium ſcitis & teſtimoniis. De libris autem *Quæſtionium Chriſtianarum*, ad Græcos; & *Quæſtionum Græcanicarum*, ad Chriſtianos; uti & *Epiſtolâ ad Diognetum*, quamvis iis de Gentilium rebus diſputet, quia non exiſtimant multi eſſe Juſtini, nihil dicimus: cenſuram alibi dedimus, *de Theologiâ Patrum*.

Athe-

Digitized by Google

Athenagoras, Juſtino coævus, & quoque Philoſophus antea Athenienſis, Chriſtianus factus luculentam ſcripſit *Apologiam*, quâ imprimis vulgatas illas & famoſas in Chriſtianos jactas à Gentilibus calumnias refellit, de ipſorum impietate, Thyeſtæis epulis, & promiſcuo coitu; tum & egregiè perſtringit illorum Deos. Librum item fecit *de Reſurrectione mortuorum* contra Gentiles, quo illius veritatem abunde vindicat & tuetur: legitur in Orthodoxographis, & Bibliothecâ Patrum.

Theophilus, Antiochenæ Eccleſiæ epiſcopus a. CLXXII. perſcripſit ad *Autolicum*, Chriſtianæ religionis calumniatorem ſtrenuum, libros tres: quorum primô probat Gentilibus Deum, & creatum ab ipſo mundum, ejuſque providentiâ regi & gubernari: tum adverſus ipſorum Deos diſputat, quod & facit libro ſecundo, ubi & V. T. exponit hiſtoriam: at tertio inſtituta inter Gentilium & Chriſtianorum doctrinam comparatione, hujus præ illâ commonſtrat dignitatem & præſtantiam: ſimul & tritas diluit calumnias, de quibus eſt, ut aliquem loquentem audiamus. Sic ergo Theophilus: Φασκόντων ὡς κοινὰς ἁπάντων οὔσας τὰς γυναῖκας ἡμῶν, *Ajunt enim noſtras uxores eſſe communes, & promiſcuo concubitu nos uti criminantur. His accedit, quod crimini nobis vertunt, quaſi nec à propriis ſororibus nobis temperemus, verùm & has inceſta libidine temerario auſu violemus. Iſtud præterea & crudeliſſimum & immaniſſimum eſt, quo nobis intendunt crimen dum impio ore garriunt, nos humanis veſci carnibus: nec ceſſant noſtram religionem ſeu doctrinam maledictis inceſſere ut nuperam, & omni veritate vacuam, quam nec nos, ſi controverſia exoriatur, ſatis luculentis demonſtrationibus tueri poſſimus. Adhæc noſtram doctrinam nihil aliud quam ſtultitiam eſſe & meras nugas cavillantur.*

Tatianus Aſſyrius, Juſtini Martyris diſcipulus, etiam antea Gentilis, ſed ad fidem converſus ſacrorum librorum lectione, contra Græcos ſcripſit *Orationem* doctiſſimam & elegantiſſimam, ubi & præceptoris ſui faciens mentionem, inquit, ὁ θαυμασιώτατος Ἰουστῖνος: oſtendit autem Græcorum ſapientiam, quâ immodice gloriabantur, non apud ipſos natam, ſed à Barbaris acceptam eſſe: per Barbaros intelligens extraneos omnes, non Græcos, quomodo & ſeipſum nominat Barbaræ Philoſophiæ ſectatorem, Ταῦτα ὑμῖν ὦ ἄνδρες Ἕλληνες ὁ κατὰ βαρβάρους φιλοσοφῶν Τατιανὸς συνέταξα. *Hæc vobis, ô Græci, Tatianus ego Barbaræ Philoſophiæ ſectator compoſui, natus in terra Aſſyriorum, & veſtris primùm ſtudiis imbutus, deinde vero illis quæ nunc fovere me profiteor.* Hæc in fine, ante dixerat, *& qui Anacharſim Scytham non rejicitis, nunc etiam non indignemini inſtitui ab illis, qui Bar-*

Digitized by Google

Barbaram diſciplinam ſequuntur. Recipite dogmata noſtra, & ſaltem nos dicentes audite, uti divinationem apud Babylonios, vel ſaltem uti quercum vaticinantem auditis. Tum etiam collatione factâ inter noſtram & Græcorum doctrinam, illam & meliorem & antiquiorem docet, quanto Moſes, univerſæ Barbaricæ Philoſophiæ auctor, Homerum Poëtarum & Philoſophorum apud Græcos principem, antecedit; antecedit & Linum, Philammonem, Thamyridem, Amphionem, Muſæum, Orpheum, quem monet Poëmatum, ſub ejus nomine legi ſolitorum auctorem non eſſe, ſed alium, Onomacritum Athenienſem; addit & Epimenidem Cretenſem, Ariſtæum Proconneſium, Horum, Samium, quibus, quamvis Homero antiquioribus, Moſes tamen longe præcellat & ſit anterior.

Clemens Alexandrinus, circa a. CXCII. ſcripſit *Protrepticon* ad Gentes, & libros *Stromatum*, quaſi ſtragularum ſeu varie contextorum veſtimentorum diceres, & veræ Philoſophiæ, uti ipſe loquitur, Commentarios: quibus neſcio an accuratius, & doctius res ac religionem Gentilium exponat, an confutet. Certe ex nullis Auctoribus, ne quidem Gentilium ipſorum, melius, quæ ad ſacra vel Philoſophiam Gentilem faciunt, ediſcas, quam ex eruditiſſimis & elaboratiſſimis iſtorum Patrum ſcriptis. Neque tantum Gentilium doctrinas & inſtituta convellunt, ſed & veritatem doctrinæ Chriſtianæ ingerunt, pro communi ferè omnium, adverſus illos ſcribentium, methodo.

Hæc Patrum *Græcorum* ſunt. *Latinorum* primus *Tertullianus* qui extat, ſub Severo principe, & Antonio Caracallâ, compoſuit circa ann. CXCIX. inſigne & laudatiſſimum *Apologeticum* ad Gentes; præter libros ad *Nationes*, à Gothofredo primùm editos. Juxta alia, id vehementer expoſtulat, quod Chriſtianorum nomen innocuum exponeretur vulgi odio, & magis hoc quod appellarentur, quam quod eſſent Chriſtiani, Gentiles inſectarentur, non cognitum, non examinatum antea, imo cognitionem rerum declinabant, ne non odiſſe poſſent. *Quid enim iniquius*, inquit in Apologiâ, *quam ut oderint homines quod ignorant? etiamſi res meretur odium. Tunc etenim meretur, cum cognoſcitur, an mereatur. Intelligere poteſtis, non ſcelus aliquod in cauſa eſſe, ſed nomen. Bonus vir Cajus Sejus, ſed malus tantum, quod Chriſtianus.*

Minutius Felix, incertum quo tempore vixerit, alii Tertulliano æqualem faciunt, qui obiit a. CCXVII. alii Frontoni Oratori, qui ſub Antonino Pio vixerit, & proinde collocant ad a. CLXX. propterea quod Frontonem obiter memorans, dicat, *ſic de iſto & tuus Fronto, non ut affirmator teſti-*

mo-

Digitized by Google

monium fecit, ſed convitium ut orator adſperſit. Quæ neque talia ſunt, ut non utrumque & tempus & auctorem attingere Minutius potuerit. Quamvis & quem Frontonem deſignet, etiam ambigatur. Non verò dubito, quin poſt Tertullianum vixerit, à quo nonnulla videtur mutuatus. Cypriano an anterior fuerit, quod viſum Wowero, Trithenio, Rigaltio; an poſterior, quod Baldunio placet; incertum. Coævum dicere, nil vereor: quamvis propter Hieronymum, qui in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum fere ordinem temporis etiam ſervat, præponam Cypriano: quem quidem etiam alibi poſt Tertullianum & Cyprianum nominat in Apologiâ ad Pammachium, ſed, ubi non neceſſaria erat temporis cura, & forte veritus fuit diſcipulum Cyprianum à Magiſtro Tertulliano divellere. Paria multa habent Minutius, in Dialogo; & Cyprianus in Tractatu, de idololatriâ. Quin neque omnino reſpuendum, quod Wowerius indicat, eſſe qui Cæcilium Minutii, putent eundem eſſe cum Cæcilio Cypriani, à quo hic cognomen accepit. Primus verò, qui errorem detexit libri hujus adſcripti Arnobio, pro octavo ſuorum adverſus Gentes, & non Octavio, fuit doctiſſimus præcedenti ſæculo I C. Balduinus, a. cIↃ IↃLX. quando Minutium, cum Prolegomenis ſuis, Heidelbergæ edidit; qui cum reliquis in Auctorem notis, & commentariis doctiſſimorum virorum editus nunc à doctiſſimo pariter, & prioribus ſuo merito adjungendo Jacobo Ouzelio, amico Clariſſimo. Etenim Arnobius duntaxat libros ſeptem, non octo fecit; & expreſſiſſime Minutium Felicem, Octavii auctorem memorant Hieronymus, & Lactantius. Eſt verò Octavius, vel Octavii hominis Chriſtiani diſputatio cum Cæcilio ethnico, autore Minutio, inſigni Romæ cauſidico, tantâ refertus eruditione, ut Hieronymus, in epiſt. ad Magnum, dicat, *quid gentilium Scripturarum dimiſit intactum*? Cæcilius tuetur, *omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa: magiſque omnia veriſimilia, quam vera* eſſe. Tum providentiam negat, & adſcribit omnia fortunæ: *quod ſi mundus divina providentia, & alicujus numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris & Dionyſius regnum; nunquam Rutilius & Camillus exilium, nunquam Socrates venenum.* Deinde & vulgares in Chriſtianos calumnias iterum profert: eorum ſtupra ſcilicet & inceſtus; quod caput aſini venerarentur, & ſacerdotis colerent genitalia; quod humano ſanguine & carne veſcerentur, ac neſcio quæ non: denique reſurrectionem mortuorum in Chriſtianis ridet & impugnat, vocatque per contemtum, religionem eorum anilem ſuperſtitionem. Ad quæ ſingula Octavius diligenter ac copioſe reſpondet, eo felicius quo ipſe Ethni-

Digitized by Google

cus olim eadem crediderat, quæ nunc in aliis confutabat: *nobis ipſis pænitentibus credite: & nos enim idem fuimus, & eadem vobiſcum quondam adhuc cæci & hebetes ſentiebamus: quaſi Chriſtiani monſtra colerent, infantes vorarent, convivia inceſta miſcerent.*

Origenes, ob invictum animi robur, & indefeſſam diligentiam Adamantius & Chalcenterus dictus, atque Alexandriæ martyr obiit a. CCII. die Aprilis XXII. adverſus *Celſum* calumniatorem, qui libros ſuos titulo *Verorum Sermonum* φιλαληθεῖς prænotabat, exaravit libros octo, in fidei Chriſtianæ defenſionem. Quorum primo meminit Tatiani, ejuſque Orationis, ſuprà nobis memoratæ, & autores adducit de Moſis antiquitate perhibentes teſtimonium. Adfert & Erippum, in primo de Legumlatoribus dicentem, quod Pythagoras Philoſophiam ſuam ab Judæis accepit; inque idem, Hecatæi hiſtorici librum, de Judæis. Libro ſecundo, ubi vindicias Jeſu inſtituit, ab Adverſarii calumniis, ex propriis Gentilium ſcriptis eos confutaturus, Phlegonem profert, in libro de temporibus atteſtantem, Tyberii Cæſaris tempore, quando Chriſtus crucifigebatur, admirandum in modum ſolem obſcuratum, & gravem terræ motum contigiſſe. Sic & ſequentibus libris Origenes, tum Chriſti, tum Moſis, & Scripturæ divinæ, adverſus Celſi convitia, præſtat ſe egregium & cordatum defenſorem ac patronum.

Jam *Cyprianus*, Tertulliani diſcipulus, ſuadente presbytero Cæcilio, à quo & cognomen Cæcilii ſortitus eſt, Chriſtianus factus, &, erogatâ omni in pauperes, quod Hieronymus ſcribit in Catalogo, ſubſtantiâ, epiſcopus Carthaginenſis atque pro fide martyrium paſſus a. CCLVIII. adverſus *Demetrianum* ſcripſit, in Chriſtianos omnium malorum, quibus orbis concutiebatur, cauſam, ob neglectum Deorum cultum, conjicientem: *Sed enim cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius ſurgant, quod lues, quod fames ſæviant; quodque imbres & pluvias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari; ultra tacere non oportet, ne jam non verecundiæ ſed diffidentiæ eſſe incipiat quod tacemus, & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere.* Quod idem argumentum poſtea tractarunt Arnobius, Lactantius, Auguſtinus, & Oroſius: atque ante illos attigit quoque Origenes, in Matth. XXIV. Tract. XXVIII. & Tertullianus, in Apologetico: *prætexentes ſane ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam: ſi Tiberis adſcendit in mœnia, ſi Nilus non adſcendit in arva, ſi cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim, Chriſtianos*

ad

ad leonem. Hoc nempe ſtatim Gentiles loquebantur. Apud Auguſtinum, l. 11. de civit. Dei, c. 111. *Pluvia defecit, cauſâ Chriſtiani nominis.* Jam verò reſpondet Cyprianus: *non enim ſicut tua falſa querimonia & imperitia veritatis ignara jactat & clamitat, iſta accidunt, quod dii veſtri à nobis non colantur; ſed quod à vobis non colatur Deus. Indignamini indignari deum, quaſi aliquid boni male vivendo mereamini, quaſi non omnia iſta quæ accidunt, minora adhuc ſint & leviora peccatis veſtris.* &c. *Et miraris in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cum creſcat quotidie quod puniatur? Nec dicatis mala accidere, quia dii veſtri nobis non colantur, ſed ſatis eſſe hanc iræ dei cenſuram, ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur.* Contrà in mundi ſenectutem, & appropinquantem ruinam cauſam transfert defectuum, qui in mundo obſervantur: *qua in parte (quia ignarus divinæ cognitionis & veritatis alienus es) illud primo in loco ſcire debes, ſenuiſſe jam mundum, non illis viribus ſtare quibus prius ſteterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea prævalebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de ſcripturis ſanctis prædicationibuſque divinis documenta promentibus, mundus ipſe jam loquitur, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur, non hyeme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt, non frugibus æſtate torrendis ſolita flagrantia eſt. Hæc Chriſtianis imputas, quod minuantur ſingula mundi ſenectute?* De quo argumento nunc non eſt dicendi locus. Atque ſuis, nempe Chriſtianis, mox addit, *viget apud nos ſpei robur, & firmitus fidei, & inter ipſas ſeculi labentis ruinas erecta mens, & immobilis virtus, & nunquam niſi læta patientia, & de deo ſuo ſemper anima ſecura.*

Scripſit Idem *de idolorum vanitate* libellum egregium, quo & Gentilium Deos ſalſe ridet atque exagitat, & unum Deum & Chriſtum prædicat: *Si autem aliquando dii nati ſunt, cur non hodie quoque naſcuntur? niſi forte Jupiter ſenuit, aut partus in Junone defecit. Cur vero deos putas pro Romanis poſſe, quos ſæpius videas nihil pro ſuis adverſus eorum arma valuiſſe? Romanorum autem vernaculos deos novimus: eſt Romulus pejerante Proculo Deus factus & Picus, & Tyberinus, & Pilumnus, & Conſus, quem Deum fraudis, velut conſiliorum Deum, coli Romulus voluit, poſtquam in raptum Sabinarum perfidia pervenit. Deam quoque Cloacinam Tacius adinvenit & coluit, Pavorem hoſtilius atque Pallorem, mox à neſcio quo Febris dedicata, & Acca, Flora, meretrices, hi dii Romani.* Iterum de ſuis aureo hoc epiphonemate concludit: *quod eſt Chriſtus, erimus Chriſtiani, ſi Chriſtum fuerimus ſecuti.*

Arnobius Afer, ſub Diocletiano Principe, adverſus Gentes, ſeu Natio-

tiones edidit libros ſeptem, adhuc catechumenus, dum Siccæ in Africâ Rhetoricam docebat, & ſomniis, uti Euſebius in Chronico auctor eſt, ad complectendam fidem impelleretur, Epiſcopis, difficulter credentibus, veram & ſinceram hominis mundo & inanibus declamationibus aſſueti, eſſe converſionem; ut perſuaderet, libris iſtis ſcripſit contra priſtinam religionem, quibus veluti quibuſdam obſidibus baptiſmum haud ægre impetravit. Scripſit ſub an. CCCII. nam ita ipſe lib. I. *trecenti ſunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani, & terrarum in orbe cenſeri*, & lib. II. *ante trecentos annos*, inquit Adverſarius, *religio veſtra non fuit*. Scribebat autem ea occaſione, quâ & alii inter Chriſtianos, quod ipſis à Gentilibus omnium malorum, quæ eveniebant, imputaretur cauſa, quaſi ob neglectum Deorum cultum, eumque tranſlatum in Chriſtum illis indignantibus: *poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem periſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum: ipſos etiam cœlites derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inviſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos.* & pag. 3. *quid eſt iſtud, quod dicitur inventam eſſe labem terris, poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo, & veritatis abſconditæ ſacramenta patefecit?* In quâ primum depellendâ calumniâ, & retorquendâ, tum exagitandâ veteri ſuperſtitione, docte & eleganter, denique exponendis rebus Chriſtianorum, totus eſt. *Nihil ſumus aliud*, inquit, *Chriſtiani, niſi magiſtro Chriſto ſummi Regis ac Principis veneratores: nihil, ſi conſideres, aliud invenies in iſta religione verſari. Hæc totius ſumma eſt actionis: hic propoſitus terminus divinorum officiorum, hic finis.*

Firmianus, qui & *Lactantius* dictus, ob lacteam in dicendo ſuavitatem, Arnobii diſcipulus, totidem ac Magiſter, adverſus Gentes libros compoſuit ſeptem, præterea & alios, quos Hieronymus recenſet, & Honorius Auguſtodunenſis. Scripſit illos, quo tempore Nicomediæ Rhetoricam docebat, ac penuriâ diſcipulorum, ob Græcam videlicet civitatem, uti Hieronymus auctor eſt, ad ſcribendum ſe compoſuit: quod & ipſe his teſtatur, lib. V. *ego quum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, contigiſſetque, ut eodem tempore Dei templum everteretur, duo extiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati, neſcio utrum ſuperbius, an importunius inſultarent*, Hieroclem intelligit, & Porphyrium, quorum hic *tres libros evomuit contra religionem, nomenque Chriſtianum*, alter ille *compoſuit libellos duos: non contra Chriſtianos, ne inimicè inſectari videretur, ſed ad Chriſtianos, ut humane ac benigne conſulere putaretur, in quibus ita falſitatem*

Scri-

Digitized by Google

Scripturæ Sacræ arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria. Illis autem commotus Lactantius ad ſcribendum pro Chriſtianis ſe dedit. *Hi ergo, de quibus dixi, cum præſente me, ac dolente, ſacrilegas ſuas literas explicaſſent: & illorum ſuperba impietate ſtimulatus & veritatis ipſius conſcientia, & (ut ego arbitror) Deo, ſuſcepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus accuſatores juſtitiæ refutarem, non ut contra hos ſcriberem, qui paucis verbis obteri poterant, ſed ut omnes, qui ubique idem operis efficiunt, aut effecerunt, uno ſemel impetu profligarem.* Inciderunt autem hæc in annum CCCII.

Atque animadvertens, tum quæ alii ante ipſum in hoc argumento præſtiterant, tum quæ ipſe deſideraret, iſtâ facundiâ rem Chriſtianam tractavit, ut nemo diſertius, & cum Tullio comparari non modò, ſed æquari mereatur, ſi non præponi, & non immerito cenſuerint multi, hunc Autorem pueris terendum in ſcholis eſſe, ut ejus unius lectione, caſtigatis nonnullis, quod etiam in aliis fieri neceſſe eſt, ſimul & Chriſtianæ fidei rudimenta, & Latini ſermonis elegantiam, atque fabularum gentilium, quibus oppidò magis quam decet, adoleſcentum animi nunc imbuuntur, vanitatem, addiſcerent.

Vide, quæ carpat in Minutio, quæ in Tertulliano, quæ item in Cypriano, lib. v. cap. I. *Ex iis, qui mihi noti ſunt, Minutius Felix, non ignobilis inter cauſidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus eſt, declarat quàm idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet. Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, ſed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obſcurus fuit. Ergo ne hic quidem ſatis celebritatis invenit. Unus igitur præcipuus & clarus extitit Cyprianus, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſſione quæſierat, & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, & (quæ ſermonis maxima eſt virtus) aperto, ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit. Hic tamen placere ultra verba, ſacramentum ignorantibus non poteſt, quoniam myſtica ſunt, quæ locutus eſt, & ad id præparata, ut à ſolis fidelibus audiantur. Denique à doctis hujus ſeculi, quibus forte ſcripta ejus innotuerunt, derideri ſolet. Audivi ego quendam hominem ſane diſertum, qui eum immutata una litera Coprianum vocaret, quaſi quòd elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad anileis fabulas contuliſſet. Quòd ſi accidit hoc ei, cujus eloquentia non inſuavis eſt, quid tandem putemus eis accidere, quorum ſermo jejunus eſt, & ingratus: qui neque vim perſuadendi, neque ſubtilitatem argumentandi, neque ullam prorſus acerbitatem ad re-*

Digitized by Google

vincendum habere potuerunt? Quidquid ſit de judicio ejus & cenſurâ, quam in Autores illos ſtringit, id verum eſt, quod hic ſignificat, ad ingenium Adverſariorum & Gentilium, cum quibus, & quocunque tempore agitur, attemperandam diſputationem eſſe, & videndum, ne quid in defenſione rei, quam ſuſcipimus, juſtè queant deſiderare. Eodem in libro, cap. IV. *Quamquam Tertullianus eandem cauſam plene peroraverit in libro, cui Apologetico nomen eſt: tamen quoniam aliud eſt, accuſantibus reſpondere, quod in defenſione, aut negatione ſola poſitum eſt, aliud inſtituere, quod nos facimus, in quo neceſſe eſt, doctrinæ totius ſubſtantiam contineri, non defugi hunc laborem, ut implerem materiam, quam Cyprianus non executus eſt in ea oratione, quâ Demetrianum, ſicut ipſe ait, oblatrantem, atque obſtrepentem veritati, redarguere conatur, qua materia non eſt uſus, ut debuit: non enim Scripturæ teſtimoniis, quam ille utique vanam, fictam, commentitiam putabat, ſed argumentis, & ratione fuerat refellendus.* Nullibi verò mentionem facit ſui Arnobii, quod indicio eſt, eodem tempore illum ſcripſiſſe, ut ejus libros videre nondum potuerit.

Cæterum Lactantius, primum quidem totus eſt in profligandâ Gentilium ſuperſtitione, & oſtendendâ errorum origine, duobus primis libris; deinde & Philoſophorum falſâ ſapientiâ, libro tertio: unde pergit ad religionem Chriſtianam defendendam, lib. IV. & Chriſtianorum vitam, adverſus rabiem & injuſtitiam perſequutorum, libro quinto: quod ſupereſt, ultimis libris, de vero Dei cultu, ejuſque præmio ſeu beata vitâ, proſequitur. *Vir*, inquit Euſebius, in Chronico, *omnium ſuo tempore eloquentiſſimus, ſed adeo in hac vitâ pauper, ut plerumque etiam neceſſariis indiguerit, nedum deliciis.* Extremâ ſenectute Magiſter Cæſaris Criſpi, filii Conſtantini, in Galliâ conſtitutus fuit.

Euſebius Pamphili, ſic denominatus à Pamphilo martyre, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, ſcripſit ad ann. CCCXXX. de *Præparatione Evangelica* libros XIV. quibus iter ad Evangelii veritatem præparat, uti loquitur, illis, qui à Gentiliſmo ad Evangelium accedebant: quibus digne præparatis, aliis *Evangelicæ demonſtrationis*, Chriſti & Evangelii veritatem explanat. Prioribus, adverſus variam falſamque Gentilium Theologiam, egit: de Phœnicum, Ægyptiorum, Græcorum, Atlantorum, Phrygum Theologiâ, & arcanis eorumdem myſteriis, exagitans tam religioſam, quam naturalem ipſorum Theologiam: quippe duplex omnis Veterum de Theologiâ doctrina fuit, vel ad cultus & religionem Deorum; vel per explicationem myſticam ad Philoſophiam naturalem. Utrumque

Chri-

Chriſtianis Scriptoribus examinandum fuit. Diſputat autem, tum ex ipſis Gentilium, adverſus eos, opinionibus; tum ex ſcriptorum inter eos nonnullis monumentis, quæ, abſque eo foret, ignoraremus, jam vero in fragmentis apud ipſum, magno litterarum uſu, leguntur. Verùm dum benè quidem oſtendit, pleraque & potiſſima alios à Græcis, Græcos à Judæis accepiſſe, & qui inter Philoſophos præſtantiſſimi, certatim Ægyptum petiiſſe, ut inde monumenta Moſaicæ ac Judaicæ doctrinæ haurirent, latius aliquando provehitur, à Philoſophis quoque agnitam aliquatenus S. Trinitatem, attamen acceptam traditione à Judæis, contendens. Quod quidem minus aliquantum, quam quod alii ex naturâ & ratione myſterium illud Gentilibus cognitum aſſerunt; attamen & illud quoque ex nimio, ſive erga veritatem, ſive Gentilium Philoſophiam, affectu potius, quam rei veritate dictum habeo. Quò etiam faciunt, quæ de Dei verbo ſubſtantiali, de tribus hypoſtaſibus, de generatione Dei æternâ, ex Platone, & Platonicis eruit, libro *Præparat.* XI. *cap.* X.

Quemadmodum verò in libris Præparationum, adverſus Gentiles; ita in aliis, *Evangelicarum Demonſtrationum*, adverſus Judæos diſputationem inſtituit. Ibi Gentiliſmum profligat, quo everſo, animoque à Paganorum ſuperſtitionibus ſoluto, & ad doctrinam Euangelii recipiendam nunc præparato, veritatem ac divinitatem Chriſti & religionis pergit demonſtrare.

Porro *lib.* 3. *cap.* 9. adducit teſtimonium Porphyrii, infidelis, & Adverſarii Chriſtianorum, ex libro, de Philoſophiâ ſelectorum, ubi Chriſto honorificum perhibet teſtimonium, dicitque, religioſum fuiſſe, & in cœlum ſubvectum, ejus animam, propter egregiam ſapientiam, honore illo affectam, & in cœleſti campo collocatam, ab ignorantibus Chriſtianis coli, *ipſe igitur pius, & in cœlum, ut pii ſolent, ſubvectus.*

Quem Euſebius ſervavit ordinem, ut primum tomum Præparationis Evangelicæ ſcripſerit adverſus Gentiles, & alterum Demonſtrationis, pro veritate Chriſti, & religionis Chriſtianæ; eundem tenuit *Athanaſius*, ad a. CCCXL. oratione primum *contra idola;* inde alterâ, *de incarnatione Verbi.* In initio libri, vel orat. de incar. *Quem Judæi quidem*, inquit, *in jus vocant, Gentiles irrident, eum nos ſupplices adoramus, ut magis ex manifeſtata Verbi humilitate major atque auctior in ipſum ſurgat noſtræ devotionis affectus. Eo enim majus habet ſuæ divinitatis teſtimonium, quo magis apud infideles irridetur.* In priore hoc habet ſingulare, quod non tantum contra idola agat, ſed & præcipua, quæ pro iis moveri poſſunt argumenta, ponat ac con-

confutet. Quemadmodum, quod excipere ſolent, ludibria Deorum ſuorum quæ narrantur, non veras hiſtorias, ſed figmenta eſſe inanium Poëtarum; quodque dicunt, haud immerito videri coli mundi naturam, & partes, quæ tantorum bonorum homini cauſæ ſunt &c. ad quæ prolixè reſpondet.

In poſteriori *de Incarnatione Verbi*, quo utriuſque libri oſtendat juncturam, exorditur ab illo, quo finierat primum, quodque ibi quaſi attigerat: *Satis quidem in his, quæ præmiſimus, de execrabili errore & ſuperſtitione Gentilium diximus, quo pacto ſcilicet initio ſimulachra inventa ſunt; quodque ex malitiâ homines hujuſmodi ſibi nefarium inſtituerunt cultum. Sed & pauca per Dei gratiam de Paterni Verbi deitate ſignificavimus, deque illius in omnibus providentiâ atque virtute, ut ſcilicet ſolus bonus Pater per ipſum cuncta diſponat, & omnia moveantur ab ipſo, & in ipſo vivificata lætentur. Age nunc Macari fideliſſime, quæ ſunt reliqua videamus, ac religioſa devotione de incarnatione Verbi, deque divino ipſius adventu ad nos, pro viribus diſſeramus.* Unde nil ultra dubitamus, quin uterque liber eòdem pertineat, ſitque, quod Hieronymus ſignificat, primus & ſecundus contra Gentiles, neque neceſſe fuiſſe diverſo utrumque titulo prænotare. Agit hic in anteceſſum de creatione, quam adverſus Epicuræorum, & Platonicorum ſententias tuetur: deinceps de Verbi incarnatione, ejuſque ad nos, in corpore, adventu: tum de præſtantiâ & divinitate Chriſti, æque adverſus Judæos, ac Gentiles.

Julius Firmicus, circa a. CCCL. ad Conſtantinum, & Conſtantem, Auguſtos, librum fecit *de Myſteriis*, *& Erroribus profanarum Religionum*: ubi tam ridet vanas Gentilium ſuperſtitiones, atque idola, quam confutat interpretationem illorum per rationes phyſicas: ut quod Ægyptii aquam, Phryges terram, Aſſyrii aërem, denique Perſæ ignem, aliis nominibus & myſticis ſacris coluerunt. Quod & Athanaſius fecit, in Oratione ad Gentiles. Tum Deorum nefanda vitia & ſcelera exagitat, eorumque qui illos colunt, dementiam. Ut verè dicere potuerit, quod *ſemina pene omnium ſcelerum à Diis ſuis peccantium turba collegit. Et ut perditus animus impunè facinus poſſet admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis majore ſe autoritate defendit.* Dixerat, *ſi Dii ſunt, quos colitis, cur eos lugetis? cur eos annuis luctibus plangitis? ſi lachrymis & luctu digni ſunt, cur eos divino honore cumulatis? Unum itaque è duobus facite, aut nolite eos lugere ſi Dii ſunt: aut, ſi luctu eos dignos putatis ac lachrymis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lachrymis, veſtris, majeſtas divini nominis polluatur.* De ſacris Liberi, Proſer-

ſerpinæ, Attis, & Oſiridis loquitur. Denique per Ægyptiorum Serapin, Joſephum Patriarcham, Ægypti, tempore famis, ſervatorem, intelligi docet, & Serapin dictum, quod Saræ eſſet pronepos, Græco ſermone quaſi Σαρᾶς ἀπὸ: quamvis alii aliam ejus nominis oſtendant derivationem: de quo videndus Woweriusin Notis ad Auctorem.

Gregorius Saſimorum primò, tum Nazianzenus, epiſcopus, Hieronymi præceptor, & a. CCCLXXXIX. obiit, in *Stelitcuticis* Orationibus, vel invectivis adverſus Imp. Julianum, Gentilium fœdos errores atque idololatriam maſcule impugnat, præcipue in priori ubi hiſtoriam Juliani pandit; dumque ejus apoſtaſiam exponit, & caſtigat, ſimul etiam vanitatem Gentiliſmi, & Idolorum & Poëticæ, & Philoſophicæ detegit, ac perſtringit. Oratione altera geſta Juliani porrò pertexit, & mortem ejus narrat, quodque diu ante, quam hominem ejuſque indolem attentius introſpexiſſet, de eo vaticinatus fuerit: *ô quale malum Romanorum alit reſpublica!* quod quamvis præſagiſſem, inquit, precatus tamen etiam ſum, ut vates fierem falſus.

Aurelius Prudentius, vir conſularis & inſignis admodum Poëta, a. CCCXC. ſcripſit *Apotheoſim*, ſeu hymnum in infideles, ſed brevem: verùm in duobus *contra Symmachum*, virum valde diſertum, libris eò eſt plenior, quod *nemo deſertior* illo Symmacho haberetur, qui poſt in tuto collocatam Chriſtianorum religionem, turbare eam, & ſcriptis impetere eloquentibus ſummo ſtudio annitebatur:

Credebam vitiis ægram gentilibus urbem
Jam ſatis antiqui pepuliſſe pericula morbi,
Nec quicquam reſtare mali, poſtquam medicina
Principis immodicos ſedarat in arce dolores.
Sed quoniam renovata lues turbare ſalutem
Tentat Romulidum, patris imploranda medela eſt,
Ne ſinat antiquo Romam ſquallere veterno.

Atque in ſecundo adverſus Symmachum, ejus ſemper dicta carmini ſuo præfigit, quibus pro Diis ſuis, eorumque honore acerrime pugnabat. Quare in præfatione inquit:

Hactenus & veterum cunabula prima deorum,
Et cauſas, quibus error hebes conflatus in orbe eſt,
Diximus, & noſtro Romam jam credere Chriſto.
Nunc objecta legam, nunc dictis dicta refellam.

Cæterum profligato per tot tantaſque Veterum diſputationes Gentiliſ-

Digitized by Google

mo remotior, converſis quoque, ad fidem & defenſionem ejus, Imperatoribus, rarius ſcriptum à Chriſtianis adverſus Gentiles fuit; operaque Scriptorum quaſi diſtracta contra hæreticos.

Sic nunc poſt hyemem, vimque trucis freti,
Quo jactata ratis tunc ſapientia eſt,
Cum ſub ſacricolis territa regibus,
Vix panſo poterat currere carbaſo.

uti loquitur Prudentius: neque tamen deſuerunt, qui in Paganiſmi reliquias calamum ſtringerent, eumque porro penitus confoderent.

Inter quos & *Johannes Chryſoſtomus*, qui a. CCCCVII. in exilio obiit, *adverſus Gentiles* librum ſcripſit, ſeu in *Babylæ* Martyris acta & mortem commentarium, quo teſtatur imminutum Gentilium numerum & vim: *Quod ſi quis dixerit ſupereſſe etiam nunc civitates, eandem quam olim ſuperſtitionem circa idolorum inſaniam præ ſe ferentes, is primum admodum paucas numerabit.* Narrat etiam lamentum aliquod Sophiſtæ pro luco Daphnes, cœlitus incenſo, cujus cauſa in Babylam Martyrem, & præſens ejus ſepulcrum conjiciebatur: *Quale ô Jupiter laborantis animi laxamentum perdidimus? quàm Daphnes regio tumultibus vacua erat? quanto etiam templum ipſum magis vacuum? utpote in quo natura ex ſeſe quaſi portum in portu fecerat, ambobus quidem admodum tranquillis, altero tamen majorem tranquillitatem præſtante. Quis non ibi mortem? quis non ibi timorem? quis non ibi luctum poſuiſſet? quis præterea fortunatas inſulas inibi deſideraſſet?* Adeo diſertis & magnificis verbis ſolebant res Deorum ſuorum declamitare. Quibus reſpondet ordine Chryſoſtomus.

Adverſus Gentiles præterea librum ſcripſit, probans, *quod Chriſtus eſt Deus*: at quomodo? non ex S. Scripturis, quas Gentiles repudiant; ſed ex eo, quod omnes ſciunt, & diffiteri nemo poteſt, quod Chriſtianorum genus Chriſtus plantavit, quod omnes ubique per orbem eccleſias fundavit, divinæ potentiæ ſplendidiſſimum argumentum; neque ad id armis uſus, aut bello, ſed per humilem, at ſimul efficacem, Evangelii ſui Prædicationem, à paucis, neque iis nobilibus, aut ſophiſtis, ſed ſimplicibus viris, bonis, & abjectæ ſortis. Veræ certe atque adorandæ divinitatis magnum indicium. *Primum autem cum gentibus nobis certamen ineundum. Dicet enim utique gentilis: Unde manifeſtum, quòd Chriſtus eſt deus? Ante omnia igitur hoc præſtruere oportet, & ſponte ſequentur alia omnia. At non à cœlo petenda demonſtratio, neque ab aliis id genus. Nam ſi ad gentilem dixero, creavit cœlum, vel terram, vel mare: non me feret: Incredulus enim eſt.*

eſt. Si dixero, Mortuum excitavit, cæcos curavit, dæmones fugavit: neque hoc accipiet. Denique ſi dixero, quòd regnum & ineffabilia bona promiſerit, hoc non ſolum non credet, ſed & ridebit. Unde igitur illum, maxime ſi idiota eſt, inſtituemus? Non aliunde quam ab his, quæ inter nos & illum confeſſa ſunt, & quæ in dubium revocare nequit. Nam quòd cœlum fecit, & alia quæ dicebam, non ſuſtinebit ut ſibi nunc ſuadeantur. Quæ igitur ſunt quæ & ille feciſſe Chriſtum confitetur, & non contradicit? Quòd Chriſtianorum genus plantavit Chriſtus. Neutiquam enim contradicet, quod omnes und quaque eccleſias orbis Chriſtus fundarit. Hinc faciemus demonſtrationem virtutis Chriſti, & oſtendemus ipſum Deum. Etenim non eſt puri hominis, in tantis rebus, orbem terra, marique, tam brevi tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præventum, tantiſque malis irretitum liberare humanum genus: & non Romanos tantum, ſed & Perſas, & omne (ut ſic dicam) barbarorum genus. Inſuper quod hæc confecit, nullis uſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos movens exercitus, nulla prælia committens, ſed per undecim viros principiò, ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, perſuaſit tot hominum tribubus: idque non præſentibus ſolum, ſed & futuris. Quid? quot ſubvertit leges patrias, abolevit conſuetudines inveteratas, evellit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis ſuas alias implantavit? Abduxit ab his in quæ propenſi eramus, & in ardua & difficilia induxit.

Auguſtinus, Hipponenſis in Africâ Epiſcopus, qui in obſidione Hipponis ſuæ à Vandalis, tertio menſe obiit a. CCCCXXX. die XXVIII. Auguſti, poſtquam Roma à Gothis Vandaliſque, ſub Rege Alarico, vaſtata erat, & calamitatem illam Pagani Chriſto ac Chriſtianis exprobrarent, in vindictam videlicet contemptorum Numinum: *cur calumniantur temporibus Chriſtianis, ideo dicentes urbi accidiſſe illam calamitatem, quia Deos ſuos colere deſtitit?* 1. de Civit. Dei, c. XV. Unde *ortum vulgare proverbium* refert, l. II. c. III. *pluvia defecit, cauſa Chriſtiani.* Quocirca Auguſtinus cauſam Chriſtianorum ſuſcipiens, ſcripſit *de Civitate Dei* libros viginti & duos, mundum totum in duas dividens partes, bonorum & malorum, fidelium & infidelium, illam Dei civitatem, quæ Eccleſia eſt, hanc Diaboli appellans. Atque primis decem libris adverſus Gentiles, eorumque tum ſuperſtitiones, tum falſas criminationes; reliquis duodecim pro doctrinâ Chriſtianâ diſputat, eamque vindicat ſtrenuiſſimè. *Perplexæ quippe ſunt iſtæ duæ civitates in hoc ſeculo, invicemque permixtæ, donec ultimo judicio dirimantur*, inquit, lib. I. cap. XXXV.

Ab initio ſalſe ridet ſplendidam Romanorum fatüitatem, qui Diis Trojanis,

Digitized by Google

janis, ſemel miſere devictis, ſuam urbem & felicitatem committebant cuſtodiendam, ſcil. qui ſeipſos ſervare minimè potuerant: *Victos Penates, victoſque Deos* Virgilius dicere non dubitat;

Sacra, ſuoſque tibi commendat Troja Penates.

Jam, inquit Auguſtinus, *quæ dementia eſt, exiſtimare his tutoribus Romam ſapienter fuiſſe commiſſam, & niſi eos amiſiſſet, non potuiſſet vaſtari? immo vero victos Deos tamquam præſides ac defenſores colere, quid eſt aliud, quam tenere non numina bona, ſed dæmonia mala?*

Et libro tertio oſtendit, quantas clades ac infortunia paſſi fuerint etiam olim Romani, ſub Gentiliſmo, antequam ipſis Chriſtus aut annunciatus aut notus erat, graviora quidem, quam à receptâ Chriſti fide: ut non inde calamitates temporum derivandæ ſint, quod non colerentur Dii, quum eadem & graviora illos preſſerint, quantumvis Diis haud ſegniter cultis.

Libros priores tres quum edidiſſet (videtur enim per partes illos compoſuiſſe) non defuerunt, qui ex Paganis ſe opponerent, iiſque pararent reſponſionem: de quibus in fine libri quinti loquitur: *Tres priores cum ediđiſſem, & in multorum manibus eſſe cœpiſſent, audivi, quoſdam neſcio quam reſponſionem ſcribendo præparare. Deinde ad me perlatum eſt, quod jam ſcripſerint.*

Quum verò undecimum adornaret, *Paulum Oroſium* diſcipulum ſuum, qui Hiſpanus natione Africam petierat, Auguſtini audiendi cauſâ, hortatus fuit, ut eâdem de cauſâ, quæ ipſum incitarat ad ſcribendum ſuos de Civitate Dei libros, nempe ut calumnias Gentilium, quibus in Chriſtianos, ob neglectum Deorum, culpam occupatæ & devaſtatatæ à Gothis Romæ, conjiciebant, repelleret, *Hiſtoriam* contexeret, quâ oſtenderetur, quantis non bellis & calamitatibus jactatus ſemper orbis, ac Romanum imperium fuiſſet, ſub omni retro Gentilitate: quare hic iſtius argumenti compoſuit a.CCCIX. libros ſeptem, qui in Ms. quod eſt Bibliothecæ Ultrajectinæ, titulum gerunt, *de cladibus & miſeriis antiquorum.*

Atque ita vidimus præcipuos primorum ſæculorum Scriptores qui ex profeſſo Religionis Chriſtianæ veritatem, contra Gentiles, tutati fuerunt: illis nempe ſæculis, quibus cum Gentiliſmo coram concertandum fuit, utpote ex quo Eccleſia colligebatur. Neque bruto ſolùm affectu, & armis adverſi Chriſtianis erant Gentiles; ſed ſermone & ſcriptis diſertis ac ſubtilibus ſatis, pugnabant pro aris & Diis ſuis: adverſus quæ & voce & ſcripto viciſſim defendenda fuit Chriſti Religio, atque ſolo docendi modo & virtute propaganda. Tempus illud fuit primorum quinque ſæculorum, dua-

duabus diſtinctum periodis, primâ uſque ad *Conſtantinum* Imperatorem, qui Chriſtianæ Religioni templa aperuit, & patrocinium commodavit publicæ poteſtatis; inde ad *Julianum*, qui à Chriſtianiſmo, fœdo & horribili lapſu deficiebat ad veterem paganiſmum, & ſic expulſo & repreſſo vires reddebat ac vitam. Poſt quod etiam ſuperatum ſcandalum, non tantum negotii Eccleſiæ cum Gentilibus fuit, ac quidem cum domeſticis hæreticis. Et mirum videre eſt in antiquis illis Scriptoribus, quomodo literatam Gentilitatem, quæ armata ſæculi & Philoſophorum eruditione erat, profundâ & meliori litteraturâ expugnarint. Ut non aliunde melius ſive de doctrinâ Gentilium, ſive ejus vanitate inſtrui queas, ac ab illis, quibus quotidianum cum Gentibus commercium, & ſtudia apud ipſos poſita, illam rerum ſuppeditabant copiam & uſum, quem apud eos cum ſtupore obſerves, & juſtius, quam alibi, diſcas. Nec vetera tantum expoſuerunt & tractarunt, ſed quæ novi Scriptores ſuis quoque temporibus pro Gentiliſmo, & contra Chriſtum, adferebant. Uti Theophilus Autolycum, Minutius Cæcilium, Origenes Celſum, Cyprianus Demetrianum, Porphyrium Apollinarius, ſed qui hodie non extat; alii Symmachum, vel Julianum, & ſuos, quos non nominat, non minus autem habuit, Lactantius, alii alios, inopia aſſertorum veritatis incitatos ad eam ſcriptis impugnandam. Nam primis illis temporibus, dominante Gentiliſmo, plures hic habuit patronos, quam antagoniſtas. Quod Lactantius ſignificat, l. 5. cap. 1. *Ergo quia defuerant apud noſtros idonei, peritique doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent, qui cauſam omnem veritatis ornate, copioſeque defenderent: provocavit quoſdam hæc ipſa penuria, ut auderent ſcribere contra ignotam ſibi veritatem.* Poſtmodum verò magis cum hæreticis confligendum Eccleſiæ Chriſti fuit. Quippe grave, & impoſſibile Diabolo videbatur, cum Gentilitate ſuâ expulſo, quieſcere: quare aliâ viâ adoriendam Eccleſiam, ejuſque fidem putavit, excitatis cominus adverſariis, in ipſo ſcilicet Eccleſiæ gremio, variarum hæreſium auctoribus; denique & domeſticis ψευδαδέλφοις.

CAPUT SECUNDUM.

De recentioribus & modernis ſcriptoribus adverſus Gentiles.

AB *Antiquis* ergo Scriptoribus, quos *Patres* nuncupamus, facto tranſitu omnium fere ſæculorum, quibus ab hiſce diſputationibus feriæ

 viden-

Digitized by Google

videntur fuiſſe Eccleſiæ, ad *noſtra* accedo tempora, vel noſtris proxima. Ab anno quingenteſimo, ad quingenteſimum, ſupra milleſimum, integro fere millenario parum vel nihil fere hoc in argumento ſcriptum reperias, ſi excipias fortè unum *Thomam Aquinatem*, qui ſcripſit Summam contra Gentes, & obiit An. MCCLXXIV. Nonis Martii, in Monaſterio Foſſæ Novæ, prope Terracinam, quo tempore Neapoli, ubi docebat, evocatus erat à Gregorio X. ad Concilium Lugdunenſe, cum Græcis diſputaturus de proceſſione Spiritus S. aliiſque articulis, cujus acumen & eruditionem in iſtis deſiderabat Papa. Sed moriebatur in itinere, annos demum natus quinquaginta, in numerum Sanctorum relatus à Johanne XII. Iſtam verò Summam contra Gentiles ſcripſit, præter famoſam Summam Theologiæ, tot aliorum Summis & commentariis poſtea auctam, ut ſi non Theologiæ, at laboris certe & ſtudii Monachalis ſummam appellare meritò poſſis. Summa autem hæc contra Gentiles, melius inſcribenda fuerat Theologia naturalis: adeo totus diſputat unicè de rebus Theologicis, ex ratione rationali, ad Gentiles non magis, quorum nullam fere facit mentionem, quam ad ſuos Scholaſticos. Neque judicium probo, verius adulationem, Johannis Baptiſtæ Egnatii, cui Summam hanc Thomæ conferenti, cum veterum, Tatiani, Apollinaris, Tertulliani, Firmiani laboribus contra Gentiles, videntur iſti oleum & operam, quod dici ſolet, perdidiſſe. Opus aliàs in ſe doctum & elaboratum, atque commentariis illuſtratum Franciſci Sylveſtris: qui huic operi intentum fuiſſe Autorem opinatur, quando ab Ludovico Francorum Rege exceptus convivio, ad menſam, tamquam ex profundo ſomno experrectus, manu menſam percutiens, exclamabat, concluſum eſſe contra Manichæos; & ad ſocium converſus dicebat, ſurge & ſcribe. Quamvis Bzovius ſcribat, Annal. Tom. XII. menſæ Cardinalis Legati aſſediſſe, quo tempore volumen iſtud contra Gentiles elaborabat, & ſimile fere paſſum, ac illud quod ad Regiam menſam ipſi eveniſſe, referunt.

Raimundus Sebon, vel de Sebonde Theologus & Philoſophus Hiſpanus, Raimundus Sabeide, ſcribit in Catalogo, de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Abbas Trithemius, & claruiſſe ait temporibus Sigiſmundi Imperatoris, & Eugenii Papæ, Ann. MCCCCXXX. confecit *Theologiam naturalem*, vel lib. Creaturarum ſive de homine: quem in Gallicum tranſtulit Michaël Montaigne, filius, & inſcripſit Patri; nuper in compendium contractus & editus à Comenio. In quo Auctor acute ex rebus creatis adſcendit ad probanbandum tum Deum, tum divina: ſed revera largius ſibi indulſit, quam

pro-

Digitized by Google

probare queam, dum ſingulos, & maximè ſupranaturales quoque fidei articulos ex eodem naturalis demonſtrationis filo deducere & probare conatur: ut in Deo Sacrarum Perſonarum Trinitatem, generationem Filii: quod ulterius corrupit interpres Gallicus, qui in argumento capitis XLVI. illam vocat alterius naturæ creationem; ex creatione quidem argumentetur; at non ut ad aliam creationem; gravis enim hic error foret in Theologo. Eodem pede pergit ad ſingula Religionis capita, de Angelis, eorum lapſu, de Chriſti incarnatione, morte, de Sacramentis Eccleſiæ &c. ex naturali ſemper ratione diſputans, magis laudem acuminis, quam ſoliditatis promeritus.

Hieronymus Savanorola, Ferrarienſis, vir, quod etiam hoſtes ejus teſtantur, ſæculo ſuo maximus, *declamator ardentiſſimus, & multarum litterarum apprime eruditus*, inquit Auctor additionis, ad Trithemium; nec modò litteratus, ſed *magnæ apud litteratos omnes auctoritatis, Chriſtianæ diſciplinæ concionator egregius, admirabili omnino doctrinâ poſtquam Florentinum populum eò compulerat, ut ab Alexandro Pontifice Maximo, atque adeo ab Eccleſiæ Romanæ inſtitutis diſſentiret*, verba ſunt Jo. Pierii Valeriani, de Litteratorum infelicitate, lib. II. publice in foro Florentino, cum ſociis, combuſtus fuit. Ille quoque *Triumphum crucis* fecit, ſive libros de veritate fidei quatuor: Chriſtum ſub ſymbolo triumphantis in curru exhibens, & ad currus imaginem omnia referens & tractans capita religionis: ſtylo ſupra quam in aliis ſcriptis, vel illo ſæculo conſuetum, diſerto: quod in Prologo faſſus, *conſuetæ ſimplicitatis noſtræ metam, paululum in hujus operis ſtilo tranſgredimur.*

Omitto *Petrum de la Cavalleria*, Hiſpanum, cujus extat *Zelus Chriſti* contra Judæos, Sarracenos, atque Gentiles, cum notis Martini Alphonſi Vivaldi, a. CIↃ CCCCL. cujus meminimus, in lib. *contra Judæos.*

Anno MCCCCXCIX. obiit *Marſilius Ficinus*, Florentinus, præclarus Philoſophiæ Platonicæ ſectator & columen, qui ſcripſit *de Religione Chriſtianâ*, & fidei pietate opuſculum, adverſus Infideles, Judæos, Muhammedanos, & Gentiles, ad Laurentium Medicem, cujus, ut familiæ iſtius progenitorum, tum Patris Petri, tum avi Coſmi, erga ſe liberalitatem in præfatione valde deprædicat. Impreſſum primò Argentorati An. MDVII. denuò Ann. MDCXVII. Bremæ, accurante, qui etiam notas addidit, Doctore Ludovico Crocio. Maxime autem pro Chriſtianâ religione agit, eamque exponit & confirmat quantum ex Gentilibus, aliiſque fidei Adverſariis potuit.

Ludo-

Digitized by Google

Ludovicus Vives de Veritate religionis Chriſtianæ, libros conſcripſit quinque, in quibus primùm adverſus Gentiles diſputat, tum cæteros infideles. Et prudenter atque acutè ex ratione colligit ea, quæ ſibi ſumit probanda: *naturali luce verum indagabimus, quando hæc ſola inter nos & repugnantes relicta eſt, tamquam via, qua inſiſtamus ad aliquam veſtigationem veritatis.* Sed tamen etiam plus æquo ei concedit, quando hæc ſcribit lib. I. *quandoquidem Deus in humanos animos de ſua luce lucem derivavit, etiam poſt naturæ caſum tantum reliqui fecit nobis, quantum ſi conſervaretur & excoleretur, profecto in via nos ſiſteret ſalutis.* Cæterum de Trinitate quum loquitur, agnoſcit primum, ex ratione non conſtare, ſed poſtquam revelata à Deo eſt, tutò eà explicari & defendi quoque poſſe. *Hoc nulla unquam hominis ratio, nullum judicium, nullus mentis vigor eſſet per ſe conſequtus, Chriſtus edocuit.* l. II. & mox, *antea quam veritatem eam Chriſtus retegeret, neque veritatis, neque rationum veniſſet ulli unquam hominum in mentem: ſed poſtquam veritatem à cœleſti, ſeu potius magiſtro Deo accepimus, rationes ſe nobis cœperunt oſtendere atque aperire.* Quamvis quas producit, parum nobis probentur. Aliàs eleganter & ingenioſe hominem adducit ad Dei agnitionem, cultum, & beatitudinem in eo quærendam, hinc etiam ad alterius vitæ cogitationem & ſpem. Quippe ad vitam naturalem non tantâ opus mente vel intelligentiâ, quum & animantia eam degant abſque ratione, & inter homines non minus fatui vivant, quam ſapientes, neque minus perfruantur vitæ gaudiis, quin fere vitam hanc ſolam ſi ſpectes, juxta Græci illius effatum, in nihil ſapiendo vita ſit jucundiſſima. Quare in alium finem, & uſum longe præſtantiorem homini datam mentem, neque optime ei futurum, niſi fruatur re optimâ, & quæ implere amplitudinem deſiderii ejus queat, colligit: Nihil autem implere deſiderium ejus poſſe, præterquam ſolum Deum. Ergo in conjunctione cum Deo ſitam eſſe ſummam ejus felicitatem. Cumque conjunctio cum Deo in hac vitâ non poſſit eſſe talis, quâ efficiamur beati, reſtare alteram vitam, in quâ illa ſit, & obtingat homini, hic quouſque vivit, miſero. In cujuſmodi collectionibus & argumentationibus Auctor ſatis eſt felix meo judicio, & perſpicuus

Ludovicus Granatenſis dedit *Catechiſmum*, ſeu introductionem ad Symbolum fidei, in gratiam præcipuè infidelium Ethnicorum: vaſtum opus, nec inelegans, quod ex Hiſpanico in Gallicum tranſtulit Nicolaus Colinus: ad Granatenſem verò pro editione ſuorum operum extat Breve Pontificium, Papæ Gregorii XIII. a. MDLXXXII. Quatuor partibus conſtat

Cate-

Digitized by Google

Catechiſmus, quinta quæ acceſſit poſtea, eſt ferè præcedentium repetitio aliqua, & explanatio: quibus primò de creatione mundi tractat, & creatorem oſtendit Deum: atque integram ferè interjungit phyſicam, & explicationem hexaëmeri; quæ ut alia ſimiliter intermixta, parte ſecundâ (quâ de excellentiâ fidei & Religionis Chriſtianæ diſputat) longa Martyrum hiſtoria, deinde & miraculorum, neque ſatis probatorum, libri molem valde extendunt. Parte tertiâ de myſterio redemptionis, ex naturali lumine oſtendit, quam conveniens tota illius œconomia ſit, non tantum non contra rationem, ſed & cum eâ mirum quam bene conveniens: quod per doctrinam de peccato originali, de hominum redemtione, per incarnationem filii Dei, & ſatisfactionem, multis & acutè declarat. Parte quartâ, de myſterio redemtionis diſſerit ex principio fidei, ſacrâ nimirum Scripturâ, & præcipuè Chriſtum eſſe verum Meſſiam, adverſus Judæos, demonſtrat.

Philippus Mornæus ſcripſit *de Veritate Religionis Chriſtianæ* librum, Gallice primum, tum eundem, inſtigante eodem, qui ſcribendi illius auctor fuerat, Huberto Langueto, in Latinum convertit, adverſus Atheos, Epicureos, Ethnicos, Judæos, Muhammediſtas, & cæteros infideles. Ubi etiam, quod alii, ex ratione confirmat articulum S. Trinitatis: non quidem ex naturali ratione eum inveſtigare, aut probare intendens, ſed ex S. Scripturæ revelatione agnitum ex ratione quoque confirmat, & comprobat. Unde & Trinitatis aliqua in mundo & in homines videtur ſibi deprehendere veſtigia: qualia obſervari poſſe credit, poſtquam aliquis ex Scripturâ de veritate illâ edoctus eſt, atque etiam apud priſcos Philoſophos eadem tradita, quem in finem nonnulla illorum profert teſtimonia, *cap. 6.* Quæ omnia malim præterire. Nam, utcunque ſciam, longe diſtare, ex ratione per ſe probare Trinitatis myſterium velis, vel, ut non quidem prius & ex ſe per rationem, at re ex Scripturis aſſertâ, creditâque, eam quoque confirmare rationibus aliquot ſeu documentis ex naturâ petitis; exiſtimo tamen nec hoc, neque illud commode fieri: quoniam myſterium illud adeo ſupra naturam eſt, & οἰκεῖον ſupranaturalis revelationis, ut in naturâ nullum ejus veſtigium, aut ratione naturali, oſtendas. Nullum in mundo aut naturâ exemplar, utcumque trinum aliquod referens, ita Trinitatem Divinam exprimit, ut non tam poſſit trahi in partem fidei adverſam, quam faventem: adeo vel non fundatur in verâ trinitate aliquâ, quodcunque hic adferri ſolet, vel non in trinâ ſubſiſtentiâ, quin diverſam trium naturam multiplicemque arguat; certe non Trinitatem, cum ſummâ eſ-

ſentiæ ſimplicitate, qualis hic omnino creditur: illorum verò quodcumque etiam ſumas, veritati plus obeſt, quam juvat.

Quid ergo, dices, repugnat naturali rationi, S. Trinitatis fides? minime vero: & hic ratio poteſt oſtendere contra Adverſarios, hanc non repugnantiam potius, quam cum eâ convenientiam: repellere quaſvis falſas in contrarium ratiocinationes, & veritatem fidei & rationis vindicare hac parte licet, quia nimirum verum vero non poteſt eſſe contrarium, non vero ex ratione aut naturâ tamquam principio, diſputare. Diſtingue ergo, aliud eſſe, rem ex ratione *probare*; vel ſi non probes, at oſtenſam aliunde, hinc tamen *confirmare*; vel neque hoc proprie, nec illud, ſed ſimpliciter *defendere* cum ratione, ita ut nihil probationis argumentique hinc petatur, duntaxat adverſus abutentem ratione, & falſo ratiocinantem, oſtendas ejus ſophiſticam, & tuearis veritatem.

Myſterium S. Trinitatis in Deitate, probari ex ratione nequit, neque etiam oſtenſum ex Scripturâ, ratione aliâ præter Scripturam, aut aliquo mundi vel naturæ documento defendi opus habet: ſufficit rationi hoc aſſignemus operis, ut in ſuo ſphæriſterio, ubi & quouſque rationibus contenditur, ratione rationem profliget, aut tutetur; atque ut oſtendat, quomodo non ſit contraria rationi fides. Quare quod ad teſtimonia, quæ ex Philoſophorum & Ethnicorum ſcriptis pro adſtruendâ Trinitatis doctrinâ adferri ſolent; vel ea proferuntur ideo, ut quis probet, ratione philoſophicâ illos indagare & ſcire potuiſſe hanc de Deo veritatem; vel ut ex antiquâ traditione, & tandem ab Hebræis, uti conſtat, atque à multis copiosè probatum, pleraque ſapientiæ, & præſertim Theologiæ Ethnicæ in Ægypto, ex monumentis doctrinæ Moſaicæ fluxiſſe: quorum illud, uti à verò alienum, rejicimus; hoc autem admitti poteſt: videndum verò, ne in omnibus minus certum ſolidumque, & pii affectus potius, vel erga Veteres, quam judicii ſit argumentum, & ſæpe vel non dicta ab illis talia ſint, quibus adſcribuntur; vel non in illum ſenſum, quem alii volunt. At verò non unus Pleſſeus eſt, quin vero vix aliquis ante eum, qui non argumentum illud retineat, pluresque poſt eum, & hodie eandem viam inſiſtunt, qui ſive ex ratione, ſive ex teſtimoniis Gentilium veritatem Trinitatis commonſtratum eunt, noſtro quidem judicio, omninò fruſtra.

Petrus Charron, Gallicè ſcripſit de tribus veritatibus, *Les trois verites*, contra Atheos, Idololatras, Judæos, & Muhammedanos, hæreticos & ſchiſmaticos: quorum facit quinque religiones in mundo præcipuas, *lib.* 2. *cap.* 1. non ſatis bene, uti oſtendit ei Franciſcus Junius, qui libris ejus

con-

Digitized by Google

continuam adjunxit cenſuram, *Confrontation.* Tres illas veritates ponit, quod tenenda ſit religio, quâ unus adoratur, & colitur Deus; adverſus Atheos, & Gentiles: Deinde quod vincit Chriſtiana religio; hactenus bene: ſed cæteras, Judaicam, Muhammedanam, cum Chriſtianâ componere, tamquam ſpecies religionis, nimia eſt ſocordia. Denique ex Chriſtianis, præfert Romanam; & in hujus gratiam quidem potiſſimum ſuos iſtos libros adornavit, cujus defenſioni incumbit prolixiſſime, adverſus Philippi Mornæi tractatum, *de Eccleſia.* Libro primo multis rationibus, adverſus Atheos, probat Deum eſſe, tum naturalibus, ſive externis, ex conſideratione mundi; ſive internis humanis, ex ſenſu & conſenſu hominum; tum ſupernaturalibus, ex Dæmonibus, miraculis, prædictionibus, &c. Deinde providentiam Dei multis argumentis, contra Epicureos: Et libro ſecundo variis probationibus excellentiam oſtendit religionis Chriſtianæ: Sed tertio omninò nugatur, pro Romanâ.

Hugo Grotius, quod argumentum primò linguâ vernaculâ tractarat verſibus Belgicis, proſâ oratione quoque proſequutus eſt libris quinque, de veritate religionis Chriſtianæ, ad Hieronymum Bignonium, quibus de Deo & religione, tum Chriſtianâ diſſerit, & veritate ac auctoritate Novi Teſtamenti: inde adverſus Gentiles primum, deinceps adverſus Judæos, denique Muhammedanos: commendatque Auctores ante ſe qui ſcripſerunt, à Philpſophicâ ſubtilitate Raimundum Sebundum; à Dialogorum varietate Ludovicum Vivem; & maximâ tum eruditione, tum facundiâ Mornæum. Poſtea & Annotationes in ſuperiora edidit ſingulari libro.

Johannes Micrælius, Theologus Stetinenſis, a. cIↄ Iↄ CLI. edidit *Ethnophronium*, contra Gentiles Dialogum, aut Diſputationem, quâ præſertim loquitur, de animæ humanæ immortalitate: neque contra Gentiles modò, ſed & Socinianos. Tum. lib. 2. de Deo, ejuſque unitate, & lib. 3. de verâ religione.

Atque illi ſunt, in Gentiles qui calamum ſtrinxerunt ſive olim, ſive poſteriori & noſtrâ ætate, Græci, Latini, Patres, & Recentiores, quarumcunque linguarum, nationum, & ſectarum, qui pugnarunt cominus, eminus, cum præſentibus, vel præteritis, apertis aut occultis, Gentiliſmi patronis & ſtudioſis.

Alii ſunt, qui non tam *Diſputationem* adornarunt contra Gentiles, quam de iis ſcripſerunt tamen & expoſuerunt *conſilium* vel modum cum iis agendi, de quo ſuo loco etiam loquemur, & ad argumentum hoc non minus ſpectat, quam illa.

Digitized by Google

Quales ſunt, *Joh. Fredericus Lumnius*, in lib. *de Extremo Dei judicio & Indorum vocatione*, ann. cIↄ Iↄ LXVII. ubi oſtendere laborat, & Euangelii prædicationem ad omnes gentes certiſſimum ſignum eſſe adventus Chriſti inſtantis, & Indorum populum poſtremum eſſe qui convertatur ad Chriſtum, ac tum fore finem: neque obſtare Judæorum converſionem, quæ & unà fiet, & brevi admodùm peragetur tempore. Ad quæ non tantum applicat Matth. 24. 14. *& prædicabitur hoc Euangelium regni in toto orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: atque tum veniet finis.* ſed quoque Jeſ. 18. 2. ex Vulgatâ verſione; præter alia Veteris Prophetiæ loca.

Præ omnibus verò legi & commendari meretur Joſephus Acoſta, qui in Americâ inter Peruenſes diu vixit, & operi incubuit, *de procurandâ Indorum ſalute*, libris ſex, Latinè primum, poſtea etiam Hiſpanicè. Qui hoc agit negotium, & ſedulò inſtat, miſſis antiquis & ab uſu hodierno remotis, etiam obviis rebus, quomodo Indi, præſertim Peruani tractari, & quibus rationibus ad fidem Chriſti converti queant. Quæ operi incommodent obſtacula, quæ cavenda ſcandala, quæ vivendi & agendi cum illis optima ſit ratio, exponens. Ut qui poſt ipſum idem tractarunt argumentum, ejus etiam operâ & obſervationibus uſi fuerint atque adjuti. Inter quos eſt *Antonius Poſſevinus*, Biblioth. libro 9. ubi tractat de juvandis Indis. Atque libro decimo, de Japoniis diſſerens, interſerit prolixam dogmatum Japoniorum refutationem. Acoſta autem, in Proœmio, *Immenſum opus exiſteret*, inquit, *ſigillatim de omnibus diſputare*; *operæ pretium duxi, ut barbaris omnibus accommodatius ſcriberem, Peruenſium maxime habere rationem. Idque feci duabus ex cauſis, una quod hæ provinciæ mihi notiores eſſent, ut aliquid certius afferrem: altera, quod hoc Indorum genus veluti medium mihi inter cætera viſum eſt, ex quo facilius veluti extrema judicari queant.*

Acoſtæ adjungo ſcriptorem, hoc in argumento non utilem modò, ſed fere neceſſarium lectu, *Thomam à Jeſu*, Carmelitani Ordinis Monachum, qui etiam illius Acoſtæ tractatum appellat aureum, & omni eruditione plenum. Neque ex Ludovico Vive, quem *fuſe & doctiſſime* hoc argumentum fatetur proſequutum; uti & Hieronymo Savanarolâ, quem *acute & erudite* egiſſe teſtatur, dubitat transferre complura in diſputationem, quam contra Gentiles habet, libro undecimo. Scripſit libros 12. *de procuranda ſalute omnium gentium*, editos Antverpiæ ann. cIↄ Iↄ CXIII. Qui ad argumentum iſtud præter complures Romæ Bibliothecas, præſertim Cardinalis S. Severinæ, qui animarum converſioni à Gregorio XIII. & Clemen-

Digitized by Google

te VIII. præfectus, plurima in hanc rem collegerat, multos inſuper Mſ. codices de Infidelium converſione ad fidem percurriſſe ſe, & optimam inde pro hoc negotio ſelegiſſe methodum, ſcribit in Præfatione. Cujus Cardinalis Catechiſmum Generalem, antea non editum operi ſuo ſubjungit.

Præcipue attendi debet, atque à nobis expendetur ſuo loco, quod habet *lib.* III. de Congregationibus erigendis, & inſtituendis Seminariis, ad propagandam fidem: quorum aliqua in uſu Romæ ſunt, autore imprimis Gregorio XIII. qui magno ære cum alibi, tum in urbe Collegia erexit, Germanicum, Britannicum, Neophytorum, Græcorum, Maronitarum, &c.

Quibus addere licet, ob aliquam argumenti affinitatem, Philippi Rovenii, prætenſi Ultrajectini Epiſcopi, Tractatum *de Miſſionibus ad propagandam fidem*, ann. CIƆ IƆ CXXVI. Qui ſeorſim primò, denique & conjunctim editus unà cum Ejuſdem libris de Republicâ Chriſtianâ. Quamvis non tam ad infideles convertendos, quam hæreticos, uti vocat, in Belgio adeundos, inſtitutus ſit.

Inter Noſtros, unus duntaxat, quod ſciam, argumentum noſtrum tractavit, qui & in Orientali Indiâ aliquamdiu egit, *Juſtus Heurnius*, Joh. fil. in Admonitione *de Legatione Euangelicâ ad Indos capeſſendâ:* cujus exemplari & nos donavit aliquando, vir & doctus & impenſe pius, Eccleſiæ Buranæ, in Diœceſi Ultrajectinâ Paſtor, ubi & obiit: qui nunquam, quod teſtatus aliquoties fuit, ex Indiis fuiſſet reverſus, ſi eam fidem ac promtitudinem apud Politicos rerum moderatores ibi reperiſſet erga ſe, & ſcopum ac munus ſuum, quam negotii pondus poſtulabat. Qui & ejus ſententiæ ſe oſtendit, quod ante mundi finem, Euangelium apud omnes gentes ſit prædicandum, *c.* 1. & quum laborabitur in adducendis ad Chriſtum Gentilium reliquiis, quod tum Judæi, ex Gentilium illorum æmulatione, convertentur quoque, *cap.*4. & pag. 166. ſcribit, *Iſraëlem tum convertendum eſſe, quum plenitudo gentium advenerit; ibique exordium converſionis eorum futurum, ubi adhuc Ethniciſmus dominatur, cujus ſinu decem tribuum reliquiæ foventur.* Hos ſtatuit, cum Gentilium futurâ converſione illuminandos ſacrâ veritate, uti Apoſtolorum ævo prior fuit tribus Jehudâ ad fidem adducta: quin ex converſis Judæis fore, qui reliquis tribubus veritatem aliquando ſint annunciaturi, ſibi colligere videtur ex Hoſ. 6. 11.

Apud Anglos idem oſtenſurum ſe pollicitus quidem in libri titulo, *Imago mundi & regnum Chriſti*, ſive Regnum Lapidis & Montis, & Gentiles

 con-

converſum, ac Judæos reſtitutum iri, *Joh. Yates*; ſed quod titulo illi reſponderit, vel ſe dignum fuerit, nil attulit; ad regimen Eccleſiæ, neſcio quâ occaſione, non delapſus, ſed ſponte ſe accingens per totum librum, & pro Epiſcopis impotenter ſatis diſputans, adverſus Presbyteros, quos honoris ergo Puritanos paſſim appellat.

Nec prætereundus Tractatus Belgicus *Johannis le Maire*, Concionatoris Amſtelodamenſis, qui prodiit ann. cIↄ Iↄ cxl ii. Aſtrum Gentiliſmi ad claram lucem Euangelii: ubi ſub forma Catecheſis Gentilem inſtruit ad amplectendam fidem Chriſti.

CAPUT TERTIUM.

De libris Sibyllinis eorumque autore, & Pœmandro Mercurii Triſmegiſti.

QUia verò ex *Sibyllis*, earumque teſtimonio, multi inter Veteres & recentiores, intrepide argumentantur pro veritate religionis & articulorum fidei, prætereundum non videtur, quid de illis ſtatuere, & num ex iis quoque diſputare debeamus.

Primus inter antiquos Sibyllina adduxit Juſtinus, in Apologiâ, adverſus Gentes: quem ſequuti reliqui, ad eandem quaſi lineam, Athenagoras, Clemens, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, Auguſtinus, alii. Neque aliquid aliud arbitror recentes ad idem faciendum adduxiſſe, quam Veterum exemplum, quodque ex præjudicio alienæ authoritatis ſequi ſolet, ne quidem inſpectis, aut examinatis ipſis Sibyllinorum oraculorum, qui jactabantur, libris. Nuperos dico, Mornæum, Charronum, Ludovicum Vivem, Auguſtinum Steuchum, Joh. Wolfium, Crocium ad Marſilium Ficinum, Antonium Gubertum in Apologetico, Gentiletum, Montacutium, Micrælium; miror verò maxime, non alterius ſententiæ fuiſſe Boxhornium, in Hiſtoriâ univerſali: mitto alios, qui veſtigiis illis inſiſtunt, & Sibyllina argumenta, ceu vera, ceu oracula, adducere ſolent.

Magnus vir Joſephus Scaliger fraudem Sibyllinam ſubolfecit, detexit, caſtigavit, uti aliàs, ita in epiſtolâ ad Caſaubonum, quæ inter epiſtolas ejus eſt lib. ii. epiſt. cxv. *Quid pſeudoſibyllina oracula, quæ Chriſtiani Gentibus objiciebant, quum tamen à Chriſtianorum officinâ prodiiſſent, in Gentium autem Bibliothecis non reperientur?* Hinc jam Caſaubonus, in Exercitationibus ad Baronium, non modo eandem ſibi de ſcriptis Sibyllinis ſenten-

Digitized by Google

tentiam eſſe declarat, verùm & argumentis nonnullis confirmat. Ut, hinc primo, quod contrarium Dei verbo videtur, myſteria fidei, qualia ſunt de Deo uno, & ſacroſancta Trinitate, de Verbo Filio Dei, de Chriſto nato ex virgine, de ipſius Paſſione & cruce &c. Gentibus clarius fuiſſe propoſita, quam Iſraëlitis, peculiari Dei populo, quem ſuâmet ipſius, & Prophetarum voce Deus erudiit. Deinde, quandoquidem ſe Sibyllæ antiquiores Moſe faciunt, ſequeretur, quod longo tempore antequam Lex per Moſem populo Dei tradita, manifeſtata jam fuiſſent religionis arcana Gentilibus, iiſdemque ſæpe verbis, quibus in N. Teſtam. longo adeò tempore poſt fuerunt expreſſa. Tertiò, quod apud Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, & tot alios è Paganis, curioſiſſimos omnium diſciplinarum ſcrutatores, eorum, quæ hodie apud Sibyllas miramur, nullum penitus extet veſtigium. Poſtremò, quod primis Eccleſiæ temporibus extitere quam plurimi, qui facinus palmarium judicabant, cœleſtem veritatem figmentis adjutum ire, quo facilius videlicet nova doctrina à Gentium ſapientibus admitteretur. Ex quo fonte uti manarunt tot libri apocryphi, quantumcunque à priſcis Theologis ſæpiſſime citati, laudatique; ita & libros illos, quos vulgo æſtimant pro Sibyllinis, cenſet. Hæc Caſaubonus. Adverſus quæ nihil prorſus adfert quod quempiam morari poſſit, Andreas ille Eudæmon Johannes, qui Caſaubonum allatravit, non refellit, in *Caſtigat. Exercit. lib.* 1. *cap.* 5. Pſeudepigrapha quoque cenſet Capellus contra Roſweydum, cap. 11.

Nuper argumentum hoc copioſè, eruditè, atque ſolidiſſimè diſcuſſum à celeberrimo viro, Davide Blondello, tractatu Gallico, *des Sibylles*: qui lectu digniſſimus tum propter diffuſam eruditionem, quâ & alia antiquitatis Eccleſiaſticæ ſimul explanantur, tum accuratam ac plenam hujus rei tractationem.

Atque cum eo ſtatuo, non uti Caſaubonus, *multa fuiſſe inſerta carminibus Sibyllinis, ad veritatis Chriſtianæ confirmationem*; ſed totum ſcriptum, quantum eſt, quod quidem hodie extat, & in Eruditorum verſatur manibus, eſſe ſuppoſititium, ſub Sibyllarum nomine ab aliquo, quamvis vetuſto, & Chriſtiano auctore, male conſarcinatum editumque, ex piâ (uti volunt) fraude, pro cauſa Chriſtianæ religionis, quo apud Gentiles, auctoritate oraculorum, quæ ſemper ſummæ venerationis fideique iis fuerunt, potentius commendaretur: ſed conſilio peſſimo; neque enim ulla vel minima falſi ſpecie veritas probari aut perſuaderi amat. Quare nihil commune cum Veteribus Ethnicorum Sibyllis habere noſtras illas, minus eaſdem eſſe, exiſtimo.

Quo-

Digitized by Google

Quo autem integrè de tota re judicetur, non negamus, antiquiſſimas illas & famoſas Veterum, ſeu Romanorum, ſeu aliarum Gentium Sibyllas aliquas extitiſſe, quamvis neſciamus pro certo affirmare, quot, aut quales fuerint; œſtro percitas, & vaticinandi ſpiritu, quali Dæmon ſolet aliquando homines, aut Vates ſuos corripere creditur, ſaltem opinione iſta apud Gentiles valuiſſe: ſed quæ cantarunt, aut dixerunt, medullam & fundamentum ſuperſtitionis ac idololatriæ Ethnicæ continebant, quare ex his petebatur, quis Numinibus cultus, aut ritus vel placandis vel honorandis impendendus eſſet. Unde & ſacri flamines illorum libris aſſervandis & cuſtodiendis præpoſiti, primò Duumviri, poſtea decemviri, denique quindecimviri.

Aliqui putant, unam tantum Sibyllam fuiſſe, ſed quæ à variis variè denominetur, & hinc plura ſortiatur nomina, pro ratione ſcribentium etiam varias regiones. Alii duas, vel tres, vel quatuor, plerique decem faciunt. Ita libros à Sibylla Cumanâ Tarquinio oblatos recenſent alii novem, & bis ternos combuſtos, ſervatis venditiſque eodem precio, quo omnes ante licitata fuerat, ſed riſa repudiataque à Rege, reliquis tribus; alii tres, atque ex iis combuſtos duos, uno ſolo redemto. Quidquid ejus ſit, conſtat, poſt cuſtodita diu Sibyllina carmina in templo Jovis Capitolini, & ſub terrâ quidem in arcâ lapideâ, attamen cum incendio Capitolii, quod evenit anno urbis DCLXXI. abſumta, hinc Legatos à Senatu quaquaverſum miſſos oracula repetitum quæcunque Sibyllinorum uſquam reperirent, eoſque cum ex aliis Italiæ urbibus, Aſiaque, tum potiſſimum ex Erythræâ multos verſus retuliſſe, quibuſlibet promiſcue oblatos deſcriptoſque, ſed qui ſidem ſui ut facere nequiverunt, ita neque accepti habitique eo loco, quo priores libri, fuerunt, quum farrago potius viderentur quorumcunque fatidicorum ſcriptorum, quæ pro Sibyllinis ſe ſupponebant, non ipſa. Unde poſtmodum & cenſura haberi librorum Sibyllinorum cœpit, & multi ceu falſi atque adulterini ex illorum numero ejecti.

Præcipuam de Sibyllis hiſtoriam breviter habet Lactantius, atque ex M. Varrone, quam legere eſt Inſtitutionum ejus libro primo, cap. 6. Ne alios dicam, qui de Sibyllis permulti egerunt, earumque nomina & vaticinia ſummatim expoſuerunt, quales Sixtus Senenſis, in *Bibliotheca, lib.* 11. Poſſevinus, in Bibliothecâ, *lib. de Poëticâ*, & in Apparatu. Et quando Cornelius Tacitus, Annal. lib. 6. Tiberium refert increpaſſe Caninium Gallum Quindecimvirum, quod librum aliquem Sibyllæ ſibi repertum inter cæteros ejuſdem Vatis, non autem eo quo decebat more, recipi po-

ſtu-

ſtulaſſet, dubitat, una, an plures Sibyllæ fuerint. De Auguſto Suetonius, in ejus vitâ, cap. 31. *Quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit: ac ſolos retinuit Sibyllinos: hoc quoque delectu habito: conditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.* Sub arctâ & religioſa ſacerdotum cuſtodia ſervabantur, neque cuiquam illos introſpicere, aut conſulere licebat, niſi ex Senatuſconſulto. Nam inde tum in Republica, tum religione ſcita petebantur, quæ utcumque ſua authoritate confirmabant, aut turbabant & innovabant. M. Tullium Duumvirum, ſcribit Valerius *lib.1.cap.* 1. quod culeo inſutum in mare abjici juſſerit Rex Tarquinius, ideo, quod librum Sibyllinum Petronio Sabino dediſſet deſcribendum. At iſti fuerunt Veteres Sibyllarum libri.

Hodie quos habemus, Chriſtianis viſos lectoſque & olim, & nunc, ii conſtant octo libris, qui & ſeorſim excuſi, & inter Orthodoxographa, atque etiam in Bibliotheca Patrum Tom. 1. edit. Colonienſis, & Tom. 8. Pariſienſis, extant. De Græco hexametro in Latinum hexametrum eos tranſtulit & anno 1546. Baſileæ edidit Sebaſtianus Caſtalio.

Quæritur nunc: Num hi libri octo carminum, ſeu oraculorum Sibyllinorum, ſint antiqui illi Veterum Sibyllarum, apud Gentiles, præcipuè Romanos, tantopere celebratarum, cuſtoditarumque, & θεόπνευστοι, ſive per Dei Spiritum inſpirati, & conſignati? Sunt qui affirmant, iique multi, qui putant, quod apud Iſraëlitas Moſes ac Prophetæ; hoc apud Gentiles fuiſſe Sibyllas: ut nempe hoc pacto Deus etiam Gentilibus veritatem, atque religionem prædicari curarit. Qui negant, pauciores ſunt. Plures his, qui diſtinguunt, & non quidem omnia, aliqua tamen ſuppoſititia cenſent, cæterum multa quoque Veterum Sibyllarum, ſive veræ, ſive falſæ Vates fuerint, oracula noſtris hiſce contineri, illa præſertim, quæ pro fide & veritate religionis Chriſtianæ ex illis à Patribus, aliiſque adducuntur.

Corruptelam ineſſe, utcumque pro earum fide & authoritate cæteroquin ſtat, Poſſevinus quoque agnoſcit, & cum eo alii. Inter Remonſtrantes, Auctor *Gymnaſii Ultrajectini cap.* 61. Joh. Georgius Dorſcheus, Auguſtanæ Confeſſionis Theologus, lib. *de Admirandis Chriſti*, & alii complures.

Nos verò multis adducti rationibus in eam devenimus ſententiam, quæ ſimpliciter negat, libros noſtros Sibyllinos eſſe vel antiquarum Gentilium Sibyllarum, vel θεοπνεύστας: ſtatuimus verò, ſub antiquis Sibyllarum nomi-

O mini-

Digitized by Google

minibus hæc conficta & ſuppoſita à quopiam maleferiato Chriſtianæ profeſſionis homine fuiſſe, ut ſub tali mangonio & ſpecie apud Gentiles, Sibyllinorum ſemper avidiſſimos religioſiſſimoſque, tacite rem Chriſtianam faceret hoc commendatiorem, quod eam in ſuis Archivis clare & prolixe expoſitam reperirent.

Quin olim etiam fraus notata, exprobrataque Chriſtianis, à Gentilibus, fuit: quo minus illis Sibyllinis, uti ſuis, Gentiles acquieverint. Hinc apud Origenem Celſus Chriſtianos per ludibrium Sibylliſtas appellat, *qui Sibyllam vatem putant*, lib. v. & lib. VII. apertius ait, appoſita & afficta Sibyllinis à Chriſtianis eſſe permulta, vel ſub Sibyllarum nominibus edita & commendata: *Dein neſcio quo pacto*, inquit Origines, *hic voluit, ut Sibyllam potius Dei filiam diceremus, quam Jeſum*: *decernens vel hujus ſcriptis adſcripſiſſe nos multa & maledictis referta.* Credo quod in anſam exprobrandi ſumſerit Celſus, de Sibyllâ pro Dei filiâ quaſi habitâ, quod videret Chriſtianos in probandâ cauſâ Chriſti ad Sibyllas, ut vates, quæ de Chriſto tam aperte ſcilicet concionatæ, crebro provocare.

Conſtantinus, in Oratione, ad cœtum Sanctorum, apud Euſebium, lib. ult. de ejus vitâ, ſuper vaticiniis Sibyllarum de Chriſto, addit τὰς πολλὰς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν. Quodque multos dicit illud ſuſpicatos, benè notat Caſaubonus, non de Paganis ſolis accipi debere, ſed etiam de Chriſtianis viris eruditis & judicii limatioris, quibus de fraude ſubolebat. Indeque eſt, quod Auguſtinus, lib. XVIII. de Civit. D. cap. XLVI. ſic loquitur: *niſi forte quis dixerit, illas Prophetias Chriſtianos finxiſſe de Chriſto, quæ Sibyllæ nomine, vel aliorum proferuntur.* Et cap. ſeq. poſtquam fluctuaſſet in ſuo de Sibyllis judicio, *non incongrue creditur fuiſſe & in aliis gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicare impulſi ſunt, ſive participes ejuſdem gratiæ fuerint, ſive expertes, ſive per malos Angelos docti ſint, quos præſentem Chriſtum, quem Judæi non agnoſcebant, ſcimus fuiſſe confeſſos.* ac tandem concludit: *ſed quæcunque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Jeſum gratiâ proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe confictæ.* Rem acu tetigit.

Quapropter haud adeo novum & temerarium videri debet, quod re uberius nunc exploratâ, & veritate, quæ temporis filia non ſine ratione dicitur, in apertum productâ, Sibyllinorum librorum falſitatem aperte arguimus, idque multis & certis argumentis, tum libros iſtos octo Sibyllinos, quos habemus, non continere antiquarum Sibyllarum oracula,

ſive,

ſive, non verè eſſe Sibyllinos, falſoque iſtud nomen præſcribere; tum non eſſe divinæ vel revelationis, vel authoritatis.

Auctores librorum vel carminum horum faciunt ſe Vates, Spiritu Prophetico arreptas, θεοπνεύστους, Sibyllas, eaſque vetuſtiſſimas, quin ipſo Moſe antiquiores, Noachi primam ſobolem, videlicet ejus nurum. In initio libri primi,

Aggredior primo generis mortalis ab ævo,
Uſque ad ſupremum divinè pandere cuncta,
Quæ fuerint mundo, quæ ſint, quæ deinde ſequantur.
Ἀρχεῖς ἐπ' ἐσχατίῃσι προφητεύσω τὰ ἕκαστα,
Ὁππόσα πρὶν γέγονεν, πόσα δ' ἔσσετ', ὁπόσσα δὲ μέλλει
Ἔσσεσθαι κόσμῳ.

Se prophetaturam dicit: quidquid ad mundi uſque finem eventurum ſit. Et in libri ſecundi medio, atque etiam fine:

Verùm jam ſingula pandam,
Quæ mala ſint homines paſſuri quaſque per urbes.

Et libro tertio, atque ita paſſim, agi ſe à Dei Spiritu, & excitari ad promenda vaticinia, ait. Hæc ſe Erythræam nominat & Babylone oriundam quidem, ſed Græcis vaticinantem, Dei ſummi prophetiſſam, Sibyllam, à Noacho prognatam, atque ejus nurum: οἰστρομανῆν, προφητεύουσαν, σίβυλλαν, μαινομένην, Θεοῦ μεγάλην δὲ προφῆτιν. De Noë,

Τοῦ μὲν ἐγὼ νύμφη, καὶ ἀφ' αἵματος αὐτοῦ ἐτύχθην.

Atque libro quarto quæ loquitur, ſimiliter Sibyllam ſe vocat, & audire populum vult,

dicit quæcunque Sibylla,
Veridicas ſancto fundens ex ore loquelas.
σιβύλλης
Ἐξ ὁσίου στόματος φωνὴν προχέοντος ἀληθῆ.

Lib. v. de Cumâ, ubi Sibylla Cumana:

Κύμη δ' ἡ μωρὰ σὺν νάμασι τοῖς θεοπνεύστοις.
Cuma autem demens cum tactis numine Lymphis.

Deum ibidem ait,

Γενετῆρα θεῶν πάντων θεοπνεύστων.

Libro octavo:

Ipſe mihi Deus hæc ſibi decreta omnia dixit,
Perficietque meis quæ ſunt dicta omnia verbis.

Tantum in eo ſitum arbitrabatur quicunque hæc confinxit, ut lectores cre-

crederent illas eſſe θεοπνεύςȣς, ut tam ſæpe hoc repeteret, pluries, quam Prophetæ, qui extra omnem ambiguitatem à ſpiritu divino acti fuere, vel alii ſcriptores ſacri hoc de ſe teſtati fuerunt.

Sed diſtinctè ſingula colligamus, quæ adverſus iſtos ſive libros, ſive auctores aut Sibyllas ſuppetunt falſi plurima argumenta. Primùm ergo non eſſe θεοπνεύςȣς, ita evinco. 1. Quia à ſpiritu actos ſe jactant adeo vehementer, ut extra ſe poſitæ, ſui ultra non fuerint compotes, neque ſenſus ipſis & mens conſtiterit, aut ſciverint, quid proferrent. Quod indicium eſt, non inſpirationis divini ſpiritus, qui non privat Prophetas uſu ſenſuum aut rationis conſueto; ſed documentum raptus maniaci, vel Diabolici, atque ejus, qualem in prophetiis & exſtaſibus Montani hæretici, ſuorumque vetus Eccleſia olim condemnavit. Initio libri ſecundi præfatur:

Corpore tota ſtupens trahor huc, ignara quid ipſa
Eloquar: ipſe ſed hæc mandat Deus omnia fari.

Nunquam autem Deus ſic corripit Vates ſuos, ut mens turbetur. Corripit quidem, ut mens elevetur ad contemplanda cœleſtia & divina, ſed intelligebant ſemper quid agerent, & ſæpe ad objectas vel viſiones, vel Dei effata, dum Spiritus patiebantur inſpirationem, optimè ſui compotes, ad ſingula reſpondebant. Contrarium eſt hominum œſtro furentium, & inſenſatorum, qui à Dæmone turbantur ac rapiuntur extra ſe, & mentis ſenſuumque ſuorum uſum:

Οὗτος μοι μάστιγα διὰ φρενὸς ἤλασεν εἴσω.
Hic mihi verberibus mentem quatit acribus intus.

Uti loquitur noſtra libro quarto. Quare libro tertio Deum precatur, ut paulum temperet à vi, quæ ipſi, dum numine agitata, fiebat.

Ut mihi divino requieta à carmine mens eſt,
Orabam magnum genitorem, vis ut abeſſet.
Sed mihi ſuggeſſit vocem ſub pectora rurſum,
Perque omnes terras præcepit vaticinari.

Unde etiam ſe inſanam μαινομένην habitam ab hominibus, in fine libri teſtatur.

Deinde probo, non divini ſpiritus eſſe noſtra Sibyllina, quia, non ſolum nimis crebro *jactant* divinam inſpirationem, qua concuſſæ fuerint, ſane multo crebrius, & majori cum faſtu, anxiæ videlicet, ne fidem impetrarent, quam unquam hoc egerunt veri Dei Prophetæ: quin & ſibi adſcripſere, quæ nec Vates, neque homo ullus *arrogare* auſit, videlicet rerum fere omnium notitiam, uſque ad numerum hominum, arborum, foliorum, aſtro-

aſtrorum, piſcium, etiam arenarum, quem ſe exploratum habere ſplendide, & craſſe mentiuntur. Quæ libro octavo loquitur:

Οἶδα μοχας γαίης, καὶ τάρταρον ἠερόεντα
Καὶ μερόπων ὄντων τε, καὶ ἐσσομένων, νεκύων τε,
Οἶδ᾽ ἀριθμοὺς ἄστρων, καὶ δένδρεα, καὶ πόσα φῦλλα,
Τετραπόδων νηκτῶν τε καὶ ὀρνίθων πετεινῶν.
Novi ego arenarum numeros, menſumque profundi,
Telluriſque ſinus, tenebroſaque tartara novi,
Quot fuerint homines, quot ſint, quot deinde futuri,
Aſtrorum numeros, ſtirpes frondeſque quot uſquam:
Quot ſint quadrupedes, quot piſces, quotque volucres.

Tertio, quomodo divini illi libri habeantur, qui immiſcent multa profana, & Veteris *idololatriæ* & ſuperſtitionis nomina, ſermonem, ritus, adeoque formam exprimunt? Unde paſſim hic legas multa de Jove, Junone, Marte, Neptuno, Plutone, Erebo, Erinni, Mercurio, Phœbo, Nymphis, Vulcano, Acheronte, campis Elyſiis, de bello Titanum contra Saturnum, lib. 3.

Pugnaruntque inter ſeſe, Saturnus, & ipſe
Titan. at Juno, Telluſque, Venuſque coronis
Gaudens, cum Veſtaque Ceres, pulchraque Dione,
Inter eos litem ſedarunt.

De fatis, & de Parcis lib. 5.

Tu quoque deplora tua triſtia fata Corinthe:
Nam cum te geminæ volvendo ſtamine Parcæ
Nentes deducent fallaciter aufugientem.

Quarto, *falſa* quoque nonnulla continent contra Theologiam, & religioni Chriſtianæ adverſa. Libro primo faciunt Deum authorem mali:

Poſtremò longè pejorem condidit, atque
Planè illaudatam ſtirpem Deus, atque malorum
Artificem, multò illis intolerabiliorem:
Scilicet horrendos, fantes infanda, gigantes.

Libro ſecundo ponunt reditum Eliæ Thisbitæ in mundum: quod Angeli Uriel, Saniel, & Azaël,

Quæ mala quiſque hominum patraverit ante ſcientes,
E terris animas tenebris caliginis omnes
Judicio ſiſtent.

Porro & igneo flumine tempore Judicii, quod omnes ingredi debent,

 quo-

quoque alii purgabuntur, alii diſcruciabuntur, igne primùm, tum rota flammea, & quod

Ter tantum ſolvent, quantum fecere malorum.

Blondellus inter alia, quatuor dogmata, ſeu errores capitales notat librorum Sibyllinorum. 1. deſcenſum & detentionem omnium animarum in *inferno*, ad diem reſurrectionis. 2. mundi ultimo die combuſtionem, quam ceu *Purgatorium* faciunt animabus & corporibus Sanctorum. 3. conſervationem *Paradiſi* terreſtris, ut loci, in quo ſancti poſt reſurrectionem ſe ſint oblectaturi. 4. Regnum temporale à Chriſto in hoc mundo erigendum *mille annis* ante diem judicii. De quibus, ut & de iis, quæ inde ſequuntur, oratione pro mortuis, Purgatorio, &c. eruditiſſimè ibidem diſſerit.

Quinto, etiam *futilia*, abſurda, inepta multa referunt, certe ſpiritu divino, quin humana ſapientia, & commendatione indigna. Libro primo Ἅδην ita appellatum, quia eò primus deſcenderit Adam; libro ſecundo,

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet
Ortus, occaſus, auſtrum, boreamque rigentem.

Quaſi in Hebræo, uti in Græco, ad cujus litteras hic attenditur, eſſet tetragrammaton אדם Libro tertio Homerus notatur, quaſi ſua ex oraculis Sibyllinis furatus:

Hic res Iliacas ſcribet non ſicut habebunt,
Sed clare, verbiſque meis utendo, modiſque,
Primus enim volvet librorum ſcripta meorum.
Iſque vel in primis ornabit belligerantes,
Hectora Priamiden, & Achillea Peliona.

Adde quæ Blondellus collegit *lib.* 1. *cap.* 3. *de Sibyllis.*

Atque illa ſatis ſuperque oſtendunt, non eſſe ſcripta Sibyllina θεόπνευςα, detrahendamque iis ſpecioſam iſtam veſtem eſſe, qua imponunt, dum pro divino ſcripto, quod inſpirationis atque authoritatis ſupra humanam ſit, veneunt, & commendantur.

Secundo loco facile eſt oſtendere, neque eſſe illa eadem cum antiquis Sibyllarum oraculis, quorum Gentiles adeo religioſi cuſtodes, cultoreſque fuerunt. Ibi authoritatem, hic etiam *antiquitatem* Sibyllarum explodimus. Non ſunt hæ noſtræ adeo antiquæ, ac ſe faciunt, non Ethnicæ Veteres, tantopere omnibus celebratæ. Fuiſſe aliquid ejuſmodi Vatum, at neu-

neutiquam à Dei ſpiritu actarum, ſed vel à Dæmone, vel à mentis ſuæ phreneſi, non omnino negamus, incerta quamvis valde ſit de illis hiſtoria: verùm quæ habemus carmina Sibyllina, antiqua illa eſſe, quæ Ethnicis ſacra fuerunt, nemo opinor, qui iſta legerit, & vel leviter modò examinarit, in animum inducere poterit, ut ſtatuat. Nempe ſi perpenderimus:

I. Sibyllinos Noſtros libros ex manifeſta æmulatione complecti ſummam hiſtoriæ tum Veteris, tum N. Teſtamenti. Quorum illud iis non videtur convenire, quia ſub V. Teſtamento erat ea Judæorum prærogativa, & περισσὸν ſuper alias nationes, quod illis erant credita Dei eloquia. Rom. 3. 2. Quod Jacobo verba, & Iſraëli ſtatuta ſua ſignificabat Deus, non ita alteri cuiquam genti, Pſalm. CXLVII. 19. 20. Non etiam N. T. hiſtoria illis convenit, quia ſic ſaltem ſequitur, non illius antiquitatis eſſe ſcripta hæc Sibyllina, ut ante Moſem, & à Noachi nuru fuerint edita.

Primus Sibyllinorum noſtrorum liber hiſtoriam ſacram perſequitur uſque ad deſtructionem Jeruſalem: ſecundus commentatur diatypoſim extremi judicii, ex Matth. 25. Reliqui ferè repetunt eadem, vel magis explicant, & variis commentis nugiſque interpolant. Plurima vel citantur ex Scriptura S. vel etiam retinent verba cum illâ eadem. Quale illud quod libro tertio legitur, & convenit cum Jeſa. XI.

Cumque lupis agni &c.

Græca omitto, quo conſulam brevitati. Lib. 8. citatur Geneſ. 1. 29.

Sic ait omnipotens: faciamus imagine, fili.

Loquitur de creando homine; atque ad locum quidem illum Scripturæ ſatis manifeſtè reſpicit, ſed vana metaphraſi pervertit: Idemque poſt iterum repetitur:

Condamus hominem proprium, noſtræque figuræ
Perſimilem, atque auram vitalem demus habere.

Atque in fine libri, refertur reſponſum Angeli ad Mariam, partum virgineum obſtupeſcentem:

mira eſt mortalibus hæc res:
Sed res nulla Deo patri natoque ſtupenda.

Tum quæſitum repertumque à Magis puerum Jeſum:

Divinamque Magi ſtellam coluere recentem.
Monſtratuſque Dei præcepta ſequentibus infans
Eſt in præſepi, quem faſcia circuit.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus ſatis apparet, non ante, ſed poſt Scripturam editos Sibyllinos illos libros eſſe, atque ex ea deſumtos.

II. Quin dogmata & myſteria religionis noſtræ etiam difficillima, *apertius* atque explicatius in libris Sibyllinis continentur, quam in Propheticis Vet. Teſtamenti: quod nemo credet Deum voluiſſe, ut Gentilibus, & per fœminas ejuſmodi fatidicas, ſacra veritas, quæ à ſeculis multis dicitur abſcondita fuiſſe in Novo Teſtamento, certius ampliuſque fuiſſet propoſita, quam ſuo populo, quam fidelibus & piis, quamque ipſis adeo Patriarchis ac Prophetis. Sane quidquid eſt vel Chriſti, de utrâque ejus naturâ, incarnatione, paſſione, vel de Deo, & SS. Trinitate, vel de totâ N. T. hiſtoriâ, longe clarius hoc exponitur & docetur in ſcriptis Sibyllinis, quam Propheticis: neque Apoſtoli ipſi tam exploratam & diſtinctam ſemper & initio habuerunt cognitionem omnium de Chriſto, quam libri produnt Sibyllini. Quod nemo ita ſe habuiſſe ſtatuet; vel Sibyllas Prophetis præferendas, atque Apoſtolis.

De Johannis præcurſoris Chriſti Baptiſmo, & doctrinâ, de ſingulis Chriſti miraculis, quod

Placabit fluctus: in deſertiſque locorum,
Largè panibus ex quinis, & piſce marino,
Millia quinque virûm ſatiabit, relliquiæque
Bis ſenos cophinos implebunt virginis almæ.

Non hæc ſciverunt Prophetæ Veteris Teſtamenti, ac Sibylla ea, quæ fingitur loqui *lib.* 1. Uti neque Apoſtoli, antequam evenirent, quæ de paſſione, & morte, & reſurrectione, atque adſcenſione Chriſti porrò fatur:

Sed manibus paſſis cum menſus cuncta, coronam
De ſpinis tulerit, nec non latus ejus arundo
Fixerit acta manu, cujus cauſa tribus horis
Nox tenebroſa die medio, monſtroſaque fiet:
Tunc hominum generi magnum Solomonia ſignum
Templa dabunt, Ditis cum tecta profunda ſubibit,
Nunciet in vitam reditum quo morte peremptis.
Sed poſtquam triduo lucem repetiverit, atque
Monſtrarit ſomnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illuſtrarit, cæleſtia tecta ſubibit
Nubibus invectus, cum lætum liquerit orbi
Pactum Euangelii.

Et

Et libro octavo:

Contundent alapis palmæ (proh crimina) divum.
Felle fames ejus, ſitis illudetur aceto.
Hanc apponet ei gens ſcilicet hoſpita menſam.
Scindetur templi velum, mediùmque diei
Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis.

Quis jam ultra aſſerat illa apud Gentiles Sibyllam prædixiſſe, & tanto quidem tempore, antequam evenerint, neque potius ex Euangelicâ hiſtoriâ deſcripta eſſe? Mitto, quæ de nomine Dei tetraſyllabo habet, *libro primo*; aliaque.

III. Uti Judæis, & dignitati gentis illius adverſum eſt, quod ante tempora N. Teſtamenti Deus Gentilibus, non modò æque ac illis, ſed & ſupra eos revelaſſet fidei & religionis myſteria; ita nec convenit cum illo *Gentilium ſtatu*, qualem eorum fuiſſe Scriptura declarat, quando de Gentilibus, ante tempus Euangelii, loquitur, quod ſine Deo, & exſortes teſtamentorum promiſſionis fuerunt in mundo, Eph. 2. 12. quodque illos Deus in præcedentibus ſeculis ſivit ſuis ipſorum viis incedere, Actor. 14. verſ. 16.

IV. Hoc etiam fidem librorum Sibyllinorum convellit, quod *vaticinari* volunt de rebus pluribus, & ſignificantius evidentiuſque, quam Scriptura ipſa: quo non ſolum ſuos homines, quibus indultæ videlicet ejuſmodi Sibyllæ ſint, digniores Iſraëlitis facit Sibyllinorum auctor, atque multam partem Chriſti diſcipulis, prout dictum, verùm & libros ſuos divinis V. Novique Teſtamenti ſcriptis doceret anteferendos. Hic de Byzantio, Galliâ,

Gallia, difficiles quæ montibus accolis Alpes.

de Phrygiâ, Laodiceâ, Corintho, multiſque aliis Aſiæ urbibus varia eructat, de quibus nulla in S. Scripturâ mentio eſt vel veſtigium. Aliquoties hoc repetit de Samo, Delo, & Româ vaticinium:

Ἔσται καὶ σάμος ἄμμος, ἐσεῖται δῆλος ἄδηλος,
Καὶ ῥώμη ῥύμη.

Nempe *libro* 3. & *lib.* 8. paulò inverſum: aliis iterum verbis *lib.* 4. Denique Romanorum Imperatorum aliquos fere de nomine deſignat, *lib.* 8.

V. Hactenus ex conſideratione Scripturæ petitis argumentis evicimus, libros noſtros Sibyllinos, nec divinos eſſe, nec Gentilibus traditos: oſtendemus porro, antiquas Gentilium Sibyllas neutiquam cum noſtris conve-

pire, neque noſtras cum illis: ut fruſtra credas, Sibyllina noſtra oracula eſſe ea ipſa, quæ Gentilitas ſuſpexit.

Ac primò quidem ex *materia* & argumento librorum Sibyllinorum utrorumque, Veterum inter Gentiles, noſtrorum inter Chriſtianos, vel quatenus ex inſpectis noſtris, & ex Antiquorum de ſuis commemoratione, aut citatis ab Antiquis Sibyllarum, atque apud noſtras non occurrentibus, & viciſſim ignoratis illic iis, quæ in noſtris leguntur, concludere licet, non eoſdem utrorumque eſſe libros. Antiqui Sibyllarum, ſive apud Romanos, ſive apud alias gentes, libri, nil niſi promtuarium fuerunt ipſorum ſuperſtitionis & idololatriæ, nil continuerunt præter effata Dæmonum, de nominibus, ritibus, & cultu numinum, vel ſi quid ex ipſorum placito in Rep. cum ſuperſtitione novandum aut firmandum erat, ſi placandus Deus aliquis, ſi mactanda ei etiam ex humanis hoſtia, ſi inſtituenda ſupplicatio, aut quod offerendum ſacrificium, aliudve quod religionem eorum concernebat, ex Sibyllinis petebatur, *ſecreta civilium ſacrorum* continentibus, inquit Valerius Maximus. His præerant ſacerdotes, nihilque adeo illa, quam ipſorum religio, quæ etiam ab illis trahebat vim, commendabat. Tacitus, lib. 15. Annal. *Mox petita à Diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano & Cereri Proſerpinæque.* Apparet, quorſum fecerint libri Sibyllini, quid argumenti continuerint, quid docuerint introſpecti. Aulus Gellius, lib. 1. cap. 19. Noct. Attic. de libris Sibyllinis Tarquinio oblatis: *libri tres in ſacrarium conditi, Sibyllini appellati. Ad eos quaſi ad oraculum Quindecemviri adeunt, cum Dii immortales publice conſulendi ſunt.*

Jam verò noſtri Sibyllini, quos volvimus, legimus, examinamus, nihil minus continent, quam iſta: idolorum Gentilium quidem ſubinde nomina & numina commemorant & idololatrica nonnulla, non autem ea docent, nedum fœda, aut ſuperſtitioſa, & ſacrilega vel immania illa, quæ veterum Romanorum oracula nonnunquam præſcribebant. Imò noſtros libros ſi conſuluiſſent unquam Romani, aliique Gentilium, nihil prius in iis deprehendiſſent, quam condemnatam ſuam idololatriam, & proſtituta Numina, eorumque ſimulacra. Eum enim in finem unice ſcriptos apparet, uti Gentilium idololatriam atque errores confunderent. Ipſum horum initium eſt, vel introductio: Εἷς Θεὸς &c. *Unus Deus*: cui attribuitur rerum omnium creatio, libro tertio:

Fœdis ſerviſtis ſimulacris, &c.

Poſt:

Tot-

Tot ſimulacra deûm ſtatuentes luce carentum,
Ex quibus effectum eſt ut tam ſapiatis inane.

Eodem libro iterum:

At nos æterna errantes à lege Tonantis,
Morte caducorum ſtatuas, & ſigna virorum,
Numina facta manus, fatui ornabamus honore.

Libro quinto:

Quoque Deo lapides & ficta animalia multa
Relligione colunt.

Atque ſimiliter libro ſeptimo, & octavo, non uno in loco.

Huc accedit, quod ſi audiamus illa, quæ Veteres Philoſophi, aut Scriptores ex Sibyllis ſuis adducunt, apud noſtras non legantur; iterum, quæ in noſtris, & quæ quidem potiſſima ſunt, antiquis nuſquam lecta aut viſa fuiſſe. Argumento, quod longe diverſi utrorumque libri ſint, Sibyllini Veteres, à noſtris; illi Ethnici, noſtri Chriſtiani.

Quare neque ſententiæ Hugonis Grotii, viri cæteroquin ſummi, adſtipulari queo, exiſtimantis Annot. in Evang. Matth. 11. 1. *Sibyllina oracula, non quidem nova illa, quæ citant Chriſtiani, ſed vetera Romæ à* XV. *viris aſſervata, nihil aliud fuiſſe, quam verſus Græcos Judæorum.* Atque ex illis deſumtum, quod Cicero recitat, opus eſſe, ut ſi ſalvi eſſe vellent, eum qui Rex eſſet Regem agnoſcerent; itemque Virgilii Idyllium quartum, novi cujuſdam regni pollicitationem continens. Ad quæ nihil adferre neceſſe eſt, præter ea quæ Blondellus reſpondet, aliique ante ipſum dixerunt, non ad Meſſiam poſſe vel debere applicari, quæ Virgilius hîc, aut Cicero ibi memorant. Illud autem, Sibyllina oracula verſus videri Judæorum, iſto argumento revinco, quod non Judaicam religionem, ſed ſuperſtitioſam Gentilium idololatriam, & quæ maximè quidem Judaicæ contraria erant ſeu dogmata, ſeu Numina, commendabant. Quare nec à Judæis petita, nec cum Chriſtianis, ut Sibyllina hodie, convenientia ullo pacto fuiſſe, credendum eſt.

II. Antiqua Sibyllarum carmina & libri jam olim *perierunt*, quando non ſemel, ſed variis vicibus Capitolium, vel locus, ubi aſſervabantur, conflagravit. Non ergo hæc noſtra, illa ſunt. *Poſt exuſtum ſociali bello Capitolium*, inquit Tacitus, quæſita fuere Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, & Italicas regiones. Deinde iterum ſub Nerone: denique ſub Honorio, quidquid ultra Sibyllarum ſuperſtes videri poterat,

 nomi-

Digitized by Google

nominis plus, in ſpeciem, quam rei, concrematum à Stilicone fuit.

Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

Nec illæſa tot incendiis Sibyllina fuerunt, nec ſervata Gentilibus, minus Chriſtianis. Qui unde illa fuiſſent nacti?

III. Linguæ *Græcæ* uſus non ita antiquus, ut à Noachi tempore, ejus nurus Sibylla, non Græce tantum, ſed carmine quoque oracula ſua cantaſſet, atque celebraſſet.

IV. Neque tam vetuſta *ſignorum cæleſtium* nomenclatura, quæ in Sibyllinis occurrit, *lib.* v. Leo, Capricornus, Taurus, Orion, Virgo, Aries, Draco, Piſces, Cancer, &c. neque proverbium illud,

Μὴ κίνε καμαρίνην.

Ne move camarinam, immota enim melior.

Legitur autem *lib.* III. Quod unde ſumtum, vide apud Eraſmum, in Adagiis. Uti etiam quod *Sardonium riſum* dicunt, *lib.* I. De quo ſimiliter conſulendus Eraſmus.

Denique, quum tam arctâ & religiosâ cuſtodiâ à Quindecimviris cuſtodita ſemper fuerint apud Gentiles Sibyllina oracula, unde quæſo in Chriſtianorum manus tam facile deveniſſent, ne ipſis quidem Gentilibus, vixque eorum Sacerdotibus Quindecimviris nota? vel quomodo non illud tempus ſignatum fuiſſet in Annalibus, vel à Gentilibus, vel à Chriſtianis, quo tanti ſcilicet theſauri poſſeſſione deturbati Gentiles, iſtum Chriſtianis liquiſſent? Hæc, aliaque quæ adferri præterea poſſunt, atque ab aliis adferuntur, confirmant, non eſſe hos Sibyllinos libros illos, quos Gentilis antiquitas habuit, & ſuperſtitioſe venerata fuit, falſoque Sibyllas illas jactari iſtorum Auctores.

Quid, dices, ergò de libris illis ſtatuendum, quod feceris judicium? ſane non ſunt Θεόπνευστοι, non divinæ revelationis, vel auctoritatis, non Gentilium Sibyllini, non antiquitatis illius priſcæ à mundi primordio, quæ omnia ſibi fruſtra arrogant: ſed, primò ſcripti poſt tempora Chriſti, & conſignati Evangelii, adeo argumentum & ſummarium Scripturæ Vet. ac Novi Teſtamenti æmulantur ſatis manifeſtè. Vaticinantur quidem, at de illis, quorum notitiam ex ſacris habent, aut quæ primum, vel poſtremum Chriſti adventum ſpectant, de rebus intermediis, vel quæ extra Scripturam ſunt, parcè loquuntur, vel conjecturantur; denique quiſquis, *Chriſtianus* Auctor librorum iſtorum fuit: nam converſionem ſuam prædicat *lib.* III. verſibus etiam ſuprà notatis:

At nos æternâ errantes à lege Tonantis, &c.

Ex-

Expreſſiſſimè in fine octavi libri, ſe Chriſtianam religione fatetur:

Nos igitur ſancta Chriſti de ſtirpe creati
Cæleſti, nomen retinemus proximitatis,
Lætitiæ memorem ſervantes relligionem.

Libro ſecundo loquitur de Martyribus, & Virginibus, eorumque præmio cœleſti, à Chriſto illis dando:

Ornabitque probos, æternaque præmia reddet
Teſtibus, ad mortis certamen euntibus uſque.
Virgineis vero, qui pulchre currere pergent,
Æternum munus dabit.

Scriptum fateor vetuſtum quidem, viſum lectumque primis ævi Chriſtiani Theologis, probatumque imprudenter, nempe Juſtino, Athenagoræ, Clementi, Tertulliano, Lactantio, aliis: ſed ne cui hoc ſupra modum mirum videatur, ſciendum, illis & Theologis & temporibus non ſemel ita impoſitum fuiſſe falſis & commentitiis, in re videlicet Chriſtianâ, ſcriptis. Cujuſmodi genii & ſtyli fuerunt ſcripta illa apocrypha, Abgari, Regis Edeſſeni epiſtola ad Chriſtum, & Chriſti ad eundem; Euangelia Jacobi, Nicodemi, Epiſtola Lentuli, Pontii Pilati de Chriſto, Pauli & Senecæ, de quibus alibi diximus, ejuſque commatis plurima.

Atque eodem conſilio aliquis, quiſquis tandem fuerit, cogitans quantæ auctoritatis apud Paganos fuiſſent Sibyllæ, & quomodo revinci ſæpe nollent erroris ſui Gentiles, niſi in ipſorum archivis oſtenſo Euangelio, quantumque roboris haberet in diſputatione cum iis, quæ continua erat, prolatum ad hominem argumentum ex propriis ipſorum ſcriptis, & religione, commentus libros Sibyllinos fuit, mentitus à Sibyllis profectos, quibus Chriſtum, & veritatem Chriſtianæ religionis aſtruxit, & Gentilium condemnavit errores, idolaque.

Difficile fuerit, in tantâ Apocryphorum copiâ, quis iſtorum Sibyllinorum forte auctor haberi poſſit, augurari. Familiam ejus aut ſectam, cujus fuerit, credo deprehendemus; ſed an ipſum quoque Auctorem, valde ambigo.

Ex Gnoſticorum hæreſi fuiſſe, ex duobus præcipue conjicitur: tum quod hujus mentionem facit, quæ ſe fingit Sibyllam, lib. 3. *καὶ γνωςοῖο πατρὸς φήσουσι σίβυλλαν*: *me dicent Patre Gnoſto Sibyllam.* tum quod ſibi arrogat tantam rerum omnium ſcientiam, quantam cuiquam, præterquam Deo, tribuere nefas eſt, omnium ſtellarum, arborum, piſcium, arenarum, & quidquid futurum eſt. Quæ ipſiſſima κρῖσις eſt Gnoſticorum,

à vanâ, & arroganti rerum omnium, præcipue divinarum cognitione, ſic appellatorum.

Cum quibus, ut paria facientes, conjungendi Millenarii, ſeu Chiliaſtæ, cujus ſectæ in Veteri Eccleſiâ plurimi fuerunt, & non exiguus promotor, quiſquis fuerit, Sibyllinorum auctor. Origenes, lib. 5. contra Celſum, eo loco, quo Celſo reſpondet Chriſtianos appellanti Sibylliſtas, & varias illorum ſectas objicienti, Gnoſticos memorat: *ſint*, inquit, *qui ſe Gnoſticos, id eſt, cognitores promittant.* Magnus Blondellus deſignat duos, quibus, vel alterutri, fœtum hunc, ex multâ, magnâque ſuſpicione adjudicat: *Hermam* quidem primùm, qui frater Pii, Rom. Pontificis fuerit, atque obiit a. CL. & celebris fuit ſcripto, quod *Paſtorem* inſcripſit, & publice quidem in Eccleſia legi, atque à Patribus paſſim citari ſolebat, quo de alibi, ubi *de Theologiâ Patrum*, diximus. Qui *lib.* I. *viſione* II. (adeo inſtitutum Hermæ convenit cum Sibyllinis & argumento, quod viſionibus occupatur, & Auctore) anum, quæ ſibi in viſione multa revelârat, tradideratque libellum, monita quædam pœnitentiæ continentem, populo tradendum, putavit Sibyllam fuiſſe.

Hermæ iſtum librum, qui paſtor appellatur, ut hæc addam, ſuo tempore adhuc ignotum pene Latinis fuiſſe, auctor eſt Hieronymus, in Catalogo, utut tantæ apud Græcos celebritatis, ut non modò multi Veterum Scriptorum ex eo paſſim teſtimonia adducerent, ſed quoque in Græciæ Eccleſiis publicè legeretur. Clemens Alex. ſæpius. Libro Stromatum, ſive Centonum primo: *Paſtor quoque Angelus pœnitentiæ, ad Hermetem, de Pſeudo-Propheta &c.* Origenes cautè, homil. VIII. in Numer. *Quod autem dies peccati in annum pœnæ reputetur, non ſolum in hoc libro, in quo nihil omnino eſt quod dubitari poſſit, oſtenditur, ſed in libello Paſtoris, ſi cui tamen Scriptura illa recipienda videtur.* Citat nihilominus & alibi eundem Paſtoris librum, homil. X. in Jeſum Navæ. in Matth. homil. XXX. & XXXI. Peri archon. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 1. lib. 4. cap. 2. *Quod nos etiam in libello Paſtoris, qui à nonnullis contemni videtur, deſignatum videmus.* Unde quoque in Philocaliis, quæ tabularum inſtar ex Scriptis Origenis collegerunt duo ejus ſtudioſiſſimi Nazianzenus, atque Baſilius, adfertur, cap. 8. Athanaſio citatur, lib. de incarnat. verbi. *ille quoque Paſtoris perquam ſane utilis liber.* Tertullianus, inter Apocrypha aperte collocat, in libro de Pudicit. *Sed cederem tibi, ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter apocrypha & falſa judicaretur, adultera & ipſa, & inde patrona ſociorum.*

Digitized by Google

rum. Atque eodem libro poſtea iterum *apocryphum* Paſtorem appellat. Communi inde ſententiâ pro apocrypho damnatus liber fuit: etiam in Eccleſiâ Romanâ, à Papâ Gelaſio. Utcunque Stapletonus dicat, quod ſi præſens Eccleſia illum in canonem S. Scripturæ referret, pro canonico, æque ac epiſtola Jacobi, haberi deberet. Nempe liber, in quo multa noxia, fatente quoque Bellarmino; & qui hæreſibus & fabulis oppletus eſt, uti ait Johannes Mariæ, Magiſter Palatii, in librorum horum Cenſurâ, quæ eſt in Bibl. Patrum, poterit à Papâ, ſiquidem ei lubitum, transformari facile in divinum & canonicum.

Alterum conjicit Auctorem Sibyllinorum Blondellus *Montanum*, Prophetiis & exſtaſibus celebrem, à quo Montaniſtæ. Phrygius ille erat, & in laudem ac commemorationem Phrygiæ gentis, ſupra alias, creber eſt pſeudo-Sibyllinorum Auctor.

Forte nec *Papias*, Hierapolitanæ in Aſiâ Eccleſiæ epiſcopus omittendus erit, qui Johannis Apoſtoli auditor, præcipuus opinionis chiliaſticæ patronus fuiſſe & auctor perhibetur; quemque Hieronymus, præter quinque volumina Explanationum ſermonum Domini, edidiſſe, ait, mille annorum Judaicam δευτέρωσιν. Quidquid de Auctore Sibyllinorum ſit, utut incertus ſit, ipſos verè ſuppoſitios eſſe, equidem non ultrà incertum arbitror.

Haud aliter quam de Sibyllis, judicandum quoque de *Mercurio Triſmegiſto*, cujus hodie extant libri, & ex quibus, contra Gentes diſputaturi, plura nonnunquam adferunt Theologi, ſeu Veteres, ſeu recentes, præcipue ex libro, qui *Pœmander* inſcribitur. Græce ſcriptus, in Latinum à Franciſco Fluſſate Candalla converſus, & commentariis tricubitalibus oneratus eſt ab Hannibale Roſſelo Calabro. Qui neſcio quid non in ſuis commentariis corradat, Theologiam, Philoſophiam omnem, Topographiam, etiam Trajecti meminit *lib.* 5. *comment.* 11. *dial.* 5. & ſe Trajecti, in urbe Epiſcopali, dicit omnes ſacros ordines accepiſſe. adeo multam rerum quarumcunque farraginem huc advocat.

Dicunt, Pœmandrum ab ipſo Mercurio Ægyptiacè primum ſcriptum, atque poſt etiam Græce. At non ex Ægypto verſum, docet ſatis ſermo & ſtylus Græcus, neque hic antiquus valde, ſed communis, & qualis in poſtremis Græcorum ſcriptorum legitur. Nedum ut ante Moſem extiterit, ejuſque ſcripta Pœmander præceſſerit: quod perſuaſum nobis velint ejus mangones, Candalla, in præfat. ad Cæſarem Maximilianum, atque ad Lectorem, & alii. Confer Poſſevinum, in *Apparatu*.

Ne-

Digitized by Google

Nemo vel primum ejus caput leget, ubi de Deo agitur & creatione, Pœmandro (qui Chriſtum opinor deſignat) Mercurium alloquente, & inſtruente, qui non genium Platonicum, & in materiâ, & in ſermone obſervet. Totus eſt Platonicus, niſi quod inſpergat ex S. Scripturis nonnulla, quæ malè imitatur paſſim, & pervertit, præſertim articulum de Trinitate, & Incarnatione.

Suntque valde aliena ab iſtis Mercurii Triſmegiſti libris, quos nominat Clemens *Alex. Stromat. lib.* 6. unum, qui hymnos Deorum continet, tum memorat illorum μοσχοσφαγιστικὰ, hoc eſt, quæ ad ritum mactandorum vitulorum ſpectant, & Βιβλία ἱερατικὰ, libros ſacerdotales, qui de legibus, de Diis, & universâ ſacerdotum diſciplinâ loquuntur. Hæc, ut idololatriam teſtantur manifeſtiſſimam, ita toto cœlo diſcrepant ab hodierno Triſmegiſti Pœmandro.

Videri de Mercurio illo Triſmegiſto,ejuſque Pœmandro judicium Iſaaci Caſauboni debet, in Exercitationibus ad Baronium, 1. Quod & confirmat ibidem argumentis: *Quum*, inquit, *omnes ſcientiæ atque diſciplinæ ab inventione Mercurii Triſmegiſti Ægyptii crederentur profectæ, certatim omnes fere ſcriptores cunctarum ſcientiarum, aut gloriam illius celebrarunt, aut de ejus nomine ſuis ſcriptis gratiam & famam quæſiverunt. Quid igitur miramur, primis illis ſæculis naſcentis Chriſtianiſmi, quum tanta licentia libri falſis titulis inſcripti quotidie fingerentur; extitiſſe aliquem ſacris noſtræ pietatis leviter imbutum, qui hoc ipſum in ſcientiâ Theologiæ, & rebus fidei ſibi putarit tentandum*? Hæc de ſcriptis in Gentiles, ſive antiquis, ſive novis, veris, vel falſis.

CAPUT QUARTUM.

De Deo, quod ſit, quod unus, item qualis & quis.

TEmpus eſt, uti nos ad diſputandum cum Gentilibus atque Indis, quorum antea texuimus hiſtoriam, accingamus. Quod duplici fit modo, vel extemporaneo, uti ſe offert aliquando occaſio; vel deſtinato in hanc rem integro ſcripto, quo ordine ac methodo nunc controverſias illas ſumus tractaturi. Illic ut res tulerit, inde inchoandum, & curandum imprimis, uti ad *humanitatem*, ubi ab ea remotius aberrant, quod faciunt ſylveſtres & maximè barbari, adducantur primò; deinceps ad *fidem*. Quod & Acoſta obſervavit, vel ab alio obſervatum refert, lib. 3. de procurandâ Indo-

Digitized by Google

Indorum ſalute, cap. 19. *Quorum caput eſt omnium, quod quidam rerum Indicarum egregius æſtimator dixit, in barbaris prius eſſe curandum, ut homines eſſe diſcant, deinde ut Chriſtiani.* In tractatione autem præſenti methodicâ & plenâ totius argumenti, quod univerſum nunc animo contemplamur, & formamus, à primario religionis capite ordiendum, qui eſt *Deus*. Et præmiſsâ primùm explicatione, quid eo, quod nominamus Deum, debeat intelligi, videlicet Ens ſupremum, & abſolutè perfectum, probandum, *quod* omnino ſit tale aliquod ens; & quod *unum*; & *qualis* ejus perfectio; denique *quis* Deus? Hinc pergemus ad *mundum*, ejus oſtenſuri *creationem* à Deo, & continuam, quâ ab eo pendet, *gubernationem*: Demum ad *hominem*, & alia.

Fuerunt, qui primò dubitarent, an eſſet Deus: qualis Protagoras, cujus hæc apud Laërtium vox, ὐκ ἔχω εἰδέναι εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς ὐκ εἰσίν; inde, qui impudenti ore palam negare auderent, quales referuntur inprimis Diagoras, & Theodorus Cyrenæus, ἄθεοι proinde appellati: Cicero, de nat. Deor. lib. 1. *dubitare ſe Protagoras; nullos eſſe omnino, Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putaverunt:* adeo non modò periculoſum eſt in hoc negotio dubitare, vel à dubitatione incipere, eamque vel affectare vel fovere quantocunque etiam tempore, ut in apertam negationem proclivis via ſit: non autem ab aliquo totâ mente aſſeri poteſt, haud dico aliquâ rationis ſpecie, Deum non eſſe; quin ab aliis, & propriâ conſcientiâ, modò vel parum vellicetur, turpiſſime ſimul & vividiſſime unà ſit arguendus & convincendus. Namque uti accedentem ad Deum, primò quidem ſcire & credere oportet, quod eſt; ita nihil etiam prius ſciri & probari poteſt illo. Cum negante autem vel dubitante, neque enim cum aliis otioſe ſuper hac re diſputandum exiſtimo, agam quadruplici modo. Primùm *ex Univerſi* attentâ contemplatione, & conſideratione *tot ac tantarum*, tamque decoro & conſtanti *ordine* ſe habentium, ac ubivis ſeſe offerunt, & in terrâ, & in cœlo, ſuprà infrà & circum circà, rerum, quas exiſtere qui neget, fatuum ſe prodit, nec minus & alter, qui id probare ſatagat, neque enim in iſtâ amentiâ ſeriò ſermocinandum arbitror, non ſaltem hactenus de Deo; qui verò & videt eas & agnoſcit, neque tamen vel milleſimam omnium partem, imo ne hæc ipſa quidem quæ uſurpat, quomodo non adſcendet in cognitionem ejus, quem omnia iſta loquuntur, quum ſine aliquâ, ſine ſuâ causâ eſſe non poſſint? Quum enim ſingula quæque teſtentur ſui cauſam, & quo aliqua præſtantiora, hoc etiam præſtantiorem cauſam; non poſſunt non etiam omnia ſimul ſumta cauſam ſui adſtruere, quam appellamus Deum.

Digitized by Google

Secundò jubemus hominem retrogredi ad ſemetipſum, & in propriam intrare *mentem*, cujus vi, & lege, non acceptâ ſed innatâ, non duci ſed trahi & cogi ſe, ſiquidem verum proferre non dubitet, experietur ad Deum, non agnoſcendum modò, ſed venerandum. Mentem ſibi deeſſe non dicet, quia hoc ipſo quod id diceret, eam teſtaretur, & mentis ſaltem eſt dementem ſe fateri, neque diſſimulare vim iſtam animi poteſt quis in agnoſcendo aliquo ſupra ſe Deo. Ne Dicam, quod ſe ab alio pendere, & non à ſe exiſtere, negare haud poſſit, & idem de parentibus verum quoque ſit; proprius animus Deum ſe majorem non poteſt non ſentire & metuere. Nobis vel corpori metus ſit à corpore, aut ab aliis rebus ſive hominibus, mens ſibi nec à proprio corpore metuit, quantum ad ſe; reformidat tamen aliquid ſupra ſe, ſe majus, id eſt, & ſapientiâ omni pollens & potentiâ, id quod nihil aliud eſt quam Deus. Et hæc vis in animo eſt conſcientiæ, ſynteresim dicunt, quâ non ſe magis cogitur homo noſſe, quam Deum ſuum, ſi vel nullus obveniret hoc monens extrinſecus præceptor: ubi verò & dici ac doceri audit Deum, non prius explicati ſunt termini, quid velint, quin aſſenſum impetrent in animo. Uti ſi exponas ei, quid & quis ſit proximus, qui parens, ſtatim ſponte novit, eſſe diligendos. Ex conſcientiâ videlicet juſti & æqui naturali. Et hoc uti non cognoſcitur, niſi in ordine ad legem, ſic neque poteſt niſi reſpectu habito ad Legiſlatorem.

Quare ſi quæras penitius, quid illa vis animi & mentis rationalis ſit, quâ cognoſco vel ſolâ naturâ duce, eſſe Deum? explica mihi vim iſtam, quâ rectum & juſtum cognoſco, non alio etiam monitore adhibito, & diligendum eſſe proximum, parentem, principem; eadem eſt vis, lex eadem, quâ ſcio honorandum eſſe Deum, ubi ad ætatem atque uſum rationis pervenero, quando ſcire incipio quid ſit proximus, parens, princeps; ſimiliter & quid ſit Deus. Neque enim vel iſtorum ſpecies innatæ homini, uti neque rerum aliarum; quas & naturæ inſtinctu cognoſcimus eſſe veras; vel eorum actualis notitia homini adeſt, à prima inde conceptione; vel, quod alii, actualis fides eſt in infantibus: ſed quæ naturæ ſunt, vel naturaliter cognoſcuntur, explicante ſuo tempore ſe potentiâ rationali, tum ſua claritate ita ſe ingerunt animis, tum mens tali naturâ ab ortu eſt inſtructa, & lege, ut ignorare illa nequeat, ſed prono impetu in iſta fertur, & agnoſcenda & complectenda, utpote in primâ creatione ſibi inſtillata & impreſſa, quorum neque prorſus interierunt vel exſtinctæ ſunt omnes reliquiæ.

Quare

Digitized by Google

Quare vis illa naturalis cognoſcendi Deum, in animâ ſive in conſcientiâ non eſt ſimplex *facultas* intelligendi, quâ quævis alia intelligimus, quorum nobis notitia nequit dici innata, uti Dei: neque *actualis* cognitio, quæ, uti nec rerum aliarum, mox ab homine nato, in ipſo adeſt, & qualis, præſertim Dei, dari nequit, ſine ſui ſenſu, indicatione, recordatione, quæ cum Dei cognitione ſemper jungitur, & ejuſdem quoque cultu: neque *ſpecies* aliqua Dei, utpote qui ſpeciem ſui nec habet, nec habere poteſt, quare neque facit, neque facere ejus ullam, aut imaginari, aut aſſerere nobis licet. Ratio eſt, Dei infinitas. Cujus qualiſcunque illa foret ſpecies, eſſet in ſe vel finita, vel infinita: ſi finita, Deum non repræſentaret, neque ejus eſſet quod dicitur ſpecies: quod ſi in ſe infinita, jam duo erunt ſaltem infinita, imo plura, pro numero ſubjectorum, quibus illa ſpecies fuerit communicata. Poſtremò neque homo, neque Angelus, neque ulla creatura infiniti vel rei in ſe infinitæ capax eſt; eſt quidem actus alicujus, quo in objectum infinitum extra ſe fertur, vel ab eo donatur beneficio quocunque, ſed non ejus quod eſt infinitum.

Deus autem non cognoſcitur à nobis per aliquam ſpeciem, uti neque per ſuam eſſentiam; ſed per *attributa*, quæ & hinc ita nominantur, quod Deo, ad cognoſcendum quadantenus ejus τὸ ἀκατάληπτον tribuuntur. Uti ſunt, ejus potentia, bonitas, ſanctitas, æternitas, &c. Inde in precibus nuncupandis incipimus ab hoc aut iſto attributo, uno aut pluribus, nam quodcunque dicamus, nullum aliud excludimus, verùm cætera connotamus, & quam impoſſibile eſt omnium divinorum attributorum facere unam ſpeciem, à Deo aliam, ita & Dei. Atque ideo plura facimus attributa, quia uno conceptu comprehendere adæquatè non poſſumus, vel in ullo quaſi ſpeculo aut ſpecie videre omnia, non diverſa, uti nobis formaliter, non in Deo, ſunt potentia & æternitas, bonitas & omnipræſentia, ac ſic de cæteris.

Scio Pontificios Doctores, & qui ex ipſorum Scholis prodeunt, paulo aliter philoſophari, qui Deo imagines etiam formant corporales: & ſane cujus ideam, quæ in mente cauſa eſt exemplaris, non potes formare animo, id neque exprimere typo potes vel effigie: at nos rectius docti, ſcimus, neque Deum ſui ſpeciem unquam exhibuiſſe populo, Deut. 4. 15. neque probaſſe fictam ullam factamque. Joan. 14. 39. *neque ſpeciem* εἶδος *ejus vidiſtis*. ἀσχημάτιστος ὁ Θεὸς, ἁπλοῦς, ἀμεγέθης, ἀπερίοπτος, μὴ φανταζέσθω τις μορφὴν περὶ αὐτόν, inquit Baſilius, homil. x. in Hexaëmeron, & ἄρρητον καὶ ἀειδῆ vocat Dio Caſſius, loquens de Judæis, hiſt. Roman. lib. 37. Re-

rum corporalium corporalis quoque ſpecies hæret in phantaſiâ, at non ſpiritualis Dei. Matth. 28. 3. *erat autem ἡ ἰδέα ipſius ſicut fulgur, & veſtimentum ejus album inſtar nivis.* Imo quia formam, vel ſpeciem Dei facere nullo modo poſſumus, hinc Dei attributa fere concipiuntur terminis negativis, quamvis maxime poſitivam & entitativam veritatem habeant in ipſo Deo, nobis utcunque incomprehenſibilem, & propterea magis efferendam notionibus negativis, quam poſitivis, tutiuſque ideo de Deo dicitur quid non ſit, quam quid imo.

Aliud eſt *conceptus* de Deo, vel ejus *ſpecies.* Prout in rebus omnibus, quas datum cognoſcere, formatur eorum, hoc ipſo quod intelliguntur, conceptus; qui propterea in Scholis appellatur conceptus formalis; verum objectivus, ſeu objectum prout ſub conceptum venit, non ſemper ſuam ſpeciem fert, non Deus. Cognoſcitur ergo, quouſque concipitur, ſed non ideatur, ut ſic loquar. Neque Angeli, vel animæ habes ſpeciem propriè dictam, quamvis quidem conceptum, eumque prout eſt objectivus, per negationem corporalitatis. Luc. 24. 39. Atque ſi per ideam nihil intelligatur, quam conceptus de Deo, jam nihil dicitur novi, niſi quod adhibeatur ἀκυρολόγως vox incommoda admodum, & cui cum Papiſmo melius conveniat, quam cum Reformatione: tum neque dicendum, ex ideâ Deum cognoſci, tanquam principio, non magis quam ex conceptu, qui eſt actus ipſe cognoſcendi. Quidquid ſit, ſi nihil nos deceat affirmare quod non clare ſatis diſtincteque percipimus, hactenus à ſpecie Deo attribuendâ abſtinendum, quouſque quid novæ rei voce denotetur, clarius meliuſque fuerit explicatum.

Cognoſcitur autem Deus per attributa in *naturâ* & *Scripturâ* expreſſa: jam verò de naturâ quia loquimur, præter ea quæ extra ſe ubique homo videt, divinitatis argumenta, interiori quoque animi inſtinctu, vi, notione, lege, ſyntereſi novit, ſentit, experitur eſſe Deum.

Tertiò ad idem probandum, non quidem utor argumento, ſed tamen quod animum non minus movere aptum eſt, videlicet, *nullum* vel argumentum vel argumenti ſimile proferri poſſe, quod Deum *non eſſe* probet aut ſuadeat. Hic verò quam temere id credat aliquis, ad quod nullâ ducitur probabilitate, in re præſertim tantâ, & univerſalis fidei, exaggerari multis facile poterit. Atque ita ſimul animo demes præjudicia vel objectiones, quæ forte convertendum detinent à vero. Neque enim, quod iterum moneo, & nunquam non obſervari volo, nobis eſt animus de hoc argumento diſputare cum otioſis ſubtilitatum captatoribus, vel inanibus vitili-

tilitigatoribus, ſed re ad praxim & animum explicatâ oſtendere, quæ, quomodo adhibenda arma ſint, & ſi non diſputandum, ſaltem quo pacto agendum, & perſuaderi incredulis negotium debeat.

Quare quarto loco *Conſenſum* adfero omnium gentium, hominumque ad confirmandam veritatem, nullis non agnitam & confeſſam, nimirum quod aliquis ſit Deus. Nec dum enim in hoc inquirimus, quis ille ſit. Et hoc teſtimoniis, vel ſcriptis multis comprobare ſuperſedeo, ſatis habens, quod id ipſum de communi hominum conſenſu in veritatem iſtam & Gentiles ipſi teſtentur, & ſic argumententur quoque in hac causâ, & de ſingulis per omnes Gentiliſmi nationes oſtendi queat.

Quod enim nonnulli videntur ſubinde contrarium innuere, quaſi deprehendiſſent Gentes prorſus omni Deitatis notitia ac ſenſu vacuas, ejus contrarium inductione factâ demonſtrari poteſt; & puto ſatis indicavimus in antecedentibus: tum id nonnunquam viſi ſibi fuerunt quidam obſervaſſe in oris Gentium maritimis, ad quas forte appulerant, & quarum incolas non videbant aliquâ tangi curâ religionis, denique & ubi non longo admodum tempore hærebant, ut de ſingulis potuiſſent reſciſcere: ex quo ſi faciendum judicium, ab his de totâ & interiori regione, vereor ne parum honorifice ſæpe de noſtris quoque hominibus fuerit pronunciandum, extremas crepidines accolentibus, & etiam dictis Chriſtianis, ſi externam demas templorum faciem; adeo parum religionis ſæpe præferunt & profitentur, inprimis peregrinis. Quod non probat, nullum Deum iis notum, cultumque.

Atque ita probavimus, vel oſtendimus, quod ſit Deus: nam neque argumentis id probari voluit Arnobius, in primo contra Gentes: ſed, *quiſquamne eſt hominum, qui non cum iſtius principus notione diem primæ nativitatus intraverit? cui non ſit ingenitum, non affixum, imo ipſi pene in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem ac Dominum, cunctorum quæcunque ſunt moderatorem?*

Sequitur, ut oſtendamus, eundem Deum eſſe *unum*, & non plures. Quod primum probatur ex *naturâ* Dei, quæ quum ſit perfectiſſima, niſi una etiam eſſe nequit. Habet enim vera Deitas unam, quia ſummam, & abſolutam prorſus perfectionem. Fac plures eſſe Deos: vel *omnem*, vel aliquam; & *unam* eandemque, vel diverſam habebunt perfectionem: ſi ſinguli aliquam, jam nullus iſtorum eſt Deus, quia non omnimode eſt perfectus, vel omnem & abſolutiſſimam habens perfectionem; neque omnem poſſunt habere niſi eandem: quoque eandem perfectionem, hoc & natu-

ram, ac proinde non erunt plures Dii, ſed unus, ſive eandem habens omnis perfectionis naturam. Diverſam perfectionem ſi habeant, dum alter perfectionem habet, quâ caret alter, neuter erit Deus. Quia Deus dicit ens omnimode & abſolute perfectum.

Iterum *varii* illi Dei, vel erunt *à ſe*, vel *ab alio*: non à ſe, quia æque ſibimet dediſſent omnem perfectionem, ac tantam: & qui hoc à ſe poteſt, ſibi procul dubio vindicabit omnia, & quidquid ullam ſapit perfectionem, atque ita erit unus: ſin ab alio ſunt; jam hic erit Deus, non item illi.

Vel *pares* erunt illi Dii, vel *impares*: ſi impares, quis imparem iſtorum fecit conditionem? non certe ſibi ipſi: nam ſi quidem in ſuâ poteſtate habuerunt ſe perficere, quid ni ſibi dediſſent majorem perfectionem, & cur non omnem? Tum is potius erit dicendus Deus, qui iſta largitus fuerit ipſis, quam ipſi. Pares ſunt? aut aliquâ diverſitate, aut nullâ? ſi nullâ, jam non multi, non alii ſunt à ſe invicem, ſed unus: ſin aliquâ, & hanc iterum quis conſtituit, quis diribuit? Tum inæqualis procul dubio illa diverſitas fuerit: ſed eam unde faciunt alii, alii patiuntur? Sic vel non ſunt multi Dii, vel ad unum referendi. Quemadmodum propterea, ne de antiquis dicamus, qui multitudinem iſtam fere referebant ad unum ſummum Jovem, & hodie ſupra Divorum examina & turbam, conſtituunt unum aliquem ſupremum Sinenſes, Siamenſes, Peguani, Ceilonenſes, Bramines, Peruani, & alii.

Porro vel *finiti* erunt multi illi Dii, vel *infiniti?* idque tum numero, tum poteſtate. Si finiti, quis finivit? tum finiri poſſe, & finitum habere aliquid, contra Deitatis perfectionem eſt, & relationem ac dependentiam dicit à ſuperiore. Infiniti quoque nequeunt eſſe plures, nam dum plures, dicis & alios, propriâ videl. infinitate ſuâ tales, & ſic unus dum non eſt hoc quod alius, ſive non habet perfectionem alterius, hac ſaltem limitatur, quam poſſidere vel habere nequit, quare non eſt ſimpliciter infinitus. Sin verò ſit eadem infinitas, vel infinitatis natura in ſingulis, jam non ſunt plures Dii, ſed una Deitatis infinitæ natura.

Præterea vel *juncti* ſunt, vel *diviſi*? Si diviſi, illa inter eos incommoda oriri neceſſum eſt, quæ Poëtæ fuerunt fabulati, & neque Deorum ordini conveniunt, neque mundi: ſi juncti, aut *voluerunt* ita, uti plures eſſent, & non unus Deus, rectorque omnium; aut non *potuerunt* aliter: voluiſſe, dici nequit, quia ſic voluiſſent ſinguli ſe non eſſe ſatis perfectos & ſufficientes ad hoc præſtandum, ad quod nunc plurimorum concurrit opera &

con-

Digitized by Google

conſilium; quod quis contra ſe velle non poteſt, minime Deus, quum naturæ omni repugnet, & ſapientiæ, ſibi non omnia tribuere, quæ ad beatitatem faciunt. Si non potuerunt, utcumque voluerint quidem ſibi quæ majoris ſunt perfectionis, & dignitatis, jam non Dii ſunt, qui adeo impotentes, & quorum non niſi ab alio regulari ſive potentia potuit, ſive voluntas.

Denique vel *ſubordinati*, vel *coordinati*? utrum dicatur, ſuperiorem hoc arguet, vel ſuperiores: ſi ſuperiores ajas, idem & de iſtis interrogabo: ut neceſſe fuerit tandem devenire ad unum, & hic erit Deus. Adeo de Dei naturâ eſt, eſſe unicum.

In genere ergo ſic oſtendimus, & Deum *unum* eſſe, & non poſſe dari *plures*: quod & *conſenſu* ipſorum Gentilium, ſive Veterum, ſive hodiernorum, proclive eſt confirmare. *Quæ utilitas manavit ad Orpheum, ex eo quod trecentos & ſexaginta Deos confeſſus eſt, quos tandem rejecit in teſtamento ſuo, cum obiret mortem, aſſerens, unum eſſe Deum*? inquit Theophilus, lib. 3. ad Autolycum. Quemadmodum & hodiernus Brachmannus Padmanaba dixit, Wiſthnou & Eſwaram eſſe eundem Deum, variis duntaxat notionibus & relationibus deſignatum. Atque Cambajenſes, aliique Indorum populi ſupremum Numen colunt Permiſer. Et Peguani ſuum Pachacamac. Alii aliter appellant.

Ne dicam, in hac diſputatione, & ejus occaſione ſuggeri poſſe Gentilibus, Chriſtianiſmum, utcunque Deorum multitudinem rejiciat, quia perfectioni divinæ naturæ prorſus adverſatur; ex revelatione tamen Dei, aliquam pluralitatem in illo uno agnoſcere & venerari, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tres Deos, vel eſſentiâ aut perfectione ullâ diverſos inter ſe, nedum diviſos, ſed ejuſdem unius eſſentiæ *Perſonas* tres: ut neque fides omnem pluralitatem in Deo reſpuat, neque tamen Deorum ullam, propter argumenta ſuprà adhibita, admittat.

Jam & aliæ Dei proprietates exponendæ, ad perfectionem, quam diximus, ejus pertinentes, & quæ ad cognoſcendum ritè Deum, tandem & deſignandum, quod proximè faciendum erit, quis ille demum ſit, imprimis pertinent. Quales ſunt, quod Deus eſſentiâ eſt *ſpiritualis*, non corporalis: ſecus ac Gentilium vulgus ſtatuit: quod *æternus*, & nulli alterationi, nedum interitui obnoxius; denique quod *omnipotens*, ut non modo non pati illa debeat, quæ in Diis ſuis aliquando riſit Gentilitas, ſed & præſtare poſſit quæcunque vult. Cætera Dei attributa ſatis per ſe ſequun-

Digitized by Google

quuntur, & illa præ aliis vindicanda ſunt, in quibus turpiſſimè Gentiles errant, & quibus agnitis reliqua etiam facile admittuntur.

Inprimis verò & ante omnia ejus *perfectio* adſtruenda, ex quâ reliqua fluunt & demonſtrantur. Perfectio autem, quâ non modo obtinet quidquid in ſe & ſimpliciter dicit *perfectionem*; ſed & à quâ procul abeſt quæcunque *imperfectio*; & quam perfectionem habet modo *eminentiſſimo*, non tantum ſupra id, quod in mundanis obſervatur, ſed quoque ſupra conceptus noſtros & quidquid imaginari poſſumus, infinities tranſcendit: via, uti dicunt in Scholis, cauſalitatis, & negationis, & eminentiæ.

Jam, qui eſt Deus, ille etiam ſit perfectiſſimus, neceſſe eſt. Nam nullam ipſum habere, dicere nemo ſuſtinet: & ſi *aliquam*, cur non ulteriorem, cur non omnem? Vel tu ergo perfectionem ejus limitabis & circumſcribes; vel alius quiſquis demum hoc egerit.

Procul dubio autem, quo perfectior, hoc *melius* erit, & tum Deo convenientius, tum optimum Deum habet & colit, quo quis perfectiſſimum. Namque dum minus perfectum dicis, imperfectionem ei admiſces, & hoc ipſo aliquid non Dei, in Deo ponis, quod non modo abſurdum, & repugnans, ſed quoque ipſis terminis impoſſibile eſt. Quare non probabilius modò, ſed omnino neceſſarium, Deum eſſe abſolutè perfectiſſimum.

Præterea qui *à ſe* eſt, negative videlicet, id eſt, à nullo alio, is omnem in ſe habet perfectionem. Quomodo enim aliquam ſibi dediſſet, & non omnem? Vel ſi alter ei tantum perfectionis aſſignavit, & non plus, hic certe uti major, & tandem maximus, Deus erit, non ille inferior: & hinc omnibus hominibus de Deo celebratum elogium Optimi, Maximi. Suarez, Diſp. xxx. ſect. 1. *Deus non habet hujuſmodi perfectionem à ſe effective, ſed formaliter ſeu negative, quia ſcilicet non habet ab alio, ſed ex formali eminentiâ ſuæ naturæ.*

Tum *poſſibile* eſt omnino, ens aliquod perfectiſſimum dari: ergo eſt. Non quidem eſt, ſive exiſtit actu quidquid poſſibile eſt: at nihil eſt poſſibile, cujus non poſſibilitatis ratio & cauſa fundatur in actuali alicujus potentia, cui poſſibilia omnia objiciantur & reſpondeant. Et ſic quum poſſibile ſit, dari ens perfectiſſimum, neque enim repugnat, ut tale actu etiam exiſtat eſt neceſſarium; neque fruſtra tale poteſt concipi. Atque hoc Deus.

Denique *à quo* omnis perfectio eſt, & actualis, & potentialis, illud ipſum ut ſit perfectiſſimum, requiritur: à Deo autem eſt omnis illa perfectio: ergo;

Digitized by Google

ergo; ſive eminenter, in potentiâ causâ; ſive formaliter, vi infinitæ ſuæ naturæ, perfectionem omnem in ſe continens.

Cæterum quod Deus *ſpiritualis* ſit eſſentiæ, & non corporalis, inde quoque evincitur, quia eſt perfectiſſimæ. Nam perfectior eſt ſubſtantia ſpiritualis omni modo, quam corporalis.

Præter *incommoda* corporis, quæ in Deum non quadrant.

Et corpus *ſubordinatur* animæ, vel alteri ſubſtantiæ meliori: qualis ſubordinatio repugnat Deitati.

Vel fortaſſe *totus* erit corpus? & ſic nihil minus, quam Deus, utpote infimam ſortitus rerum claſſem & ordinem, quæ tantum ſunt, & non vivunt: vel *quantum* ei dabis corpus? non immenſum: nam & plurima exiſtunt corpora, quæ Deus ille non eſt; & iners moles, neque ſe gubernabit, neque alia: vel ſi & alteram partem ei attribuas, *animam* videlicet, utra alteram produxit? & quis utramque junxit? ſi alter? hic potius Deus dicendus erit, quam ille animatus, vel corporeus.

Pari ratione oſtenditur, quod non ſit corruptibilis Deus, ſed abſolute *æternus*. Si enim *mutari* poteſt; ergo & aboleri: ſi generari aliquando novus; ergo & *interire*: ſi aliqui, quid ni & *omnes*, ut prorſus nullus aliquando Deus ſit? Et *unde* quod mutantur, vel à ſe, vel aliunde? *ſponte*, vel *invitò*? utrumvis dicatur, peræque abſurdum erit & profanum. Nemo verò dubitat, quin melior, & major, & perfectior Deus ſit æternus & incorruptibilis, *ſummum illud & æternum*, *neque mutabile*, *neque interiturum*, inquit Tacitus de Judæorum Deo: qui certe potior Deus, quam variabilis alius, & continuis mutationibus, caſibus, ſucceſſioni, morti denique obnoxius. Quales Dii Poëtarum: & Gentilium varii. Cicero, lib. 1. de naturâ Deorum: *Poëtæ irâ inflammatos & libidine furenteis induxerunt Deos, feceruntque, ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, diſſidia, diſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effuſas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortaleſque ex immortali procreatos.* Melior inter Indos Brachmannus Bartrouberti, quando dixit: *Memineris Dei non ſeneſcentis, neque interituri, qui ſummus eſt, atque omnibus ſe quærentibus dat intellectum, & omitte cogitationes quaſcunque alias.* Iterum: *Veneror Deum, cujus ignoratur tempus, vel Spiritus ejus: & nemo ſcit, quam præbeat animi contentationem, ſibi confidentis: non iraſcitur, verùm ſemper manet idem.*

Ejus denique *omnipotentia* ſequitur ex *perfectione* in omni genere entis,

& ſic quoque potentiæ. Neque aliunde dicuntur poſſibilia quæcunque, quam ex illius potentiâ. Uti ergo hæc tanta ab eo *opera*, quæ conſpiciuntur, quibus tamen exhauſtam potentiam ejus dicendum non eſt, arguunt omnipotentem factorem; & quæcunque ab eo *petunt* quotidie homines; ita omnia poſſe eum, quem Deum ſtatuimus, neceſſe eſt. Epicharmus Epicureus, apud Clementem Alexandrinum, Stromat. ϛ. *ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεός.*

Ultimum ſupereſt, ut videamus *quis* ſit Deus. *Ipſa re approbes, quis ſit iſte Deus?* inquit Maximus Grammaticus, Gentilis, ad Auguſtinum, epiſt. 43. Verbo reſpondemus, ipſe ille, cui, quæ antea de divinâ perfectione dicta ſint, competunt, Deus iſte eſt. Unâ eademque operâ probamus, quod, & quid, & quis ſit Deus, quia unus. Nam inter varios denotari eum nihil attinet, quia non ſunt varii. Hoc ipſum ergo ens, quod eſt perfectiſſime ſummum, eſt ille verus Deus, non alius, quia nec aliud aliquod tale ens eſt, præter unum, & hoc unum eſt quod tale. Simul ergo palpamus verum in naturâ Deum, quo illud quod Deus eſt cognoſcitur. Accedunt alia, quæ de Deo prædicantur ex ejus operibus, quod eſt creator cœli ac terræ: ſed nondum egimus de creatione: quare hactenus ab eo appellari à nobis non poteſt: nedum ex eo, quod ſe in Verbo revelavit, Patrem eſſe, & Filium, & Spiritum Sanctum: in præſens quouſque pervenimus, inde & deſignari debet, ac poteſt, videlicet quis ſit Deus, primò ex notione animi de ipſo, duce rectâ ratione, quod hactenus à nobis factum, nimirum, quod eſt ens perfectiſſime ſummum, qui eſt ille, quem quærimus, Deus: deinde ex relatione rerum ab ipſo dependentium, quando dicimus, qui eſt creator cœli & terræ. Uti enim eleganter Pythagoras:

Εἴ τις ἐρεῖ Θεός εἰμι, πάρεξ ἑνὸς, οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς οὗτος.
Si quis, præter unum, dicat Deus ſum, illum oportet
Parem huic mundum facere, & ſic dicere, hic meus eſt.

Tertiò ex penitiori & ſingulariſſimâ revelatione in Verbo, cognoſcitur Deus, ille qui eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; vel etiam uti ſe manifeſtavit populo ſuo, Deus Abrahami, aut Iſraëlitarum, &c. quem Deum magnum, etiam Prophyrius, quamvis Chriſtianorum acerrimus hoſtis, confitetur, teſte Auguſtino, *lib.* 19. *de civit. Dei, cap.* 22.

Sed naturali ductu homo novit quis ſit Deus, nempe ſolus ille qui eſt perfectiſſimus, ipſaque adeo perfectio, cui & creationem poſtea attribuit, ac alia, quæ de Deo undiquaque cognoſcit vera. Saltem non ſunt Deus

Digitized by Google

illi Gentilium *Dii*, ſive ***antiqui***, ſive ***hodierni***, qui illis dum ſucceſſerunt: neutros veros eſſe oſtendunt; non illos, quia hoc deſierunt jam eſſe & vocari, quod antea fuerunt; hos, quia pridem nati ſunt, notique. Eorumque alii ***mali***, alii *ficti*, alii *ridiculi*, omnes *falſi*, & *facti*, vel ex ***hominibus***, vel ſaltem ab iis, forte ad denotandas aliquas mundi & *naturæ* partes. Cicero, lib. 3. de nat. Deor. *Jam verò in Græciâ multos habent ex hominibus Deos.* & lib. 1. *Perſeus Zenonis auditor, eos dicit habitos Deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa, ipſaſque res utiles Deorum vocabulis nuncupatas.* Idem inter Gentiles oſtendit Metrodorus Lampſacenus, referente Tatiano, in Orat. *qui neque Junonem, neque Minervam, neque Jovem id eſſe fatetur, quod exiſtimant, qui ædes & lucos ipſis conſtituunt, ſed res quaſdam in natura, & elementorum digeſtiones.* Quod & ex Stoicorum doctrinâ probat Lactantius, lib. 1. cap. 12. ſimiliter Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Arnobius, & Auguſtinus, lib. 6. de Civit. D. cap. 8. *At enim habent iſta phyſiologicas quaſdam, ſicut ajunt, id eſt, naturalium rationum interpretationes. Quaſi verò nos in hac diſputatione phyſiologiam quæramus, & non Theologiam, id eſt, rationem non naturæ, ſed Dei.*

Vel homines fuiſſe olim, quos poſtea pro Diis coluerunt vani miſerique Gentiles, notiſſimum. Et ſic hodie apud Japonenſes, qui ſtrictiori vitâ, & exquiſito genere pœnitentiæ aliquando celebres, inter Numina relati; apud Chinenſes, qui artibus & ſcientiis reperiendis clari; apud Decamenſes, vitæ, ut putant, ſanctitate eminentes: Siamenſes, ſuos Legumlatores pro Diis habent. Atque de antiquis, inter Gentiles idem oſtendit Euhemerus Meſſenius, quem ſecutus inter Romanos fuit Ennius, teſte Cicerone, lib. 1. de nat. Deorum, Auguſtino: de Civit. D. lib. 6. cap. 7. Lactantio, lib. 1. cap. 11. Agragantinum appellat Arnobius, lib. 4. Theophilus in primo ad Autolycum, καὶ τὰ μὲν ὀνόματα ὧν φῆς σέβεσθαι θεῶν, ὀνόματά ἐστι νεκρῶν ἀνθρώπων. Unde iſta Tertulliano fiducia, in Apologetico, ita Gentes compellandi: *Deos veſtros colere deſiimus, ex quo illos non eſſe cognoſcimus. Hoc igitur exigere debetis, uti probemus non eſſe illos deos, & idcirco non colendos, quia tunc demum coli debuiſſent, ſi dii fuiſſent. Tunc & Chriſtiani puniendi, ſi quos non colerent, quia putarent non eſſe, conſtaret illos deos eſſe. Sed nobis, inquitis, dii ſunt. Appellamus & provocamus à vobis ad conſcientiam veſtram, illa nos judicet, illa nos damnet, ſi poterit negare omnes iſtos deos veſtros homines fuiſſe.* Cyprianus, in initio tractatus, de idolorum vanitate: *Quod idola Dii non ſint, & quod unus Deus ſit, & quod credentibus datum ſit Deos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt: Reges*

Digitized by Google

olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodum etiam in morte cœperunt. Et Lactantius, lib. 1. cap. 8. *Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii crediti ſunt? nimirum quia reges maximi, ac potentiſſimi fuerunt: ob merita virtutum ſuarum, aut munerum, aut artium repertarum, cum chari fuiſſent iis, quibus imperitaverant, in memoriam ſunt conſecrati, quod ſiquis dubitet, res eorum geſtas, & facta conſideret, quæ univerſa tam poëtæ, quam hiſtorici Veteres prodiderunt.*

Et lib. 5. c. 20. *Incredibilis dementia eſt, Deos putare, quos fuiſſe mortales negare non audeant. Vel ſi tam impudentes fuerint ut negent, ſuæ illos, ac ſuorum litteræ coarguant, ipſa denique illos ſacrorum initia convincant.* Imo ab Eruditis jam diu, & magno ſtudio obſervatum, ſub variis Gentium numinibus ſervata & culta fuiſſe primorum hominum, qui in Sacris extant hiſtoriis, nomina, ex vetuſtâ, obſcurâque apud Gentes traditione: Adamum, in Saturno; in eodem etiam, uti facile fuit iſta confundere, Noachum, & tres hujus, in tribus quoque illius, liberos, partitumque inter illos orbem: in Jano quoque Noachum, utriuſque & hujus & anterioris mundi ſpectatorem; eundemque in Baccho, vitis ſatore; Tubalkainum, in Vulcano; in Marte, Nimrodum; in Api, Joſephum; in Hercule, Joſuam, vel in Apolline, uti multis probare allaborat Edmundus Dickſonus, in lib. *Delphi Phœniciſſantes.*

Parum iſta, niſi & turpiſſimos, ac vitæ flagitioſiſſimæ nonnullos Diis ſæpenumero adſcripſiſſent, & infanda vitia, turpitudines, ſcelera in illis quoque comprobaſſent, & jam docuiſſent. Salaciſſimum, & in patrem crudelem, Jovem; intemperantem & ebrioſum Bacchum; diſſolutam libidinibus Venerem; furentem Herculem; obſcœnitatis ſymbolum Priapum; nec diſſimilem Hadriani Antinoum, quem ſuo tempore Deum factum Juſtinus exprobrat Gentilibus, in Apologiâ; & Athanaſius, lib. 1. cujus adhuc monumentum Romæ viſitur, in inſcriptione Græcâ: Antinoo Ægyptiorum Deo. *Quibus ex rebus intelligi datur, non potuiſſe ullo pacto fieri Deos: quia ne homines quidem probi fuerunt: eaque in vitâ ſuâ geſſerunt, quæ mortem pariunt ſempiternam,* inquit vere & eleganter Lactantius. Denique de totâ factitiorum Deorum turbâ merito quis uſurpet Neronis illud, apud Senecam, in Octaviâ:

Stultè verebor, eſſe cum faciam Deos.

Neque etiam hic conſtitit in deligendo Deo errans inſania, ſed & *Diabolum* pro Deo coluerunt multi, & olim, & etiam hodie. Athanaſius lib. 2. *in tantum verò veſanæ impietatis proruperant, ut jam dæmones quoque ado-*

ra-

Digitized by Google

rarent, *deſideriis eorum ſatisfacientes.* Hodie id fit apud Braſilienſes, & in Novo Belgio Americano: in Africâ, à Ginenſibus, & Guinenſibus: in Orientali Indiâ, à Calecutenſibus, qui eum appellant *Duma*; â Narſingenſibus, ad oram Cormandel, à Sinenſibus, Japoniis, & aliis. De Brachmannis Rogerius, cap. 8. *colunt ſummum Deum*, *& inferiores*, *& Diabolum.* Saltem ne ipſis aliquam noxam inferat.

CAPUT QUINTUM.

De mundo ejuſque creatione & gubernatione.

ILli ergo uti non ſunt Dii, neque aliquid habent Deitatis, ita divino honore eos afficere, omiſſo, quem ſupra oſtendimus, uno & vero Deo, ſummæ eſt vecordiæ & improbitatis. Quum verò multi, uti olim, ſic & nunc, pro Deo faciant *mundum*, vel *cælum*, vel in cœlo *ſolem*, & *lunam:* Plinius, lib. 1. hiſt. cap. 1. *Mundum & hoc quod nomine alio cælum appellare libuit*, *cujus circumflexu teguntur cuncta*, *numen eſſe credi par eſt*, *æternum, immenſum*, *neque genitum*, *neque interiturum unquam:* hic omnino expugnandus error eſt, qui, præterquam iis, quæ jam attulimus, fortiſſime refellitur iſtorum omnium creatione & gubernatione à Deo, de quâ nunc dicendum eſt.

Auguſtinus, ad Maximum, qui objecerat, Chriſtianos non æque Deum ſuum oſtendere oculis poſſe, ac Gentiles, epiſt. 43. *Invenit ille*, inquit, *quod oſtenderet oculis carnis*, *ego autem non quaſi non habeo quem oſtendam*, *ſed non habet ille oculos*, *quibus oſtendam. Potuit enim ille oculis corporis ſui oſtendere Deum ſuum ſolem*, *quibus ego oculis oſtendam ſolis Creatorem. Video quæ fecerit Deus meus*, *non autem video ipſum Deum meum*, *qui hæc fecit.* Nam & idem ab hodiernis Gentilibus objectum Chriſtianis legimus, Deum, quem in cœlis Chriſtiani dicunt eſſe, ſibi ignotum, quia nunquam viſum. Solem autem à pleriſque Ethnicis ſemper pro numine habitum, omnes norunt, & ſuperius à nobis expoſitum: etiam hodie à plurimis Gentibus religioſe coli, & Lunam, tanquam ejus uxorem, alii ſororem credunt, Godofridus Carolinus annotavit, lib. Belgico, de *Gentiliſmo præſenti*, *part. 2. cap.* 3. Peruani cultum præcipuum impendunt Pachacamaco, ut creatori mundi; deinde Soli, atque Lunæ, tamquam ejus ſorori: forte uxorem ſimul & ſororem habent, quemadmodum veteres Ingæ, ſive Peruani Imperatores, patriâ lege tenebantur ſororem ſibi uxo-

Digitized by Google

rem ducere: quod Chinchiroca, Ingarum ſecundus, de conſilio Orejonum, ſive Primorum regni, omittens, ductâ aliâ, ſuam ſororem inter virgines Soli ſacras clauſit templo Curacanche, uti refert Joachimus Brulius, in *Hiſtoriâ Peruanâ*, *lib*. 1. *cap*. 8. Ultra Andes verò, ſunt hi Peruviani montes, Indos habitare ſcribit etiam, de Coca dictos, qui neque Solem, neque Lunam adorabant, vel quidquam iſtis inferius, ſed aliquem, quem dicebant omnibus illis eſſe ſuperiorem: Ingarum autem potentiâ & mandatis querebantur ſe ad Solis & Lunæ cultum adactos: atque non alii promtius Chriſti religionem ſuſceperunt. Certe non ineptum erat argumentum, quo in frequenti Orejonum conventu, dicitur uſus Viracocho, qui primus putatur ſupremo Numini Pachacamaco ſummum dominium, & religionem detuliſſe, inquiens: cum neceſſe ſit ad Dei majeſtatem magnâ ipſum conſtantiâ, ac quiete cuncta moderari, Solem arbitror, qui perpetuo motu diſcurrit, Deum eſſe non poſſe.

Creationem vero Univerſi, Gentilium alii admiſerunt, alii minus: ſaltem factum dixerunt, alii autem æternum, & neque initium habuiſſe, nec habiturum finem. Nota eſt Ariſtotelis opinio. Heraclitus Epheſius, apud Clementem Alexandrinum, Stromat. VI. κόσμον τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτέ τις θεῶν, οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλὰ ἦν ἀεὶ καὶ ἔστιν, καὶ ἔσται. Arnobius, adverſus Gentes ſecundo: *mundum quidam ex ſapientibus æſtimant neque eſſe natum, neque ullo eſſe in tempore periturum: immortalem nonnulli, quamvis conſcribant eum eſſe natum & genitum. Tertiis verò collibitum eſt dicere, & eſſe natum & genitum, & ordinariâ neceſſitate periturum.* Diodorus Siculus, in initio hiſtoriæ, *prima hominum generatio apud doctiſſimos & præſtantiſſimos viros, qui veram naturam & hiſtoriam tradiderunt, duplex fertur: quidam mundum ingenitum & incorruptibilem, & genus humanum ab æterno extitiſſe, neque habuiſſe ortus principium ſenſere. Quidam genitum corruptibilemque arbitrati, & homines dixerunt generationis initium tempore eſſe ſortitos.*

Factum, & originem aliquando mundum habuiſſe, neque ab æterno fuiſſe, colligimus primò ex ejus *partibus*, quæ capiunt originem, & aliquando intereunt. Argumento ſit potiſſima ejus pars & μικρόκοσμος homo, μακροκόσμου vividiſſima ſpecies, & certum quoddam compendium. Nos originem habere ab alio, & velimus nolimus aliquando mori, conſtat: ſi ego, & parens, & avus; ergo non minus omnes, quouſque adſcendere libet, ortum ſuum habuerunt: neque minus nos nunc mundi pars ſumus, atque illi ſuo tempore fuerunt omnes, & ſic viciſſim. Neque illi magis à ſeipſis orti, ac nos nunc orimur. Namque cur, vel, quomodo id magis

tum

Digitized by Google

tum eveniſſet, quam nunc idem nobis? Orti ergo ſemper homines, & ab aliis. Neceſſe autem eſt illis aliquando ortum dederit, qui à ſe, & tum vitam illis dare potuit, tum auferre. Et hic Deus eſt. Nam in infinitum ire generatio non poteſt, & in immenſum nunquam non alios reperire, quam qui ab aliis nati, impoſſibile eſt, quia non illi magis iſtam ſeriem generandi inſtituere potuerunt quam nos, tantum accipere: & ſi acceperunt, fuit tandem aliquis ejus dator atque inſtitutor. Quo enim pacto id homines potuiſſent ſequi iſto ordine & ſerie illâ neceſſariâ, antiquâ, & communi, niſi lege & naturâ iſtâ datâ ab alio? Accipere eam homines poſſunt, non dare; non dare ſibi, minus aliis, minime verò omnibus. Viget tamen generandi conſuetudo univerſaliter apud omnes. Si quæ autem alia lex, præſertim rationabilis, autorem ſemper habet, tum hæc imprimis, quæ ſapientiſſima, & maxime neceſſaria, quæque in nullius hæret arbitrio, ſed cui obtemperare naturâ duce coguntur omnes: ut ſuperiorem hoc ipſo agnoſcant, à quo & vim, & legem iſtam acceperint, omnes. Et ſi humanum genus aliquando ſui originem, & à Deo primo inſtitutore & conditore, habuit; ergo & reliqua mundi, homine multum inferiora: & ſi pars aliqua, & quidem potiſſima ab alio facta, non ergo totus mundus initii expers eſt: & ſi pars una, quare non alia, & tertia, atque ita Univerſum, quod partibus ſuis conſtat, & tale totum, ac partes ejus ſunt ſingulæ.

Deinde & *multa* cum homine ac tempore acceperunt initium, atque à parvis principiis accrevere in iſtam formam & uſum, quem nunc habent, antea incognitum & nullum. Ut res alias prætercam, & artium multarum, ac ſcientiarum primas inventiones, à rudibus initiis omnia inchoarunt, quo & originem aliquando habuiſſe, & antea non fuiſſe, teſtatum faciunt. Lucretius: *recenſque*

Natura eſt mundi, neque pridem exordia cœpit,
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augeſcunt, nunc addita navigiis ſunt
Multa.

Sed & ipſæ hominum *Societates*, convictiones, & in civitates ac imperia coitiones & conſenſus, quorum primi ductus & elementa in Gentium originibus vulgò notantur, argumento ſunt, cum iis & humanum genus, & omnia quæ in uſus ejus neceſſaria & commoda ſunt, aliquando incepiſſe, neque extitiſſe ab æterno.

Jam *ordo* ille ſapiens, conſtans, divinus, qui in Univerſo tam clare & copioſe elucet, non à ſe vel oriri potuit, vel conſervari ac permanere tam diu,

Digitized by Google

diu, idem & admirandus, niſi à ſuperiori omnium cauſâ fuiſſet conſtitutus.

Denique vel à *ſe* eſt mundus, vel â *Deo*, vel ab aliquo *tertio*. Non hoc, quia extra mundum, & Deum nihil datur. Non etiam illud, quia ſic haberet omnem perfectionem, & ipſe Deus eſſet, omneſque ejus partes, viliſſimæ etiam in mundo ſingulæ, Dei partes. Jam verò neque illæ perfectionem habent Deo, id eſt, Dei partes ut ſint, dignam; neque id jam opinor agitur, ut mundus probetur Deus eſſe, quamvis id ſequatur, ſi à ſe, & æternus ſit, carens principio: quomodo autem Deus erit, cujus partes neque ſunt animatæ omnes, neque incorruptibiles, neque æternæ, ſed quotidie oriuntur, generantur, fiunt, & quoque intereunt?

Atque ut alia omittamus, antiquorum inter Gentiles, pro mundi creatione, teſtimonia, ab aliis collecta; quod olim de Indis Megaſthenes, apud Strabonem dixit, lib. 15. περὶ πολλῶν δὲ τοῖς Ἕλλησι ὁμοδοξεῖν, *de multis eos cum Græcis ſentire, ut quod mundus & ortus ſit, & interiturus, & quod ſphæricus Deus ipſum pervadit ejus conditor:* idem & hodie apud illos ferè reperias. Ceilonenſes enim, & Calicutenſes, & Guzarattenſes, unum Deum creatorem ſtatuunt cœli, ac terræ: Siamenſes, mundum à Deo creatum credunt, & duraturum octo mille annos, tum incendio abſumendum, ſed ſub cineribus ſuperfutura duo ova, ex quibus mas & fœmina prodibunt, homines mundo iterum & incolas reddituri.

Etiam apud Sinenſes reliquias deprehendi volunt hiſtoricas, ſed fabulis ridiculum in modum obvolutas, de creatione primorum hominum, etiam diluvii, quo tempore, ajunt, Deam Amidam in terram deſcendiſſe, & quo loco pedem poſuit, aquis jam denudato, mox eum converſum in aurum: fuit autem locus Calempluy in Chinâ: tum verſam oculis ad cœlum, enixam per utramque axillam, quia non alter locus in ejus corpore ad pariendum erat, qui peccati & miſeriæ causâ poſtmodum mulieribus datus eſt pudendus, innumeram hominum multitudinem; per axillam dextram mares, per ſiniſtram verò fœminas, & harum quidem partes tres, ad unam marium, quia videlicet populanda erat hominibus terra: ipſa autem pariendi moleſtiâ delaſſata occubuit, cujus mortem lugens Luna, hinc maculas adſcivit, non abſtergendas niſi poſt tot annos, ac Amida peperit homines, nempe 33333. tum verò luctu depoſito totam futuram lucidam.

Quibus miſſis, deplorandis in fidei & religionis negotio fabulis, accedimus ad adſtruendam Dei in mundum *providentiam*, quod aſſertâ creatio-

Digitized by Google

tione non eſt admodum difficile. Neque enim credibile eſt, quod Deus ſapientiſſimus, producto *opere* exquiſite perfecto & admirando, deſerere aut negligere illud voluit, quaſi vel placuiſſet minus, vel probaſſet: nam ii demum abjicere ſua ſolent & non curare, qui vel ea nolunt, quia diſplicet, vel non poſſunt retinere & ſervare, aut regere, quia viribus præpollet, vel invitis ipſis & contra fas eripitur. Quæ vel in Deo, vel mundo reſpectu Dei locum non habent.

Deinde, quod videmus tam diu, & tam bene *conſervari* totum mundum, ut nec ipſe intereat, neque ſpecies ejus ullæ extinguantur, documento eſt, à ſuperiori & potentiori auctore indeſinenter fulciri & ſuſtentari. Quomodo enim aliàs non multa quotidie, uti ſolet cum rebus à nullo curatis, interirent paſſim, & deformem atque mutilum, plurimarum rerum neglectu & occaſu, redderent Univerſum?

Præterea uti Creator rebus non dedit tantum conſiſtere, ſed & vires operandi, naturis ſuis convenientes, quas non minus fovet & ſuſtentat, ita *regi* omnia videmus modo & ordine ſapientiſſimo, tum in iis quæ pro ordine conſtituto ſunt, quam quæ extraordinariò fiunt. Et ſi vel in domo, familiâ, ſcholâ, aut civitate & imperio, ubi quæque videmus ordine fieri decentiſſimo, & in uſus ac commoda ſingulorum, non poſſumus non agnoſcere & prædicare ſapientiam, cujuſcumque illa, tam egregie moderantis; ita in hoc rerum Univerſo demens & vecors ſit, qui ſpectato ſingulorum, uti geruntur in cœlis atque terrâ ordine, non deprehendat, miretur, colat immenſam illam vim divinæ providentiæ, quæ omnia tam ſapienter diſponit, & fortiter movet, dirigitque?

Quod ut in aliis obſcurum ſit, in *homine* ejuſque gubernatione adeo eſt manifeſtum, ut, qui hominis ingenium poteſt perſpicere in rebus ab ipſo ordinatis, geſtis, non poſſit quoque in hominum ipſorum regimine obſervare Dei manum, & humanum genus totum, & univerſas ejus actiones ac negotia moderantem, regentem, diſponentem, in fines ſibi præſtitutos, næ dignum ſe præbet is, nihil unquam ut videre poſſit aut obſervare.

Denique niſi Deus omnia regat ſapientiâ ſuâ & bonitate, quorſum eſt, quod homines eum colunt, *orant*, & præſentem ac futuram ejus opem implorant, vel ſollicite ambiunt, ſi nihil ſciat, vel agat, vel curet ſui, aut alieni, ſed iners torpeat circa res omnes, quas curæ ipſi eſſe humanum genus ſibi perſuadet, & credit, interim turpi otio fruens, res cæco ac in-

S ſano

Digitized by Google

ſano ductu permittat rotari ac ruere, nullo eas ſtudio vel arbitrio regens aut gubernans?

Hic verò *Fortunam* alii, alii *Fatum* introducunt, pari temeritate, ac inſaniâ: Fortunam, quâ cæco impetu ferantur omnia; Fatum, cui ipſe Deus ſcilicet ſubjaceat:

Nos facimus fortuna Deam, cœloque locamus.

Seneca in Hippolyto:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitque manu
Munera cæca.

Sive ſit Genius aliquis, uti Platonicis viſum: ſive quod Philoſophis, cauſa per accidens agens; aut quod Mathematici contendunt, influxus Siderum occultus & efficax, præſertim Lunæ: de quibus videre eſt, Plutarchum, in libello, *de Fortunâ*; Dionis Chryſoſtomi *Orationem* LXIII. & ſeq. Lilium Gyraldum, *Deorum Syntagm.* XVI. & Voſſium, *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 43. Quanto melius divinæ providentiæ aſſignentur, quæ etiam in iis, quæ maxime fortuita putantur, ideo quod eorum cauſa non æque manifeſta, vel inexſpectatus eſt eventus, eſt liquidiſſima. Uti quod fortuito caſu, aut cæco jaculi ictu forte configitur, qui occidi meretur: caſu dicas factum, quod cauſa proxima, vel manus non deliberatò in iſtum intendens ſagittam, per accidens illud faciat; at procul dubio ſuperioris providentia & vindicta ſic moderatur, ut non temere videas pœnam ſumi à ſcelerato, qui ut omnes fugiat, non latet oculum & manum cuncta cernentis & regentis Dei. Claudianus in Ruffinum, lib. I.

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum
Abſolvitque Deos.

Sophocles Tragicus:

Οὐκ ἔϛιν ἡμῖν ὐδεμία τύχη Θεός.
Οὐκ ἔϛιν, ἀλλὰ ταὐτόματον, ὃ γὰρ
Ω'ς ἔτυχ' ἑκάϛῳ, πϱοσηγορεύεται Τύχη.
Fortuna non eſt ulla, quam dicunt, Dea,
Non eſt, ſed unicuique ſi quid contigit
Caſuque ſit, fortuna nobis dicitur.

Jam *Fatum* qui ponunt, ex alterâ parte peccant; & tum in Deum ſunt injurii, quem neſcio quibus Parcarum numinibus adſtringunt & ſubjiciunt; tum in cauſas ſecundas, quarum vim, uſum, & libertatem hoc modo tollunt. Sed nos fato omni ſuperiores ſumus: uti Tatianus loquitur, in Oratio-

tione, ἡμεῖς δὲ καὶ εἱμαρμένης ἐσμὲν ἀνώτεροι: niſi per Fatum divinam voluntatem, & providentiæ divinæ vim quis intelligat: quo caſu, cum Auguſtino dicimus, *quæ ſi propterea quiſquam Fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.* lib. 5. de civit. D. cap. 1.

Cæterum, uti adverſus creationem Gentiles aliquando objecerunt, tanquam abſurdum, quod ſic Deus rerum etiam *viliſſimarum*, ſi omnium in mundo, ergo formicarum, & muſcarum ſtatueretur cauſa: parum attendentes, in iſtis ipſis vilibus animalculis omnem hominum vim & ſapientiam coargui, ut qui tale quid nihil producere arte ſua vel ingenio poſſunt: & tum in ipſis, tum viribus, quibus pollent, eo ipſo magis admirandam eſſe Dei ſapientiam, quo viliora apparent, in quibus non vileſcit ejus operatio, uti neque in aliis attollitur: idem, dico, eâdemque dementiâ, à multis adverſus Dei providentiam adſertur, ſi eâ totum mundum complectatur: quum tamen videamus, & quam iſtis minoribus etiam vita noſtra egeat, & quanta ſæpe iſtis Deus operetur. Hieronymus, prooemio in epiſt. ad Philemonem, *quod ſi non putant eorum eſſe parva, quorum & magna ſunt, alterum mihi conditorem juxta Marcionem, & Apellem, formicæ, vermium, culicum, locuſtarum: alterum cœli, terræ, maris, & Angelorum debent introducere.* Quod idem ſibi objicit Arnobius, 11. contra Gentes.

Deinde obvia apud omnes eſt objectio, quomodo, ſi divinâ providentiâ mundus regitur, *piis* male, *improbis* bene eſt, & fluunt his omnia ex voto, illis ſecus? Quæ etiam Lucianus Jovi ſuo objicit, & exprobrat, dum eum ἐλέγχει. Ovidius, Eleg. 8. *Cum vexent mala fata bonos, ignoſcite faſſo, Sollicitor nullos eſſe putare Deos.* Claudianus in Ruffinum, lib. 1.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu. &c.

Sive, uti Seneca rem proponit: quare bonis viris mala accidant, cum ſit providentia? ubi non præſupponit modò, ſed ſupervacuum cenſet oſtendere, *non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe*: & ad ipſam quæſtionem adfert certè egregia & ſolida, quæ quis miretur in Gentilem cadere potuiſſe. Primò ait, ſic Deum agere cum probis, uti cum filiis ſuis, quos impenſe amat, & quia amat, variis exercet: *cogita filiorum nos modeſtiâ delectari, vernularum licentiâ*:

Digitized by Google

illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat, bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, ſibi illum præparat. Imo inquit, nihil *accidere bono viro mali poteſt. -- Omnia adverſa exercitationes putat.* Citat illud Demetrii ſui dicentis, nihil ſibi infelicius videri eo, cui nihil unquam evenit adverſi. Non licuit enim illi, ſe experiri. Et ipſe cap. 5. *ſemper eſſe felicem, & ſine morſu animi tranſire vitam, ignorare eſt rerum naturæ alteram partem.*

Nec ferè aliter reſpondent ad præſens argumentum Chriſtiani, quouſque ex ratione diſputant, & rerum naturâ. Cum apud Minutium, Cæcilius objeciſſet, *quod ſi mundus divinâ providentiâ, & alicujus numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris & Dionyſius regnum; nunquam Rutilius, & Camillus exilium; nunquam Socrates venenum:* reſpondet Octavius, *Chriſtianus miſer videri poteſt, non eſſe.* Dixerat, *ut aurum ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quam pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur, cum adverſum minas, & ſupplicia & tormenta componitur? cum ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens inſultat? cum libertatem ſuam adverſus reges & principes exigit? ſoli Deo, cujus eſt, cedit? cum triumphator & victor, ipſi qui adverſum ſe ſententiam dixit, inſultat? vicit eum, qui quod contendit, obtinuit.* Similia habet Seneca, cap. 2. de providentia, ſive libello ſtatim citato.

Quinimo omnes adverſus Dei providentiam illo fuerunt uſi argumento. Et refellit Cicero lib. 3. de naturâ Deorum, ad productum Telamonis verſum:

Nam ſi curent, bene bonis ſit, malè malus: quod nunc abeſt.

Lactantius lib. 1. cap. 2. *& alii nonnulli, qui putaverunt deos eſſe: quid aliud effecerunt, niſi ut nulla eſſe providentia putaretur? quos tamen & cæteri philoſophi ac maxime Stoici acerrime retuderunt, dicentes, nec fieri mundum ſine divina ratione potuiſſe; nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quamvis academicæ diſciplinæ defenſor eſſet, de providentia gubernatrice rerum & multa ſæpe diſſeruit, Stoicorum argumenta confirmans, & nova ipſe afferens plurima: quod facit tum in omnibus ſuæ philoſophiæ libris, tum maxime in iis, qui ſunt de Natura deorum.* Quæ ex Gentilibus, contra Gentiles allata, eo ſunt validiora.

Auctor libri *de mundo*, apud Ariſtotelem, cap. 6. ἀρχαῖος μὲν τις λόγος καὶ πάτριός ἐςι πᾶσιν ἀνθρώποις, *vetus ſermo eſt, & à majoribus proditus inter omnes homines, univerſa tum ex Deo, tum per Deum eſſe conſtituta; & naturam nullam per ſe ſufficientem, aut ſubſiſtere poſſe citra ejus præſidium.*

dium. & cap. 1. mundum dicit eſſe *σύστημα, τάξιν τε καὶ διακόσμησιν, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένην, quæ à Deo & per Deum aſſervatur.* Et Epictetus, apud Arrianum, *diſcendum ante omnia, unum eſſe Deum, omnia regere, omnibus providere; quidquid vero faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere poſſe.* Quare Lactantius recte ad prolatam Epicuri ſententiam, vel impietatem, negantis Deum ejuſque providentiam, & Ciceronis adverſus eum diſputationem, lib. 1. *nec difficile ſane fuit, paucorum hominum prave ſentientium redarguere mendacia teſtimonio populorum, atque gentium in hac una re non diſſidentium.* Certe & Brachmanni hodie providentiam agnoſcunt, quam Brammæ ſuo adſcribunt, uti creationem. & nunquam defuerunt philoſophi, & hi quidem magni ac nobiles, teſte Cicerone, qui providentiam aſſeruerunt: quorum aliquos etiam producit Theophilus, ad Autolycum, lib. 2.

Propter illam de bonis, & malis, quæ in mundo promiſcue accidunt, objectionem, aliis viſum fuit *duo* conſtituere rerum *principia*, boni unum, alterum mali, & hoc etiam pro Deo agnoſcendum, ſaltem metuendum eſſe. Quâ de re Plutarchus, in libello *de Iſide, & Oſiride.* Quæ etiam apud Perſas Theologia fuit Zoroaſtris, ſub ſymbolo Orimaſdis, & Arimanii, illo lucis, hoc tenebrarum auctore. Unde & Manem deliria ſua Manichaica de duplici principio, altero Deo, & Hyle altero, hauſiſſe, credibile eſt: nam Perſa natione fuit, & Perſicis diſciplinis, ope ac ſumtibus Viduæ alicujus, inſtructus. Et ex eodem fonte apud Indos plurimorum ſententia, & cultus Diaboli fluit, ſaltem ne ipſis noceat. Impie prorſus & perperam, quia & mala omnia ſubſunt divinæ providentiæ, regenti mala, & permittenti, quamvis mala ipſa, quæ verè talia, id eſt, peccata ſunt, non efficiat, ſed tantùm ob fines, certò ipſi conſtitutos, eoſque in univerſi bonum, non impediat; ſed tum ſapientiam in iis, tum juſtitiam, in puniendis improbis, oſtendit ac declarat. Quemadmodum diſputationibus Auguſtini, & aliorum, adverſus Manichæos, clarum eſt.

Cæterum providentiam agnoſcunt, ne de antiquis dicamus, hodierni in Indiâ Guzurattenſes, & apud Sinenſes ſecta præcipua Philoſophorum: qui quò propinquiores veritati, eo & minus difficulter convertuntur.

CAPUT SEXTUM.

De homine, immortalitate & ſtatu animæ poſt mortem, & mortuorum reſurrectione.

PErgimus ad *hominem*, in quo animam rationalem agnoſcunt omnes, niſi Dicæarchum fortè excipias apud Ciceronem, & paucos alios, qui nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe nomen totùm inane contendebat, neque in homine ineſſe animum, vel animam, neque eum eſſe quidquam niſi corpus unum, & ſimplex ita figuratum, ut temperatione naturæ viget & ſentit, ſtatuebat. Quale quid de animâ etiam inter Japonios, & Sinenſes plurimi ſtatuunt. Jam verò *immortalitatem* ejus, quam alii in dubium trahunt, alii inficiantur, probare tempus eſt: nam eo uſque noſtra proceſſit diſputatio. Apud Ciceronem, Tuſcul. 1. Epicuræi contendunt, animas eſſe mortales; Stoici, non negant eas manere poſt mortem, ſed aliquandiu, ajunt, non ſemper. Miror maxime Plinium, ſcribentem, lib. 7. cap. 53. *nec magis à morte ſenſus ullus aut corporis, aut animæ, quam ante nativitatem.* Contrà ejus immortalitatem docuerunt, Muſæus, Orpheus, Homerus, Thales, Pythagoras, Empedocles, Plato, Cicero, Druides, Germani, Thraces, alii. Platonem autem ab Hebræis illud didiciſſe, exiſtimat Euſebius, *Præpar. lib.* 11. *cap.* 14. Similiter & hodie variæ quidem ſunt Gentilium de animâ opiniones, at immortalitatem ejus alii non inficiantur. Valde ſuper eo diſcrepant Sinenſes, etiam Japonii, qui illos in pleriſque ſequuntur. Negant alii hominibus ineſſe animam: alii mortalem, ajunt; alii, immortalem: vel ad tempus quidem vivere, in alia corpora migrantes; non autem ſemper, vel in metempſychoſi, vel ab eâ.

Inter Brachmannos eſſe, qui animas volunt ab æterno extitiſſe in Deo, tamquam in mari, ex quo poſtea effluxerunt, vel ſaltem ante creatum mundum fuiſſe, & pòſt in corpora, tamquam in carcerem, immitti, ejuſdemque ordinis & naturæ eſſe animas beſtiarum, & hominum, diſcrimen à differentiâ corporum oriri; plures tamen ſtatuere animarum immortalitatem, & durationem æternam, auctor eſt Rogerius. Et Bartrouherri inquit, in Apophthegmatibus, *quis fructus ex lectione Vedam, Poranem, & Jaſtra, niſi ut adipiſcamur Surgam*, id eſt, cœlum? *Quod eſt inſtar lucri mercatorum. Satius eſt perpetuò Dei meminiſſe, atque ita ſervare animam, quæ ſemper durat.*

Sic

Sic autem animæ probamus immortalitatem. 1. Ex ejus *ſubſtantiâ*; quia eſt ſpiritualis: quod patet, ex ejus operationibus ſpiritualibus. Operatio omnis corporis eſt corporalis, & materialis, neque ultra vim corpoream excedens: at ſuperior corpore eſt anima, quæ corpus cognoſcit, permeat, & regit, non contrà, ideoque alterius & ſuperioris eſt naturæ illo. Uno ictu & actu pervolat tranſvolatque omnia, quod corporale nihil poteſt, cujus uti natura, ſic & operatio habet dimenſionem, in longum, latum, & profundum. Quantitatis, & materiæ, in qua eſt quantitas, eſt eſſe extenſum; non quod corpus ſit extenſio, ſed extenſum, ſive materia extenſa: ſpiritus verò rationalis, uti, quâ ratione ſpiritus eſt, eſſe incorporeum, ſic quâ parte rationalis, cognoſcere ei proprium; non ipſa cognitio, vel cogitatio, aut merus actus, neque enim per eſſentiam ulla creatura intelligit, ſed ſolus Deus; ſed ens, ſive ſpiritus intelligens: & etiamſi ſemper cogitaret, non tamen ipſa eſſet cogitatio; quemadmodum quæ ſemper in naturâ moventur, uti ſol, cor &c. non tamen ſunt ipſa motio, ſed ſubſtantiæ ſic vel aliter moveri natæ: alterum vero alteri non eſt tribuendum, neque commiſcenda inter ſe, vel corpori attribuenda ratio intelligendi; vel intelligenti animæ ratio corporalitatis: & ſic, uti anima & non corpus, in homine intelligit, ita ſpiritualis eſt, non corporalis. Corpus non intelligit: nam ſic quid ni intelligerent omnis corporis partes? quod non eſſe ſatis eſt manifeſtum. At ſi alia præter & ſupra corpus ſubſtantia intelligit: neque enim intelligere eſt accidens corporis, uti ex allatâ ratione conſtat: & nulla in homine præter corpus alia ſit quæ hoc agat, præter animam, ſequitur, hanc, uti intelligentem ſolam, ita non corporalem eſſe, ſed ſpiritualem. Atqui ſi eſt ſpiritualis, jam nec naturæ nec qualitatis ejuſdem cum corpore: ac propterea citra ejus diſpendium vel corruptionem, interire corpus poteſt, & diſſolvi. Natura ſubſtantiæ ſpiritualis uti non pendet, neque oritur à corpore, ita ab eodem neque perimitur. Si ergo ſeparari à corpore Spiritus poteſt, ut corpore intereunte non neceſſe habeat perire & ipſum, ergo non eſt mortalis cum diſſolutione vitæ & corporis. Quod erat probandum.

Secundò, Cujus *operatio* non dependet in ſe & naturâ ſuâ à corpore, ejus neque à corpore pendet exiſtentia: quod ſi verum, ergo deſinente vel non amplius exiſtente corpore, non propterea ceſſat vivere aut exiſtere anima. Jam verò certum iſtud in Philoſophiâ eſt axioma, quod qualis eſt eſſendi ratio, talis quoque ſit operandi, vel quod modum eſſendi ſequitur modus operandi: quæ ergo anima in ſuâ operatione non eſt illigata corpori,

Digitized by Google

ri, non eſt quoque in ſuâ exiſtentiâ. Operatur quidem in corpore, & utitur tum ſenſibus, tum ſpeciebus corporeis in phantaſiâ; ſed non quaſi aliter per ſe non poſſit, ſed quia in corpore aliter non debet, propter commercium vitæ cum corpore. Interim quandoquidem in iſtâ operatione excedit naturam & vim corporis ac corporalium idearum, altioris ſe oſtendit eſſe conditionis & naturæ, quam corpus. Nihil eſt in intellectu hominis in corpore viventis, quod non fuerit prius in ſenſu aliquo, & phantaſiâ, vel totum vel ex parte, vel ut cauſa vel occaſione, videlicet rerum corporalium externarum extrinſecus advenientium, & naturalium, atque objectorum hinc cognitorum: verùm anima iſtis nec detinetur, neque aſſimilitatur, ſed eas potiùs aſſimilat ſibi. Eo quod anima cognoſcit corpus, quod nequaquam cognoſcit ſeipſum, aut alia, quod à corpore abſtrahit, & cognoſcit alia, quæ corpus, & corpoream omnem rationem immenſum excedunt; denique ſeipſam, cognitione non modò abſtractivâ, ſed intuitivâ, probatur operatio ejus ſpiritualis: & quæ in corpore etiam exiſtens ſic ſpiritualiter operatur, & non corporaliter; ea quoque ſine corpore & extra illud exiſtere nata eſt, & operari. Eſt cognitio in homine ſimpliciter rem apprehendens, tum judicans, ſive noëtica & dianoëtica, non quod ſimpliciter apprehendis, eo quod apprehendis, ſive clare id facias quomodocunque & diſtincte, non propterea verum eſt; quia claritas & evidentia adjuncta ſunt cognitionis, non argumentum rei cognitæ; atque uti obſcuritas in concipiendi modo non eſt ſignum erroris, ita neque ſimplex claritas, veritatis (uti claritas non eſt ſignum veritatis in ſermone) ſed in judicio dianoëtico, ſi cum veritate, aut ejus definitione rem convenire cernis, quoque hoc clarius & diſtinctius, eo melius & perfectius, hinc argumentum veri conceptus petendum venit, nempe ex conceptus veritate, ſive conceptus formalis cum objectivo conformitate, non ex nudâ ejus claritate: denique eſt reflexiva cognitio animi in ſemet ipſum, quo ad ſua recurrens, novit quid ipſa ſit, quæque apud ſe habeat: quæ quum nullum corpus poſſit, animæ demonſtrant diverſæ à corpore eſſentiam, vim, &, liceat ita dicere, ſupercorporalitatem. Unde jam concludimus, animæ à corpore exiſtentiam & durationem, & quod non ſit cum corpote mortalis.

Tertio, quod non eſt *compoſitum* ex partibus materiæ in ſe contrariis, quarum altera in alteram agat adverſis qualitatibus, ſeque tandem invicem interimentibus, illud non poteſt dici mortale: quia non aliunde mors naturaliter exiſtit, quam ex illâ reactione diverſarum qualitatum mutuâ, calore humidum, frigore calorem &c. ſuperante. Jam verò hæc quia in animâ

Digitized by Google

mâ locum non reperiunt, neque enim illa per ſe calida eſt aut frigida, vel qualitatibus primis prædita aut obnoxia; non quoque eſt mortalis, ſed per ſe ſubſiſtens à corpore, & immortalis.

Quarto, ex ingenito *appetitu* immortalitatis, & beatitatis argumentamur, ad probandam animæ immortalitatem: ſiquidem natura nihil fruſtra facit, vel nobis ingenerat: inſerit verò omnibus iſtum appetitum, quo in illa naturâ ferimur: atque uti non poteſt eſſe beatus homo, niſi quoque immortalis, neque enim in hac vita ſe videt obtinere beatitudinem, non certe omnem, quam cupit, & deſiderare ac quærere poteſt; manet, eam ſervari vitæ, poſt hanc, alteri. Beſtiis & animalibus quem vel quarum rerum appetitum natura indidit, exſatiat quoque, ubi nimirum illa ipſis conceduntur, quibus acquieſcunt: homini verò tale impreſſit rerum plurimarum deſiderium, ut in hac vitâ nunquam plene ſaturetur; nemo etiam exiſtat qui non fateri debeat, plura ſe concupiviſſe, quibus nunquam ſatis ex voto potitus fuit, & tamen illa in ſe experitur deſideria in immenſum, & durationis, & cum duratione felicitatis: niſi ergo dixerimus, non modo fruſtra aliquid naturam feciſſe, quod non eſt fas admittere; ſed quoque in præcipua creaturâ circa præcipuum objectum appetitum ejus defeciſſe; agnoſcendum eſt, animam datam eſſe immortalem, & beatitudinis omnis, pro ratione vitæ anteactæ, capacem.

Non eſt gens tam avida & ſtudioſa vitæ longioris, quam Sinenſes: unde qui ejus artem profitentur impoſtores magno in pretio haberi ſolent; vel etiam qui alchymiam venditant, quæ duo ad amentiam propè conſectantur. Quare contigiſſe aliquando narrat in epiſtolis ad Generalem Claudium Aquavivam, Nicolaus Trigautius, a. cIↃIↃcx. impoſtorem aliquem, qui pharmacum prorogandæ vitæ miſcere ſolitus erat ex puerorum mactatorum ſanguine, detectum ab aliquâ ſuarum pellicum, quas alebat domi plurimas, & convictum coram Magiſtratu, infandam luiſſe pœnam, decreto ei ſupplicio, ut ad palum ligato vivo, ex corpore ejus novacula reſecarentur carnis fruſtula ter millia, ut tamdiu vid. protraheretur in mediis cruciatibus ejus vita, qui nefariâ arte vitæ prolongationem fuiſſet mentitus: quæ ubi ad Regem delata ſententia, ut ex more in re tam gravi & inſolenti comprobaret, eam non tantum ratam habuit, ſed & imparem tanto crimini videri ſibi, infligendam tamen, quia majorem non inveniret, reſcripſit; atque ita tamdiu ille miſer excarnificatus, quamdiu in toto corpore locus aliquis vulneri patuit, in ter mille fruſta diſcerptus. Quæ confirmat lib. I. Commentarii, *de expedit. apud Sinas, Chriſtiana*,

Digitized by Google

cap. 9. ubi duplicem hanc notat, Sinarum inſaniam; conflandi argenti, & adipiſcendæ, citra mortem, immortalitatis. Cujus utriuſque rei præcepta putant à Veteribus quibuſdam, quos in Sanctorum numero habent, & poſt multa præclarè ac utiliter geſta, animâ ſimul & corpore evolaſſe in cœlum, dum hic vivere pigebat, inventa & tradita poſteris, eorumque volumina apud eos complura extarè, partim excuſa typis, partim manuſcripta: *ditiſſimi enim quique poſt exhauſta multa aureorum millia in hujus fraudis apparatu, quotidie in conſpectu omnium ad extremam inopiam rediguntur, qui vero ſunt in hoc genere feliciſſimi, adulterinum argentum ita conflant, ut in errorem imperitiores paucos inducant.* Alterum verò ſtudium ita primores occupat, ut in regiâ Pequinenſi, in quâ degebat Trigautius, ſcribat, paucos fuiſſe vel ex Magiſtratu, vel ex Eunuchis, qui non iſto morbo conquirendæ immortalitatis laborarent. Atque ex Sinicis Annalibus refert, Regem quendam hoc pacto ab iſtâ inſaniâ liberatum. Paratum erat poculum impoſtorum quorundam arte, quod hauſtum immortalitatem allaturum pro certo pollicebatur, à quo quum nullis rationibus avocari per amicum melius ſapientem Rex poſſet, ille, Rege non advertente, poculum clam arripuit & exhauſit: quod ægerrime ferens Rex, ſtricto mucrone Amico intentabat mortem: ad quod ille intrepide: *itane exhauſto immortalitatis poculo me etiam confodi & mori poſſe putas? ſane ſi vita mihi adhuc eripi poſſit, nullum quidem admiſi crimen, qui non immortalitatem tibi eripui, ſed te liberavi fraude.* Quibus dictis Rex illico acquievit, collaudatâ Amici, quâ ab errore revocabatur, prudentiâ. Utcunque verò Sinis non deſint viri ſapientes, impoſturam illam clare detegentes, & qui utramque illam inſaniam ipſorum animis eximere allaborant, non tamen efficere poſſunt, quin quotidie latius ſerpat, & ſupra præteritorum temporum memoriam, plures ſemper occupet ac dementet. Martinius, in Hiſtoriâ Sinicâ, lib. 8. Regem illum dicit fuiſſe Cheum Hinoum, qui ante Chriſtum vixit a. CXL. & neque ſic tamen deſtitit à quærendâ in hâc vitâ immortalitate, cui ſtudio qui ſemel ſe addixere, difficilimè curantur, quum eam maxime quærant artis chymicæ beneficio, qua non tantum aurum & argentum ſe facturos credunt, ſed & medicinam illam, qua ſumta vivant in æternum, quod unum ſibi ad felicitatis apicem deeſſe Sinici Imperatores arbitrantur. Unde titulus ille, quo præcipue delectantur, & vocantur ab omnibus *Vau Vau Sui*, quod decem annorum millia ſignificat, eaque ſibi vanè pollicentur. Curarat iſte Hiavus ſibi extrui palatium ex meris lignis odoriferis, cedro, cypreſſo, camphura, & id genus aliis, cujus
odor

Digitized by Google

odor ad viginti ſtadia ſeſe diffundebat: In quo & ingens cuprea pelvis, qua ros in ſingulos dies colligebatur, quo uniones, æternæ vitæ medicinam, macerabat, quibus ex impoſtorum fraude ſperabat ſe futurum immortalem. Jam quo fortior iſte in vitam ſemper prorogandam appetitus, eo & argumentum noſtrum, quod attulimus, magis ſtringit, & hoc minus illi ſaltem animarum immortalitatem poſſunt negare, aut trahere in dubium: vel ſaltem hoc facilius illi redarguendi & convincendi.

Quinto, ex ratione *præmii* & *pœnæ* conſtitutæ bonis maliſque operibus, oſtendimus animæ immortalitatem: quia primum id de omnibus intelligitur operibus, quandocunque & à quocumque præſtitis: ergo & conſtantiæ, & pietatis quoque ſub ultimum vitæ finem, vel contrariis vitiis iſto tempore admiſſis ſua quoque poſita eſt merces: at quando conferenda? jam enim inſtat vitæ terminus, ut niſi poſt hanc vitam vivatur, illa ſaltem opera, forte ſumma & præcipua, deſtituentur ſuo præmio. Neque minus tum & ſperabit vir juſtus juſtitiæ & patientiæ mercedem, quam antea, nec prohibetur id facere, imo nunquam forte vel majora præſtitit, aut paſſus eſt, vel magis conſtanter & pie, ut animum ſpe promiſſi ſuſtentare & erigere nunquam adeo debeat quam tum: quare ſi & omnibus operibus, & ſemper debetur ſua merces, atque exſpectatur, jam & poſt mortem vivere hominem, & frui illis neceſſe eſt. Eo magis, quo in hac vita non ſatis vel præmii & felicitatis pro pietate, vel ſuppliciorum pro ſcelere videntur pati homines, quin probis male, & impiis bene eſſe vel ſæpiſſime obſervatur. Manet ergo vita, poſt hanc, altera, in qua omnia juſte pro ſingulorum meritis & conditione diſtribuantur & erogentur, bonis, quæ haud fruſtra exſpectarunt, bona; malis, quæ non vanè ipſis conſtituta, neque ſatis in vita tulerunt, condigna ſupplicia. Hoc magis, quo, uti Plato ſcribit, lib. I. Republ. *cum jam quis eſt, ut moriturum ſe putet, arripit ipſum metus & ſollicitudo eorum etiam de quibus antea non cogitarat.* Exemplo ſit Tiberius, in hac ejus ad Senatum epiſtola: *quid ſcribam vobis Patres conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dii me Deæque pejus perdant quam perire quotidies ſentio, ſi ſcio.* apud Tacitum, Ann. VI. Seneca, Epiſt. CXVII. *cum de animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac perſuaſione publicâ.* Noti Cæſaris Adriani verſus ſunt:

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,

Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut ſoles, dabis jocos.

Adde Gentilium variorum teſtimonia, pro animæ immortalitate, apud Steuchum Eugubinum, *lib. 9. de perenni Philoſophia,* & quæ pridem collegit Elias Schedius, *Syntagm. 2. cap. 19. de Dîs Germanis.*

Non verò prætereunda hoc loco oratio, quam Petrus Martyr, Mediolanenſis refert, habitam ad Præfectum Hiſpanicum, ab homine Americano, ſene octuagenario, gravi quidem, ſed nudo; in Oceanicis, Decade 1. lib. 3. *Terras omnes iſtas hactenus tibi ignotas, manu potenti te percurriſſe, renunciatum nobis fuit, populiſque incolis metum non mediocrem intuliſſe. Quare te hortor moneòque, ut itinera duo, cùm è corpore proſiliunt, animas habere ſcias: tenebroſum unum ac tetrum, his paratum, qui generi humano moleſti infenſique ſunt: jucundum alıud & delectabile, illis ſtatutum, qui pacem & quietem gentium viventes amarunt. Si igitur te mortalem eſſe, & unicuique pro præſentibus operibus futura merita obſignata memineris, neminem infeſtabis.*

Atque hæc de immortalitate animæ dicta ſunt; quæ contra eam adferuntur à Gentilibus, non memini nos legiſſe, niſi ridicula, quæ refelli non merentur: & ipſe Pomponatius, qui in libro *de immortalitate animæ,* eam quidem ex poteſtate & voluntate Dei aſſerit, at vix idem ex naturâ oſtendi poſſe; quare ſimpliciter mortalem eſſe, ſecundum quid verò immortalem contendit, cujus primùm argumenta Javellus, non indignante ipſo Pomponatio, tum Sirmundus diſcuſſit, peculiari libro, *de immortalitate animæ;* ille dico Pomponatius, in diſputationis & libri ſui fine cogitur quoque fateri, mortalitatem animæ, nec à ſe, nec ab ullo hactenus demonſtratam eſſe, aut omnino demonſtrari poſſe. Quod nobis hoc in loco ſufficit, dum nulla in contrarium argumenta adferri poſſunt, noſtris ſalvis & integris, quæ & hoc probabiliora, quod pro homine loquuntur, in ejus commodum & dignitatem, quo præſtat vivere quam mori, & præſtantius eſt in æternum vivere, quam morte extingui & evaneſcere.

Galeno autem, in lib. *quod animi mores, &c. cap. 3. & 9. de placitis Hippocratis & Plat.* adverſus Platonis, de immortalitate animæ ſententiam, objicienti, quod ſi in vivis adhuc fuiſſet Plato, eum interrogaturus eſſet, qui poſſibile foret, animam rationalem eſſe immortalem, quum adeo facile per calorem, frigus, humores, & ſiccitatem alteretur; prorſus etiam ceſſet, aut propter intenſum aliquem calorem præternaturalem,

aut

aut quando nimiam ſanguinis copiam homo emittit, aut cicutam bibit, vel alias patitur corporis alterationes; reſpondet Micrælius, in *Ethnophronio*, *lib.* 1. *Diat.* 3. *cap.* 13.

Non mori ſtatim & interire cum corporibus animas ſaltem ii debent agnoſcere, qui docent animarum *tranſmigrationem* de corpore in aliud, quamvis nec ſic ſemper victuras, ſed & aliquando extinctas iri, credant. Nihil autem hoc abſurdius commento fingi poteſt, ſive hominum animas, à morte, *in humana*, ſive *beſtiarum* corpora tranſire velint: nam diverſimode de hoc ſentiunt & loquuntur. Judæorum ſimiles conceptus antehac deteximus in libris, *de Converſione Judæorum*: nunc nobis res eſt cum Gentilibus. Apud quos primi Ægyptii, teſte Herodoto in Euterpe, docuerunt animas eſſe immortales, & corpore intereunte tranſire in animalia alia, denique iterum in corpus humanum. Et ab his illud hauſit Pythagoras: uti docet Euſebius, *de præparat. lib.* 10. *cap.* 3. Ovidius, Metamorphoſ. xv.

Morte carent animæ, ſemperque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.
--- & quoſlibet occupat artus
Spiritus, éque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit ullo.

Gallorum Druides idem credidere, teſte Cæſare, lib. VI. de Bello Gallico, *non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios.* Vide etiam Platonem, in Phædone: & Euſebium, de Platone, iſtâque ejus ſententiâ, *l.* XIV. *Præparat c.* X. Indi hodie, propter iſtam cauſam, erga animalia ſæpe benigniores ſunt, quam quidem erga homines: quorum animas, prout hic ſe geſſerunt, in corpora alia intrare, poſt mortem, opinantur. Omnibus præferunt vaccas, animal domeſticum, mite, ampli & commodi pro animabus domicilii, quarum caudas à moribundis teneri jubent, ut mox in eas intrare poſſint: non occidunt, lædunt, vel comedunt, ſed impenſe curant, hoſpitalia iis curandis fovendiſque inſtituunt, & magna ſolemnitate celebrant eorum nuptias, præſertim tauri, & vaccæ: in quas multa ſæpe ducatorum impendunt millia: quod, ſe in Indiis agente, in oppido Diu contigiſſe, Texeira auctor eſt. Japonii verò amant abire in lupos, quod hoc ſit animal non vile, vel infra alia, ſed in alios potius dominetur, & omnibus ſit terrori.

Neque in animalia tantum tranſire animas credidere, ſed & in *plantas*, in fabas: quam ob cauſam Pythagoras ab hoſtibus comprehendi & occidi

Digitized by Google

maluit, quam in agro fabis pleno ſe occultare, ne forte illas contereret, dicens, ἁλῶναι μᾶλλον ἢ πατῆσαι: uti eſt in ejus vita, apud Laërtium.

Nihil autem ineptius, & quod ſive cum *hominum*, vel animarum humanarum dignitate; vel ſtatu & irrationalitate *brutorum*, vel denique cum ratione *informandi* corpus aliud, poſt ſuum ſingulis proprium, minus poſſit conciliari, quam inſipida & delira animarum metempſychoſis. Unde Lactantius, lib. II. cap. XIX. *Sed videlicet Pythagoræ credidit, qui ut vetaret homines animalibus veſci, dixit animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare: quod & vanum, & impoſſibile eſt: Vanum, quia neceſſe non fuit, veteres animas in nova corpora inducere, cum idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit ſemper novas facere: Impoſſibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam ſtatus ſui non poteſt, quàm ignis aut deorſum niti, aut in tranſverſum, fluminis modo, flammam ſuam fundere.* Quare Theophilus, lib. III. ad Autolycum, meritò δόγμα appellat ȣ̓ δεινὸν ϗ ἀθέμιτον.

Cæterum in immortali vita, vel fruitur homo *beatitudine*, vel dignas factis luit *pœnas*. Illam pueriliter Gentiles in deliciis & voluptatibus, vel rebus aliis corporalibus conſtituerunt, quæ nec cum gravitate & *dignitate* hominis conveniunt; nec *deſideria* ejus explere valent; ut nil ultra quærat & cupiat; neque *ſummum* dici bonum poſſunt, quo ſemper plura & majora dari poſſunt & concipi. Quod ſi verò ſumma felicitas ſit conſtituenda in *objecto* abſolute ſummo, quo nil excelſius cogitari aut peti poteſt; & perfectiſſima ejus *fruitione*, tum non aliud id eſſe, præter Deum ſummum, debet, & pleniſſimam cum eo conjunctionem. Quare non etiam anima tantum, quam ante omnia ad hoc neceſſe eſt eſſe immortalem, ſed & corpore tandem ſemper vivat homo, requiritur, ut totus toto fruatur Deo, in omne tempus vel æternitatem.

Et hoc eſt quod concupiſcit, quia concupiſcere poteſt. Nuſquam enim quieſcit vel ceſſat in eo quærendi & cupiendi appetitus, ubi terminari ſe poſſe ſentit, in infinitum aliquod naturâ tendens, & niſi hoc, ubi repererit, ſaturandus. Quare in nulla re creata, nedum vili aliqua corporis, felicitas & beatitudo ejus, non ſumma, non æterna collocari poteſt. Confer Ludovicum Vivem, lib. I. de veritate fidei Chriſtianæ.

Nec *ſpiritualis* eſſentiæ anima corporalibus admodum capitur, minime autem expletur: quæ, quantumvis jucunda aut grata extiterint in hac vita corpori; attamen non prorſus omni *moleſtiâ* in ſuo ſingula uſu expertia, animæ jam *ſeparatæ* à corpore, & ſolam medianti perfectionem, ſatisfacere,

cere, & pro vera, perfecta æterna beatitudine commendare ſe neutiquam poſſunt.

In hoc autem argumentum quando inquiſiverunt veteres Philoſophi, ſive quodnam eſſet ſummum hominis bonum, in tot ſententias ac ſectas diviſi fuerunt, ut ex Varrone, in libro *de Philoſophiâ*, Auguſtinus referat, ducentas & octoginta octo ſectas, *lib.* XIX. *de Civitate D. cap.* I. quæ hoc uno convincuntur omnes, quod non dicant ſummum id, propter quod ſint appetenda cætera, ipſumque propter ſeipſum, quum omnia quæ commemorant, ſemper ad altiora deſtinentur, quare nec propter ſe appetuntur, neque ſupremum illud ſunt, in quo liceat homini conquieſcere, præterquam quod difficultates & moleſtias in ſe contineant haud exiguas: uti ſunt prima illa quatuor, ex quibus Varro reliqua deducit, & quæ homines naturaliter appetunt, videlicet, corporis voluptas; quies, qua nullam quis corporis patitur moleſtiam; utrumque illud; aut univerſaliter prima naturæ, vel in corpore quæ ſunt, vel in animo. Errarunt verò, quod in hac vita beatitudinem quæſiverunt, aut collocarunt, quæ non niſi æternæ vitæ eſt propria. Quare Auguſtinus, cap. IV. *illi autem qui in iſta vita fines bonorum & malorum eſſe putaverunt, ſive in corpore, ſive in animo, ſive in utroque ponentes ſummum bonum: atque ut id explicatius eloquar, ſive in voluptate, ſive in virtute, ſive in utraque: ſive in quiete, ſive in virtute, ſive in utraque: ſive in voluptate ſimul & quiete, ſive in virtute, ſive in utriſque: hinc beati eſſe, & à ſeipſis beati fieri mira vanitate voluerunt.* Dum videl. in illis ferè beatitudinem poſuerunt. Rectius alii cum futura vita eam demum exſpectarunt. Elegans magni Catonis vox eſt apud Ciceronem, de ſenectute: *ô præclarum diem! cum ad illud divinum animorum concilium cætumque proficiſcar, & cum ex hac turbâ & colluvie diſcedam!* Et Plotinus propterea, non in hac vita animam pertingere ad beatitudinem, ſed in cœlis, ait, ubi ad æternitatis ſtatum pervenerit, extra tempus & motum poſita, atque in unum & primum bonum intenta: uti diſſerit haud uno in loco, Enneadum I. Quomodocunque appellent illa Gentiles, ſive antiqui, apud quos ſunt campi Elyſii beatorum; Orcus, Acheron, Cocytus inferorum, & neſcio quæ non?

Acherontia templa, alta Orci, pallida
Leti, obnubila, obſita tenebris loca.

Uti eſt apud Ciceronem I. Tuſc. quæſtionum: *tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi Pallida regna*, inquit Lucanus: atque hodierni haud abſimiliter: ita cum animæ immortalitate agnoſcunt ſtatum aut felicitatis, aut infeli-

feli-

felicitatis manere homines eademque exſpectare. Apud Lucianum, Jupiter confutatus: *an ignoras Cyniſce, quanta ſupplicia & cruciatus poſt hanc vitam pravos & ſceleratos homines manere ſoleant, aut in quanta felicitate victuri ſint boni*? Et Clemens, Stromat. lib. IV. merito ſe dicit admirari Epicharmum, aperte dicentem, *ſi fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus: ſuperius manet in cœlo ſpiritus.* & Poëtam Lyricum, canentem: *impiorum vero animæ ſub cœlo volant in cruentis doloribus, ſub malorum jugis inevitabilibus: piorum autem in cœlis habitant,* μάκαρα μέγαν ἀείδοις ἐν ὕμνοις, *cantibus beatorum principem canentes in hymnis.* Arnobius, adverſus Gentes, lib. II. *audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quoſdam ignes, in quos animas dejici ab earum hoſtibus, inimiciſque cognovimus? Quid Plato idem veſter in eo volumine, quod de animæ immortalitate compoſuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluvios, & Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas aſſeverat volvi, mergi, exuri?* Tertullianus, in Apologetico: *Itaque & ridemur Deum prædicantes judicaturum. Sic enim & poëta & philoſophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus, proinde decachinnamur. Sic enim & Pyriphlegethon apud mortuos amnis eſt. Et ſi paradiſum nominemus, locum divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, materia quadam igneæ illius zonæ à notitia orbis communis ſegregatum, Elyſii campi fidem occuparunt. Unde hæc (oro vos) philoſophis aut poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris ſacramentis ut de prioribus. Ergo fideliora ſunt noſtra, magiſque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt.* Ita ridebant Gentes fidem *reſurrectionis* quoque jam initio naſcentis Evangelii, Act. XVII. 32. *Audientes autem reſurrectionem mortuorum, hi quidem irridebant; iſti dicebant, audiemus te de hoc iterum.* Cæcilius, apud Minutium, *nec hac furioſa opinione contenti, aniles fabulas adſtruunt & annectunt; renaſci ſe ferunt poſt mortem, & cineres, & favillas, & neſcio qua fiducia mendaciis ſuis invicem credunt: putes jam eos revixiſſe.* Idem de Celſo, & Gentilibus, myſterium illud ridentibus, teſtatur Origenes, *lib.* I. Arnobius, lib. II. *audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus reſurrectionem futuram. Quid in Politico idem Plato? nonne cum mundus occœperit ab occiduis partibus exoriri, & in cardinem vergere qui orientis eſt ſolis, rurſus erupturos homines telluris è gremio ſcribit, ſenes, canos, decrepitos, & cum anni cœperint accedere longiores, per eoſdem gradus, quibus hodie creſcitur, ad incunabula infantiæ exituros?* De quâ Platonis, pro reſurrectione, ſententia etiam agit Euſebius, *Præparat. lib.* XI. *cap.* XVIII. & quod

Digitized by Google

quod Herum Armenium ſcribit, decimo, alii ajunt, duodecimo poſt mortem die, revixiſſe, Clemens inquit, Zoroaſtrem fuiſſe, *Stromat. lib.* v. De quibus videndus etiam Auguſtinus, *lib.* XXII. *de Civit. D. cap.* XXVIII. ubi mirabilius aliquid, ſic loquitur, ex Marco Varrone profert, Genethliacos quoſdam ſcripſiſſe, eſſe in renaſcendis hominibus quandam quam Græci appellant παλιγγενεσίαν, quam confici volunt annis quadringentis quadraginta, ut idem corpus & eadem anima, quæ fuerat in homine conjuncta aliquando, redeant rurſus in eandem conjunctionem. Quale quid etiam ex libris Chryſippi Stoici de providentia, profert Lactantius, *lib.* VII. Magna autem Platonis revolutio, quam & hodie Gentilium inter Braçhmannos multi ſtatuunt, annos requirit triginta & ſex mille..

Quamvis autem articulum de reſurrectione, ex ſola naturæ luce non putemus poſſe erui & commonſtrari, ſed quicunque eam credunt, habere ex Sacra revelatione; aut iis, qui eâ nixi, illam tradiderunt, ſive à Judæis, ſive Chriſtianis, longa vel proxima traditione: exiſtimamus tamen, eam, ubi revelatur & proponitur rationi, non modo non abſurdam, ſed etiam convenientiſſimam, neque ulla ratione Deo impoſſibilem videri, ut qui condere primò corpus potuit, idem etiam reddere ex cineribus valeat, & reſtituere.

Ut nequidquam vel ejus veritatem, vel fidem illudere aut fruſtrare Gentiles debuerint, in ventum, vel ſupra aquam ſparſis Chriſtianorum martyrum cineribus, ut ne crederent ſe unquam reſurrecturos. Tatianus, in orat. contra Græcos, *ita natus, & per mortem ad non eſſe redactus, atque iterum inconſpicuus oculis, denuo exiſtam, quamvis enim caro tota incendio conſumatur, materiam tamen evaporatam mundus excipit: quanquam aut in fluviis, aut in mari contabeſcam, aut à feris dilanier, condor tamen in penu prædivitis Domini: quod licet pauperes & impii neſciant, Deus tamen qui regnat, ſubſtantiam ſibi ſoli conſpicuam, quando voluerit, ad priſtinam integritatem reducet.* & Athenagoras, de Reſurrectione Mortuorum, nam integrum & eximium de hoc argumento ſcripſit librum: *neque poſſibile eſt, ut Deus ignoret, vel ex parte vel ex particulâ naturam corporum reſurrectioni deſtinatorum. Neque enim latere poteſt, quo ſingula ex tabidis membris abierint, & quæ in ſe elementorum partes putrefactæ receperint, & in cognatam naturam admiſerint, tametſi omnino apud homines id quod rurſum univerſitati elementorum affuſum eſt, inſecernibile videatur & indeprehenſibile. Si enim corpora, cum non eſſent, condidit, eorumque principia unde originem trahunt, procreavit; etiam quomodocunque diſſoluta, eâdem facilitate inſtaurabit.* Me-

minerat jam Tatianus, in Orationeſuâ, Zenonis, ejuſque ſententiæ, quâ ſtatuit, mundo per conflagrationem renovato, eoſdem rurſus homines ad eandem vitam, eademque facinora reſurrecturos: ut Anytum & Melitum ad Socratis accuſationem, Buſiridem ad tollendos hoſpites, Herculem ad repetendos certaminum labores & ſic porro.

Quippe mundum tandem *conflagrandum* nonnulli docuerunt. Tragicus, apud Clementem, lib. VI.

Ἔσται γὰρ ἔσται καινὸς, legunt alii κεῖνος αἰῶνος χρόνος &c.

Erit profecto ſæculi tempus novi,
Quando ignis effundet refertas copias.
Auratus æther, flammaque ambedet rapax
Terrena cuncta, cunctaque uret perfurens.

Ovidius, Metamorph. I.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Et Seneca, ad Marciam, *& omni flagrante materia, uno igne quidquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.* De fine item mundi futuro Lucanus, lib. I.

ſic cum compage ſolutâ
Sæcula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetent iterum chaos omnia, miſtis
Sidera ſideribus current &c.

Ut minus illud carpere aut ridere in Chriſtianâ doctrinâ debuerint, quod habet de fine mundi, ejuſque incendio Cæcilius, apud Minutium: *quid? quod toti orbi, & ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium, ruinam moliuntur? anceps malum, & gemina dementia cælo & aſtris, quæ ſic relinquimus, ut invenimus, interitum denuntiare: ſibi mortuis, extinctis, qui ſicut naſcimur, & interimus, æternitatem repromittere.*

CAPUT SEPTIMUM

De Peccatis Indorum & Gentilium circa cultum Dei.

ATque hæc de iis dicta ſunt, quæ in Gentilium fide & doctrinâ reprehendimus, quæ videlicet perperam ſentiunt de *Deo*, de *mundo*, & *homine*, ejus videl. animâ, corpore, origine, & fine: ſequitur ad ea tranſeamus, quæ in ipſorum *vitâ* non minus ſunt caſtiganda, & moribus tum

erga

Digitized by Google

erga Deum, tum erga proximum, ſive in Dei cultu & proximi, circa *pietatem*, & *honeſtatem*.

Illic quidem, ne de objecto divini cultus, & Diis ipſorum iterum dicamus, vel Dei cultum prorſus negligunt & *omittunt*, vel etiam errant in colendi *modo*, quem perperam faciunt per *ſimulacra*, & animalium non tantum ſed quoque *hominum* mactationes, ſive aliis rationibus *feris*, & *inhoneſtis*, & *ridiculis*. Quò refer & Diaboli cultum, per *Magiam*, atque *Divinationem*.

Deum ab hominibus eſſe colendum, modeſtiores omnes conſentiunt. Et ſuffragatur ipſa natura, tum *Dei*, tum *noſtra*, quæ tanto inſtinctu omnibus hoc imperat & perſuadet. Sed in modo colendi ipſum, turpiſſimè errant. Neque id adeo mirum, quum adeo turpes faciant ſibi Deos. Conveniens videlicet Numinibus veneratio, & quod ajunt, dignum patellâ operculum. Athanaſius, contra Gentiles, lib. I. *at nunc amores Jovis, impudicitiaſque narrantes, aliorumque flagitia, & puerorum violationes, & zelotypias fœmineas, voluptatis causâ ſuſceptas, metuſque ac formidines, & perturbationes cæteras, id imprimis efficiunt, ut non modo de Diis, ſed ne de hominibus quidem honeſtis proſequuti videantur, verùm de turpiſſimis ac longe ab honeſtate remotis, finxiſſe fabuloſa.* Vel uti Euſebius loquitur, *quæ ſi de hominum aliquo dicantur, legibus & conſuetudine civitatum, graviſſimo ſupplicio punientur.* de Præparat. lib. XI. cap. VI. de ſacris Priapi fœdis & obſcœnis, vide Lactantium, *lib.* I. *cap.* XXI. Illa turpia, hæc *ridicula* ſunt. Quod, ut mittamus vetera, quando affectus humanos, & vitia, & ſymptomata fuerunt venerati; Japonii hodie idola ſua quæ colunt, nonnunquam etiam egregie diverberant: præſertim illud, cui cura Regis demandata erat, quo tempore in morbum incidit: quo caſu illud abigunt & exulare jubent palatio centum dies; poſt iterum reſumunt, blanditiis demulcent, & priſtinâ collocant ſede, ne videlicet injuriam illatam gravius ad animum revocet, atque de referendâ vindictâ ſerio incipiat cogitare. Refert Petrus Delcena, Jeſuita, in Epiſtolis Japonicis, ad Conimbricenſes, ann. CIƆIƆCLIV. Quod & de Sinenſibus teſtatur Melchior Nunneſius, in litteris ann. CIƆIƆLV. Si Dii ſunt, & verendi, & colendi, quomodo vapulant? ſin verberibus digni & contundendi à nobis, quorſum metuuntur, vel hominibus habentur majores, & venerandi? Proh dementiam! vel affligere quos credis Deos; vel timere, quos ipſos habes in poteſtate, & ſub ferulâ! Quo pacto ſervabunt aliena, qui ſeipſos nequeunt, ne caſtigentur? vel ſi caſtigari aliquando ob negligentiam debent, fruſtra iis cre-

damus ſalutem noſtram, & aliorum, etiam Regum.

Quid verò magis abominandum, quam *humanis* hoſtiis placare, & colere Deos ſuos? Quod & olim, & hodie Gentiles faciunt nonnullis in locis. Athanaſius, lib. I. contra Gentiles: alii, *cum ex bello victores rediere, quos ceperant ex hoſtibus in centenos diſtribuentes, Marti, quotquot ex numero illo centenario eligunt, mactant. Neque ſane Scytharum ſolum id facinus eſt, qui barbaricâ naturali feritate aguntur: ſed ſimulacrorum, dæmonumque nequitiæ proprium eſt. Nam & Ægyptii Junoni dudum hujuſmodi victimas cædere ſoliti ſunt. Sed & Phœnices & Cretenſes Saturnum immolatus filiis placant. Priſci quoque Romani Jovem Latialem mactatis venerantur hominibus. Atque alii aliter, omneſque pariter & inquinabantur, & inquinabant.* Cæſar, de Gallis, Comment. lib. VI. *aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacra Druidibus utuntur: quod pro vitâ hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur.* Idem & Germanis factitatum, Tacitus auctor eſt. Quid horribilius, quam parentibus proprios filios, in honorem Saturni, ſive Solis, à Phœnicibus immolatos? quod & Iſraëlitæ imitati aliquando, in cultu Molochi, idoli Ammonitarum fuerunt. Pſ. CVI. 37. Jer. VII. 21. Et Carthaginenſes, ab Agathocle victi, quod putarent iratum ipſis Deum, ducentis nobilium filiis placare ſtuduerunt. Melius Romani, de quibus Plinius, lib. XXX. cap. I. *Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo Coſſ. Senatuſconſultum factum eſt, ne homo immolaretur: palamque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata. Gallias utique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam.* Lactantius, lib. I. cap. XXI. *Apud Cypri Salaminem, humanam hoſtiam Jovi Teucrus immolavit: idque ſacrificium poſteris tradidit: quod eſt nuper Hadriano imperante ſublatum. Erat lex apud Tauros, inhumanam, & feram gentem, uti Dianæ hoſpites immolarentur: & id ſacrificium multis temporibus celebratum eſt. Galli Eſum, atque Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt. Siquidem Latialis Jupiter etiam nunc ſanguine colitur humano.* Et uſque ad Salvatoris noſtri tempora homines Diis apud Gentiles immolatos oſtendit Euſebius, *Præparat. lib.* IV. *cap.* VII.

Hodie in utraque Indiâ mirum in modum homines ſe non tantùm vulnerant, pungunt, mutilant in gratiam ſuorum Numinum, ſed vivos etiam ſacrificant, & vel currui ſubjiciunt, quo numen vehitur, ipſi autem miſere atteruntur; vel ferreis clavis in tergum adactis ſuſpendi ſe patiuntur & in altum attolli, in honorem nimirum Gangæ, quod ſcribit Linſchoten,

Digitized by Google

c.XLIV. & Rogerius, *part.* II. c.XV. Atque de Americanis Martyr, in Commentario, de Inſulis nuper repertis, refert, quomodo aperto vivi hominis pectore *inde cor eruunt, ex cujus calido cruore idolorum labia illiniunt, reliquum fluere patiuntur in lacunam: inde in apertum, cor & exta comburunt, gratum fumum Diis fore arbitrantur. Ex idolis unum eſt virile, quod inflexo capite lacunam ſanguinariam ſuperinſpectat, tanquam acceptans ſacrificium hoſtiarum.* Et poſtea narrat, quomodo pueros, idem & de ſervis refert, quos ſuis Zemibus, ſunt hi ipſorum dæmones, ſacrificant, antea per viginti dies magnâ per vicos pompâ circumducunt, qui ab obviis ſupplici ac venerabundo modo ſalutantur, quia ſcilicet inter Divos propediem adſcribentur: Alii corpus ſuum acriter pungendo, ſanguinem eliciunt ex linguâ, labiis, auribus, pectore, femore, aliiſque partibus quem offerunt, aut largâ manu receptum ad cœlum ſpargunt, ſic placari Deos arbitrantes. Miſeri Dii, qui talibus hominum facinoribus ac crudelitate delectantur; miſeriores verò homines, qui de ſuo litare ejuſmodi Diis ſanguinariis & profanis coguntur.

Lactantius, lib. I. cap. XXI. *ab iſto genere ſacrorum non minoris inſaniæ judicanda ſunt publica illa ſacra, quorum alia ſunt matris Deûm, in quibus homines ſuis ipſi virilibus litant: amputato enim ſexu nec viros ſe, nec fæminas faciunt.* Et Auguſtinus, de Civit. D. lib. VI. cap. X. ex libris Senecæ, de ſuperſtitionibus, nunc perdito, *ille viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat. Ubi iratos Deos timent, qui ſic propitios merentur? Dii autem nullo debent coli genere, ſi & hoc volunt.* Neque ſane mirum, tales Deos ab ipſis cordatioribus inter Gentiles, contemtos fuiſſe ac repudiatos? mirum magis, ab ullis agnitos & honoratos. Quod de Platone, & Socrate, præterquam de Senecâ conſtat, & pluribus probat Euſebius, *de Præparat. l.* XIII. *cap.* I. & IV. Adde & Ciceronem, de quo Lactantius, lib. II. cap. III. Nazianzenus, στηλιτ. α. *alicubi, veluti apud Lindios, pium eſt boum execrari devoratorem, crediturque in Dei cedere honorem, ſi multa in eum jacta fuerint convitia: aut apud Tauros hoſpitum mactatio; vel Lacedæmonios, puerorum ſuper altari flagellatio; ſic Phrygibus pium eſt, ſub tibiarum concentu incidi, aut ſaltationibus effæminari.* Deque iſtis ſacris Herculis apud Lindum, quod Rhodiorum oppidum eſt, & maledictis atque execratione celebrari ſolitis, imo quæ violabantur, ſi cui vel imprudenti bonum excidiſſet verbum, eorumque origine, agit item Lactantius, *lib.* I. *cap.* XXI. Innumera ſunt, quibus Gentiles Deorum ſuorum religionem contaminârunt ritibus ac cæremoniis ludicris partim, partim inhoneſtis, & crudelibus. Quod

cærimoniari dicitur in Actis Martyris Cypriani Carthaginenſis, apud Baronium Tom. II. ad a. 261. *Galenius maximus Proconſul dixit, tu Papam te ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Cyprianus epiſcopus*, Papa & epiſcopus ſynonyma ſunt, *ego. Galerius maximus Proconſul dixit; juſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores cærimoniari. Cyprianus Epiſcopus dixit: non facio.* & paulo poſt: *nec te pii & ſacratiſſimi Principes Valerianus, & Gallienus Auguſti, & Valerianus nobiliſſimus Cæſar ad ſectam cærimoniarum ſuarum revocare potuerunt.*

Univerſalis fere Gentium error vel ſuperſtitio fuit in uſu & cultu *ſimulacrorum.* Clemens, in Protreptico, *Scythæ quidem antiquitus adorabant acinacem: Arabes autem lapidem: Perſæ verò fluvium: & ex aliis hominibus iis, qui adhuc erant antiquiores, ligna erigebant inſignia, & columnas ponebant ex lapidibus, quæ appellabantur* ξόανα, διὰ τὸ ἀποξεῖσθαι τῆς ὕλης *eo quod eraderentur & expolirentur ex materia.* Poſtquam autem ſtatuæ illæ vel ξόανα effigiari cœperunt, *dicta ſunt* βρέτη, ἐκ βροτῶν, *quia hominum ſortirentur* imaginem & figuram. Turpis ſuperſtitio, non tantum *eorum* ratione, quæ per illa denotari voluerunt, ſed & *cultus* ipſis tributi, atque modi ſive *rituum* in iis ſervari ſolitorum. Nam ſic quoque Gentiles ſciverunt diſtinguere & reſpondere, ſe non ipſas imagines colere, lignum, & lapides; verùm hoc, quod illis forte repræſentabatur, Numen. *Non ipſa, inquiunt, timemus; ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt*, apud Lactantium, lib. II. cap. II. Auguſtinus, in Pſalm. CXIII. *videntur autem ſibi purgatioris eſſe religionis, qui dicunt, nec ſimulacrum, nec dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem ejus rei ſignum intuëor, quam colere debeo.* & apud Arnobium, lib. VI. *ſed erras, inquitis, & laberis, nam neque nos æra, neque auri, argentique materias, neque alias, quibus ſigna conſiunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus Numina: ſed eos in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulacris.*

Quæ ita refutat Arnobius: nequaquam videri probabile, Deos, relicto cœlo, non modo habitacula inire terrena, ſed & ad hoc compelli quaſi dedicatione. Quod an faciant volentes, an inviti, porro quærit: ſi inviti, non id fieri haud minutâ eorum majeſtate; ſi volentes, quid in teſtulis Dii habent, quod anteponant cœlo? Et, ſemperne iſthic habitant, an aliquando recedunt? ſi manendi conſtringit neceſſitas, quid illis miſerius, quos tam firmiter baſibus ſuis unci retinent, & vinctiones plumbeæ? ſin autem evolant aliquando, & inania relinquunt ſimulacra; ergo aliquando non erunt

erunt Dei ſigna, & in dubio ſtabunt homines, quando ſacra iis debeant reddere, quando abſtinere. Et ſigna iſta quando ab artificibus fiunt parva, aut magna, in illorum videtur poteſtate Deos contrahere, & ad ſimilitudinem alieni corporis coctare; vel in aliis corporibus eos dilatare & producere. Ergo & in ſedentibus ſimulacris ſedere Deos, & in ſtantibus ſtare, credendum erit.

Præterea, an in ſingulis ſimulacris Dii ſinguli, an diviſi per membra? Unus autem, verbi gratia, Vulcanus eſſe in millenis ſimulacris non poteſt: *Quia, quæ ſunt priva ſingulariaque naturâ, multa fieri nequeunt, ſimplicitatis ſuæ integritate ſervatâ: & hoc amplius nequeunt, ſi hominum formas Dii habent.* Si diviſi per partes ſunt in ſingulis ſimulacris, jam non toti. Denique, ſi in ſignorum viſceribus habitant, quid neceſſe eſt illos tot clavis, clauſtris, repagulis ſervare & cuſtodire, quin cuſtodiam eorum committere animalibus, vel canibus, vel anſeribus? Cur ſimulacra ſua, quin & ſeipſos ſpoliari patiuntur, abripi, corrumpi, comburi? Carioſos Deos nominat Prudentius, adverſus Symmachum, *ut carioſorum venereris monſtra Deorum.*

Lactantius ita inſtat: quum ſimulacra ſint vel mortuorum, vel abſentium, in quorum numero reponendi erunt Dii? Si in mortuorum: quis tam ſtultus, ut colat? Si in abſentium, neque ideo colendi, quia nec vident, quæ facimus; neque audiunt, quæ precamur. Si autem Dii abſentes eſſe non poſſint, ſupervacua ergo ſunt ſimulacra: nam poſtquam Deus præſto eſſe cœperit, jam ſimulacro ejus non eſt opus. Tum ſimulacris potior illorum artifex, & *melior eſt qui fecit, quam illa, quæ facta ſunt. Et tamen factorem ipſum nemo ſuſpicit, aut veretur; quæ fecit, timet, tanquam plus poſſit eſſe in opere, quam in opifice.* Denique ait, *quiſquamne igitur tam ineptus eſt, ut putet aliquid eſſe in ſimulacro Dei, in quo ne hominis quidquam eſt præter umbram?*

Ex materiâ denique ſimulacrorum vili & terreſtri ſic argumentatur: *iſta mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud ſunt niſi terra, ex quâ nata ſunt? quid ergo rebus inferioribus ſubjacetis? Quid capitibus veſtris terram ſuperponitis?* Clemens, in Protreptico, *ego terram calcare didici, non adorare.* Ergo, inquit Lactantius, cap. 5. *quanto rectius eſt, omiſſis inſenſibilibus, & vanis, oculos eò tendere, ubi ſedes, ubi habitatio eſt Dei veri; qui terram ſtabili firmitate ſuſpendit?*

Ex quibus ſole clarius apparet, etiam Chriſtianos illorum temporum ſimula-

mulacra nulla in ſacris habuiſſe, minus coluiſſe: non templa, magnifice inſtructa, & variis ritibus conſecrata, non altaria. Nam & Lactantius iſthic: *quid ſibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipſa ſimulacra?* Chriſtiani ipsâ nomenclatura templorum, etiam cum ædes & baſilicas conſtruerent ſacrorum celebrationi, abſtinebant, ut à Gentilibus profectâ, & cum idololatriâ tacitè conveniente: ſed loca ſua conventicula appellabant, vel eccleſias, & domos Eccleſiarum, vel domos Dei. & apud Minutium Cæcilius: *Chriſtiani nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra.* Quod idem Celſus objicit, apud Origenem, lib. 8. & Arnobius lib. 6. in initio: *in hac enim conſueſtis parte crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non Deorum alicujus ſimulacrum conſtituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras &c.* ac poſtea, *numquid enim delubris aut templorum* Deum *conſtructionibus honoramus?* Quæ neque dixiſſent tam aperte, conſtanter, & concorditer iſtorum primorum, & puriorum temporum Chriſtiani, neque illis diſputaſſent unquam argumentis, ſi ipſi ſimulacra in cultu adhibuiſſent, & propriis rationibus retundi & coargui potuiſſent: uti plenius oſtendimus pridem in *Examine Bullæ P. Urbani* VIII. *de imaginibus.* Concludimus, verbis Athanaſii, adverſus Gentiles: *Agamus itaque Chriſtiani domino Deo noſtro gratias, non cælo & terræ, ſicut iſte diſputat,* Ciceronem intelligit vel Quintum Lucilium Balbum, apud Ciceronem, *lib.* II. *de nat. Deorum, diſputantem, ſed ei qui fecit cælum & terram; qui has ſuperſtitiones, quas iſte Balbus velut balbutiens vix reprehendit, per altiſſimam Chriſti humilitatem, per Apoſtolorum prædicationem, per fidem martyrum, pro veritate morientium, & cum veritate viventium, non ſolum in cordibus religioſis, verum etiam in ædibus ſuperſtitioſis libera ſuorum ſervitute ſubvertit.*

Ex eodem fonte manavit apud Gentiles *Magia*, & non multum ei abſimilis, ſive per aſtra & planetas, ſive per terreſtria, aut animalia, vel humani corporis lineamenta, & figuras alias, *divinatio:* prout varias divinationum facit ſpecies in iſtius argumenti tractatu eleganti, & docto Peucerus. In quibus malorum Dæmonum cultus intervenit manifeſtus, alibi occultior. Magiam intelligimus *Diabolicam*, non quæ per naturalia operatur, vel agilitate & mero artificio humano, licet aliis obſcuro & minus perſcrutabili; illam *naturalem* appellant, hanc *artificioſam*: ſed quæ operâ Dæmonis peragitur, ſive *directe*, & à Mago huic fini adhibiti, & pacto ſeu contractu nefario inter hominem & Diabolum interveniente; vel *indirecte*,

& ma-

Digitized by Google

& materialiter aut interpretative, quando illa tractantur, per quæ Diabolum novimus operari. Uti quando characteribus, verbis ignotis & barbaris, amuletis, vis attribuitur, quam nec habent, neque habere poſſunt Quod hinc dignoſcitur, quando effecta eduntur ſuperantia vim naturæ particularis in iſtis, qui, vel quibus, operantur. Ut dum ſuperior cauſa accedere debuerit, ad producendum iſtum effectum, vel Deus credatur ſingulari operatione, præter iſtorum naturam, adfuiſſe; vel Diabolus: illud facile conſtare poteſt, ex operis materiâ, & fine, ne de operante dicam: nam neque in levibus, & cauſis non gravibus, non juſtis, ſanctis, atque ad ſingularem gloriæ ſuæ in promovendo filii regno promotionem Deus ſolet extra ordinem agere quidquam, neque poteſt vel nomen, vel virtutem ſuam profanare & proſtituere: quod ſi divini nihil ſubeſſe videatur, & omnia contrà ſe habeant, ac diximus, non erraverit, qui Diabolum hic in ſubſidium veniſſe, & opem ſuam, in Dei hominumque odium & ignominiam, admiſcuiſſe ſtatuet.

Ac propterea Magia iſta damnanda eſt, quòd homines à *Deo* avocat, ad *Diabolum*, & cum eo religat tum contra Deum, tum contra *juſtitiam* & ſanctitatem, denique & *ſalutem* ſuam: quod confirmat triſtis & deplorandus Magorum plerorumque *interitus:* Neque enim niſi ad *mala* perficienda operam commodat Dæmon, & ut ad nefanda homines miſeros protrahat, poſtremo ad *cultum*, & religionem ſui. Et proinde, quemadmodum à Diabolo, ad Diabolum, totum hoc negotium procedit, ita eidem relinquendum eſt, neque ullum cum iſtis frequentandum commercium. Euſebius, de præparat. lib. v. cap. VII. *Magicæ autem artis ipſi Dii Gentilium & inventores, & doctores fuerunt. Unde namque homines, quibus dæmones cogantur, quam ab ipſis dæmonibus diſcere potuiſſent*? Tum, idem illud probat ex Porphyrio.

A quo nefando ſtudio, ſaltem gravi impoſturâ, nequaquam abſolvimus Apollonium Thyanæum, cujus vitam & res geſtas, atque ad Indos profectionem, octo libris deſcripſit Philoſtratus, nobis antea aliquoties memoratus. Qui & Joſepho citatur, *Antiquit. lib. x. cap.* XI. ſub nomine Hiſtoriæ Indicæ, Φιλόστρατος ἐν ταῖς Ἰνδικαῖς καὶ Φοινικαῖς ἱστορίαις. Hoc autem ſub Apollonii perſonâ egiſſe Diabolum, ut Chriſti hiſtoriam & miracula offuſcaret, & haberet quem Chriſto apud Gentiles opponeret, veroſimile. Quare Eunapius, in vitis Sophiſtarum, exiſtimavit Philoſtratum opus ſuum inſcribere debuiſſe, non de vitâ Apollonii, ſed θεοῦ εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν, *Dei ad homines acceſſum*. Imo Alexander Mammeæ Filius,

illum Chriſto junxit in ſuo larario; & Abrahamo: uti videre eſt, apud Lampridium, in Alexandro Severo. Sed Hieroclem philoſophum, qui peculiari libro, quem Philalethen inſcripſit, Apollonium Chriſto comparat; Euſebius confutavit, ſingulari contra Hieroclem ſcripto. Neque deſunt, qui Lucianum faciunt vitæ, ſeu hiſtoriæ de vitâ Apollonii autorem, pro Philoſtrato. Quiſquis ſit, impoſtor impoſtorem fingit, facit, commendat: etenim conficta eſſe, quæ narrantur, ſive pleraque, ſive omnia, tum magnam partem magica, nullus addubito. *Spectrum* non ſine ratione Eraſmus appellat, in Lucam, *quis Apollonii Thyanæi vitam non velut ſpectrum quoddam legit*? Et Ludovicus Vives ſcite, lib. v. de tradendis diſciplinis, *magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit.* Jam uti memorat, ſeu fingit Philoſtratus, Apollonium in Indiâ, cum Jarcâ, vel Hiarchâ rege illa egiſſe, atque ab eo accepiſſe, quæ procul dubio magica, ſi contigerint ita, fuerunt, ita neque hodie à Magiâ immunes Indorum Brachmanni, & qui ultra Indiam degunt Sinenſes, ac Japonii.

Iſte ſaltem uſus ex rebus iſtis faciendus eſt, ut hinc ad *Spirituum* & Angelorum naturam cognoſcendam eos propius adducamus, ſine quorum adjumento & ope iſta non ſolent contingere, & quorum apparitiones ſæpe ſub illis accidunt, ac ſingulari laude & cultu celebrari nonnunquam ſolent.

Sed præterquam quod ipſis gentilium moratioribus & ſapientioribus exoſum Magorum genus, unde & ſæpe ab Imperatoribus & Dynaſtis imperio ac ditione ſuâ expulſi, *facta & de Mathematicis Magiſque Italiâ pellendis ſenatuſconſulta* inquit Tacitus; cum adventu Chriſti in carnem, tota fere Magorum ſchola, & maxime celebria loca, & mercatus, & opera corruerunt. Unde Athanaſius, lib. II. de incarnatione Verbi, vel contra Gentiles, *quando dæmonum fallacia, inſaniaque contemta eſt, niſi cum Dei virtus, Verbum, & horum, & omnium Dominus mortalium, infirma miſeratus, apparuit? Quando magiæ præſtigioſa ars atque doctrina calcari ubique cæpta, niſi cum divina Verbi apparitio inſinuata eſt mundo?* & poſt pauca, *Quid autem de magiâ dicimus, quam illi imprimis admirati ſunt? Prævaluit illa quidem ante Salvatoris adventum apud Ægyptios, & Chaldæos, & Indos, intuenteſque in ſtuporem vertit: poſtea vero quam revelata eſt veritas, & verbum caro factum eſt, detecta illa penitus atque deſtructa eſt.*

Par ratio eſt *divinationis*: nam alia quum Magia ſit *divinatrix*, & *operatrix* alia; & hæc, *præſtigiatrix*, vel *effectrix* rerum, quas præfert; ſive eas *producendo*, admirando quidem modo, neutiquam tamen per miraculum, vel aliunde *ſubſtituendo*: omnia utrobique vel *vana* ſunt, quæ aguntur omnia; vel *Diabolica*.

Adeo

Adeo inter Magiam, & divinatiouem, ſeu indicationem rerum aut futurarum, aut abditarum vanam, & Diaboli adhibitâ ope ac ſcientiâ factam, maxima eſt neceſſitudo. Quod in Juliano notat Nazianzenus, orat. I. *erat illi Aſia impietatis ſchola, ubi circa Aſtronomiam, & nativitates, nec non prænotionis deliratur phantaſiam.* Tum refert, ut aliquando ſpecum obſcurum, abſtruſum, ſubterraneum fuerit ingreſſus captandæ divinationis cauſâ: *eſt enim & id illis divinationis genus, ut de futuris conſulturi, ſub caligine quadam, cum ſubterraneis congrediantur dæmonibus, vel quia tenebris magis gaudent (quoniam tenebræ ſunt, tenebrarumque, hoc eſt, pravitatis artifices) vel quia piorum hominum conſortia fugiant ſuper terram.* & de vulnere accepto, *mirum,* inquit, *quum ſtolidus ille omnia ſe ex viſceribus cognoſcere poſſe putaret, unum hoc vulnus, nempe per propria viſcera infligendum, ignoraret.*

Variæ quippe ab antiquo divinationum fuerunt ſpecies, prout vel ex terrâ captabantur, & hæc erat geomantia; vel aquâ, & dicebatur hydromantia, ad quam referenda gaſtromantia, ſic dicta à ventricoſitate ampullæ vitreæ, in quam aquâ plenam puer introſpiciebat; & lecanomantia, ex inſpectione aquæ, in pelvi. Auguſtinus lib. VII. de Civit. Dei, cap. XXXV. de Numâ, *quod hydromantiam facere compulſus eſt, ut in aquâ videret imagines Deorum, vel potius ludificationes dæmonum, à quibus audiret, quid in ſacris conſtituere, atque obſervare deberet. Quod genus divinationis, idem Varro à Perſis dicit allatum, quo & ipſum Numam, & poſtea Pythagoram philoſophum uſum fuiſſe commemorat.* Huc denique faciebat aſtragalomantia, jactis in fontem talis. Suetonius, in Tiberio, cap. XIV. *cum Illyricum petens, juxta Patavium adiſſet Gerionis oraculum, ſorte tractâ, quâ monebatur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent: hodieque ſub aquâ viſuntur ii tali.*

Vel fiebat ex igne, pyromantia; ex fumo, capnomantia, qui prout vel rectâ adſcendebat, vel in orbem volvebatur, aut flectebat in obliquum, ita vel recta & proſpera prædicebat, aut adverſa.

Porro deſumebantur ex avibus auguria; ex extis aruſpicina: ars Etruſcis valde familiaris & celebrata: ex aſtris, aſtronomia, quâ Chaldæi excelluerunt: ex mortuis, necromantia; ex facie & habitu corporis, phyſiognomia; ex manuum lineis, chiromantia; ex oculorum palpitatione, ſaliatio; ex ſomniis, oneiromantia; ex cribro, coſcinomantia; ex ſecuribus, axiomantia; ex ſortibus, cleromantia; ex herbis, botanomantia; ex piſcibus, ichthyomantia.

Digitized by Google

Mitto, quæ videbantur, vel audiebantur: uti in homine, monſtrum, ſternutatio; in aëre, fulgura, tonitrua, aliaque meteora: quæ *quia oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt; oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur*, inquit Cicero: qui videndus in libris, de divinatione: & de Romanis teſtatur, quod nihil in bello ſine extis ſolebant agere, nihil ſine auſpiciis habere domi. Nam & antiqua hæc, & communis, tam olim, quam hodie Gentilium ſuperſtitio. Unde Nazianzenns, orat. 1. in Julian. *Aſtronomiæ verò ſcientia, nonne Babyloniorum eſt inventum? quemadmodum Geometria Ægyptiorum. Magorum autem ſuperſtitio, nonne Perſarum? At per ſomnum vaticinium, quorumnam eſſe audis, quam Telmiſæorum? ſicut & auguria nequaquam aliorum ſunt, quam Phrygum, qui primi avium volatus obſervarunt, & motus.* Vide etiam Polydorum, de Inventoribus rerum, *lib.* 1. *cap.* XXIV.

Omnia verò, præter ea quæ phyſicâ nituntur ratione, vel vanè fiunt, vel Diabolicè. Sic Lactantius, lib. II. *Eorum inventa ſunt aſtrologia, & aruſpicina, & auguratio, & ipſa, quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quidquid præterea malorum exercent homines vel palàm, vel occultè.*

Hodie fere omnes illæ divinationum ſpecies in uſu quoque ſunt apud Indos, & Sinenſes. Utrique maximi obſervatores dierum faſtorum & nefaſtorum, vel fauſtorum & infauſtorum, neque dierum tantùm, ſed & horarum ſingularum, quas faciunt triginta in die, totidem noctis: habentque Calendaria, in quibus conſignatum, utri dies & horæ felicitatis indices ſint, vel infelicitatis, & quid quovis fere momento agendum ſit, aut omittendum. Præcipue obſervant ſingulorum geneſim: & non homines modo, eorumque naturam, corpus, & phyſiognomiam; actiones etiam, imprimis ſternutationem, quam pro malo omine habent; & quoque eorum officia, & vitæ conditionem; ſed & animalia, & aves: quorum aliqua habent fauſta, infauſti ominis alia. Infauſta ſunt, corvus, canis cibo carens, aſinus, bubalus, hœdus, ſimia, ſi forte occurrant; inter homines, faber, ſartor, vidua, cadaver, vel ab exequiis aliquis rediens, vel qui aliquid fert armorum, hæc ſi obvient, portendunt malum: felicis contrà ominis ſunt, occurſus elephantis, camelus, equus liber, caper vel canis cibum ore geſtans, felis ad dextram ſi currat, vel gallus aut lepus ſi præcurrant, & ſimila. Jam & in ædificandâ domo vel ſeligendo ejus loco, quam ſuperſtitioſe ſitum ejus expendant ad figuram draconis, à quâ omnem ejus fortunam pendere arbitrantur Sinenſes, ante à nobis dictum.

Iſta

Iſta verò omnia quam ſint *frivola* & abſurda, nulloque *fundamento* nitantur aut ratione, & tum vana ac *falſa*, tum triſtis & pravi *eventus*, nemo non videt. Elegantiſſima & nervoſiſſima fuit Phavorini philoſophi, apud Gellium, *Noct. Attic. lib.* 14. *cap.* 1. oratio, adverſus ejuſmodi divinatores Chaldæos, ſive Genethliacos, quorum diſciplinam non tantùm negat iſtius aut venuſtatis eſſe aut autoritatis ac ipſi putant, ſed præſtigiarum & offuciarum plenam ait, ipſoſque æruſcatores vanos, qui cibum & quæſtum ex mendaciis captant. Atque his ferè pugnat argumentis, quæ ideo adhibemus, quod hominis ethnici ſunt, & viri philoſophi: primùm, non ſatis rectè & certè definiri punctum aut momentum temporis illud poſſe, tam parvum & rapidum, in quo homo naſcens fatum accipit; minus ſi de pluribus quæratur, eodem tempore natis. Et quærit, quî poſſit evenire, quod tamen ſæpe videmus, quod utriuſque ſexus homines, & omnium ætatum, & diverſis ſtellarum motibus in vitam editi, regionibus, quibus geniti, longe diſtantibus, tamen eodem fato, vel hiatu terræ, vel tectorum lapſu, aut eâdem navi, aliove mortis genere ſimul intereant, eodem ictu temporis? Quod numquam accideret, ſi momenta naſcendi ſingulis diverſas vivendi & moriendi leges impartirent. Tum cur, hoc ſi verum, ut per ſimilem ſtellarum poſituram ſimilia apud homines obtingant, non etiam aliquando omnia paria eveniant, & exiſtant ſimul Antiſthenes & Platones multi, genere, formâ, ingenio, moribus, vitâ omni, & morte pari? Præterea, cur non eadem dicuntur de rebus omnibus, ſaltem etiam animalibus, muſcis, vermiculis, echinis, ranunculis, & culicibus, ut quoque iſtis naſcendi fata attribuantur ex motibus ſiderum cœleſtium? Quandoquidem nulla videtur ratio, cur ea ſiderum vis in hominibus valeat, deficiat autem in cæteris. Quod autem nonnunquam ea videntur plane illi prædicere & annunciare quæ vera, & eventu ipſo comprobantur, ait, non certa ab illis dici; ſed lubrica, & ambigua, & vanâ conjectatione, imprudentes aliquando incidere in veritatem: denique præ cæteris quæ mentiuntur paſſim, partem veri vix eſſe milleſimam.

Hæc Phavorinus, qui & cauſam erroris indicat, ex obſervatâ vi Lunæ aliquâ in motu maris: quos inepte proinde omnia quoque alia à ſtellis regi colligere, contendit: *quoniam viderent terrena quædam inter homines ſita, cæleſtium rerum ſenſu atque ductu moveri, quale eſt, quòd Oceanus, quaſi lunæ comes, cum ea ſimul ſeneſcit, adoleſcitque: hinc videlicet ſibi argumentum ad perſuadendum paraviſſe, ut crederemus omnia rerum humanarum, & parva, & maxima, tanquam ſtellis atque ſideribus evincta duci & regi. Eſſe*

tatem nimis quàm ineptum abſurdumque, ut quoniam æſtus Oceani *cum lunæ curriculo congruit, negotium quoque alicujus, quod ei forte de aquæductu cum rivalibus, aut communi pariete cum vicino apud judicem eſt, ut exiſtimemus id negotium, quaſi habena quadam de cælo vinctum gubernari.*

Par denique eſt ratio cum reliquis divinationum generibus, undecunque petantur, ſive ex aëre, aquâ, terrâ, hominibus, animalibus, ſive inanimatis, & variis horum & illorum actionibus. Omnibus notum, facinus egregium Moſſolami Judæi, quod ex Hecatæo Joſephus narrat, primo contra Apionem, qui in exercitu Alexandri M. quando Vates omnes conſiſtere juſſiſſet uſque dum ex ave in proximo cepiſſet augurium, quæ ſi ſtaret, omnibus manendum fore & ſubſiſtendum; ſin avolaret anterius, progrediendum; ſin retro, recedendum arbitraretur: ipſe tenſo confeſtim arcu ſagittâ avem mox interemit. Quod indignantibus aliis, & præſertim augure, riſit ille omnes, ex ave capturos indicium ſalutis, quæ propriam ignorarat: quid furitis, inquiens, inſani, ex infauſtiſſimâ ave pendendo, quæ ſalutis ſuæ neſcia, noſtri itineris rationem & proſperationem indicaret? quæ ſi præſcire futura valuiſſet, nunquam utique perveniſſet in hunc locum, metuens ne ſagittâ à Moſollamo Judæo periret.

Quare etiam apud Gentiles ſæpe divinandi artes prohibitæ. Unde Auguſtinus, lib. 7. de Civitate Dei, cap. 35. *nolo enim dicere, has artes etiam ante noſtri Salvatoris adventum, in ipſis civitatibus gentium legibus ſolere prohiberi, & pœna ſeveriſſima vindicari.* Deinde & funeſtæ autoribus extiterunt. Vel etiam, ſuo maximo bono, haud fruſtra ſpretæ. Cyprianus, de idolorum vanitate: *cæterum & Regulus auſpicia ſervavit, & captus eſt; & Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt. Pullos edaces habuit Paulus, & tamen apud Cannas cæſus eſt. C. Cæſar ne ante brumam in Africam navigia tranſmitteret, auguriis & auſpiciis retinentibus ſprevit, eo facilius & navigavit & vicit.* Qualia etiam apud hodiernos in Indiâ, & Chinâ obſervata noſtris ſunt. In regiâ urbe Patanâ regni Siam ita luſerat quandoque incolas celebris divinator, grave ubi prædixiſſet urbi incendium, ut Sinenſes omnes desertâ urbe aufugerent in agros: quum nihil interim tale ſequebatur, quod metui deberet. Alibi quum prædixiſſent harioli, moriturum ægrum, & Chriſtiani eum curaſſent, ſimul & vanitatem viderunt ſuorum prophetarum, & Chriſtianos illis omnibus eſſe potentiores atque ſcientiores.

C A-

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

De peccatis Indorum & Gentilium contra vitæ honeſtatem, inprimis ſextum & ſeptimum decalogi præceptum.

HActenus de Dei *cultu*, & quam variis eum modis inquinent Ethnici, malo dæmone etiam in locum ejus ſubſtituto, vidimus: ſequitur ea perſtringamus, quæ adverſus *vitam* honeſte & ſecure degendam, committunt, præſertim contra ſecundæ tabulæ præcepta, ſextum, & ſeptimum, id eſt, cædendo, & fornicando; quò etiam facit pudenda corporis nuditas, quam agreſtiores & minus culti inter eos retinent, in Occidentali Indiâ, ſive Americanâ magis, quam in Orientali, quæ iſtâ haud parum modeſtior & magis morata: niſi quod in Oriente, apud Guzurattenſes, ex pœnitentiâ, vel ſtudio quaſi ſingularis perfectionis & mortificationis, uti Hindoi, & Avadoutæ in regione Cormandel, Braminum multi, nuditatem affectant, velamine aliquo forte obductis, non autem ſemper, pudendis. Toti nudi etiam in Africâ Guinecenſes. Unde adeo mirati omnes illi, quando noſtros, alioſque homines cernerent veſtitos.

Primùm autem quia in oculos incurrit ferina *nuditas*; de hac dicemus, inde de aliis. In Guineâ juvenes, ac puellæ omnes nudæ uſque ad tempus matrimonii: niſi à Rege impetrent privilegium & licentiam ſemet veſtiendi, quo tempore ſolemne epulum inſtituitur, & multâ gratulatione novum honorem auſpicantur. Jam olim de Indis Mela, lib. III. cap. VII. *Cultorum habitus, moreſque diſſimiles. Lino alii veſtiuntur, aut lanis, quas diximus, alii ferarum aviumque pellibus, pars nudi agunt, pars tantum obſcœna velati.*

Quemadmodum verò hic à ratione & honeſtate longius aberrant, ita non multis adeo argumentis, nedum ſubtilibus redarguendi & convincendi ſunt, ut de iis neceſſe ſit quempiam eſſe vel aliquantùm ſollicitum; ſed vel ex *naturâ*, quæ tum adverſus aliorum, tum cœli inclementiam armat animalia, & ex *honeſtate* communi, & *exemplo* aliorum, & *commodo*, denique *profectu* ſingulorum, qui hoc imprimis deſueverunt, & induerunt humanitatem, facile inſtruendi, vel tandem *autoritate* ac poteſtate conſtringendi veniunt.

Difficilius eſt, à varii generis turpitudinibus illos avocare, in quas propenſior natura, & procliviores omnes homines, ſed præcipuè Gentiles ſunt,

Digitized by Google

ſunt, qui tum *fornicari*, tum *adulterare*, & *vaga* libidine in quoſvis irruere aſſueti, neque *polygamiâ* modò, & *inceſtibus*, ſed *pæderaſtiâ* quoque, & infandis ſordibus infames vivunt, atque corruptiſſimi. Apud Terentium, non habetur pro vitio, adoleſcentulum ſcortari. Et Geographus Nubienſis, part. VII. Climatis I. de rege Sarandibi, *fornicationem prohibet, nec videt illam. At reges & gentes Indiæ permittunt fornicationem, poculum autem inebrians interdicunt: præter Regem Camar, qui tam fornicationem, quam vinum interdicit.* Idem VIII. parte Clim. II. ubi de regionibus Indiæ: *in omnibus regionibus Balaſaræ licita eſt fornicatio, præterquam cum fœminis conjugatis. Quod ſi cui viro libuerit cum filiâ, aut ſorore ſuâ, materterâ, aut avunculâ, modo non fuerint maritatæ, commiſceri, libere poterit: eodemque modo frater cum ſorore.* Ecce inceſtus omne, ac fœdiſſimum genus. Ut non ſolis Perſis illa adſcribi mereantur. Euſebius, lib. VI. Præparat. Evang. cap. VIII. *Apud Perſas lex erat, filias, ſorores, matres quoque ipſas in matrimonium ducere: nec in Perſide ſolum, verum etiam quicunque Perſarum ad alia climata orbis è patria exiverunt, nefanda hæc matrimonia diligenter celebrarunt.* De Brachmannis dixerat; eorum multa millia apud Indos eſſe, *qui tam traditione patrum, quam legibus, nec ſimulacra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum aut cereviſiam nunquam bibunt, ab omni malitia abſtinent, ſoli Deo intenti. At verò cæteri Indi omnes in eadem regione adulteriis, cæde, temulentiâ involvuntur.*

Nam & huc ſpectat commune vitium *ebrietatis*, de quo Acoſta, de Americanis ſuis, & eorum procurandâ ſalute agens, lib. III. cap. XX. ait, quod inter omnes Barbarorum morbos, quibus levandis atque tollendis invigilare debet Chriſtiani Rectoris providentia, nullus aut communior, aut pernicioſior, aut etiam ad curandum difficilior ſit ebrietate. Imprimis temulentiam taxat ſingulari potus genere, ex Maicio, ſive Cacao, contractam, aut Tabaco: *Nam in quadam*, inquit, *inſulâ cum navigationis commoditatem exſpectarem, didici ex Tabaco contuſo (genus id herbæ eſt ad permovendum cerebrum mire efficax) ſervos Æthiopicos naribus exorbere vim ſolitos, gravemque ſibi ac diuturnam inde temulentiam excitantes, pro magnis deliciis ducere, ut vix minis plagiſque ab eâ conſuetudine avelli poſſent.*

Cumque, quâ ratione occurri malo iſti & vitioſæ conſuetudini poſſit, diſſertat, aliquibus exiſtimantibus interdicendum omni genere vini, & inebriantis potus genere eſſe; quorum ſententiam nihil diſcrepare ait, ab eâ, quâ nonnulli non ita pridem Romano Pontifici ſuadendum arbitrabantur, ut generali Eccleſiæ decreto vineæ omnes ex orbe Chriſtiano extirparen-

rentur, relictis tantùm in ſacros uſus neceſſariis; quod per vini immoderatam vim incredibilia mala dicerent evenire, idque in ſeptentrionalibus præſertim Europæ populis multis magniſque documentis demonſtrari; quorum facile exploſam dicit ſententiam: magis autem recte & utiliter cenſet, tum publicas & ſtatas compotationes cohibendas: & ipſos Cenſores atque Obſervatores ad hoc publicâ autoritate conſtitutos, haud leviter puniendos eſſe, ſi minus hoc indicent & curent; imprimis ipſorum Chriſtianorum & Hiſpanorum deteſtanda eſſe exempla, vel qui ebrietate ſuâ ſcandalum præbent infidelibus, vel propter lucrum, ad hoc vitium connivent, alioſque quovis modo provocant. Cujus hæc verba non piget deſcribere: *quid verò ignaviam dico? de induſtria pernicies tanta conceditur, imò verò appetitur propter privatas neſcio quas commoditates. Alii Indorum operas larga ebrietate conceſſa, ſibi conciliant. Alii non ſolùm bibere ſinunt, verùm ipſi quoque temulentiam propinant. Complures officinam ſiceræ apud ſe habent, publiceque coquunt, atque divendunt, & apud ſe compotandi commoditatem offerunt. Neque tam turpis, infamiſque quæſtus pudet, neque ſiceram qualemcunque, ſed furioſam illam Soram lege contempta vendunt; gladium ultrò porrigentes inſano. Atque hæc noſtri Hiſpani factitant, lucrumque ejuſmodi ex animarum interitu etiam elegantiores religioſioreſque captant.* lib. III. cap. XXII.

Cæterum apud Japonios quidem *fornicatio* licita eſt; in quem finem proſtibula habentur palam, quæ dominis ſuis adferunt non modicum lucrum. Neque fornicantur tantum impunè; ſed & nefando ſceleri & libidini ἀῤῥήτῳ, etiam ipſorum Bonzii, ſe mancipant. In Pegu quoque, Tranſianâ, Patanâ, nullâ vitii, aut ignominiæ notâ, fornicantur, uti & in regione Cormandel, & Golconda, ubi integra familia Bogaware quæſtui corpore faciendo inverecundè ſe exponit. Adeo apud omnes fere gentes fornicatio vix habita pro peccato: quin Deo ſuo putant ſe præſtare officium nonnunquam, filiam in meretricem alendo & conſecrando. Quod in Cormandel ſibi viſum teſtatur Petrus de Broeck, in Itinerario. Et jam olim Plato cenſuit, uxores in communi habendas, tum in Timæo, tum lib. V. de Republica. & apud Scotos id viguiſſe, teſtis eſt Hieronymus, lib. II. contra hæreſes Joviniani.

Polygamia paſſim apud Indos uſitata, præſertim apud potentiores, pro ratione facultatum. Et vel uxores etiam plures, vel ſaltem concubinas ſibi adſciſcunt. Quas Magnus Mogol ſcribitur habere ultra mille.

Dumque iſta fræna laxant intemperantiæ & libidinibus, neque ſangui-

 ni par-

Digitized by Google

ni parcunt, ſed cum conſanguineis etiam nil verentur rem habere homines turpiter *inceſtuoſi*. Quod ſecta Brachmannum Paſenda profitetur, nullo ſe diſcrimine commiſcens cum parentibus, ſororibuſque. Et apud Tartaros frequens. Theophilus, ad Autolycum, lib. III. *Epicurus, ut ſatis evidenter impietatem doceret, ſuadet inceſtos concubitus: videlicet ut quis cum matre & ſorore coëat, quamvis eo tempore extiterint leges, quæ hanc impietatem prohibebant.*

Omnia autem ſuperat nefandum ſcelus *Sodomiæ*, cui & olim, & hodie valde addicti inter Ethnicos plurimi, mutantes τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι. Rom. I. 26, 27. & I. Cor. VI. 9. II. οὔτε ἀρσενοκοῖται, &c. *& tales fuiſtis antea.* Auctor Sibyllinorum Oraculorum, lib. III.

Οὐδὲ πρὸς ἀρσενικοὺς παῖδας ἀναμίγνυνται ἀνάγνως,
Ὅσσα τε φοίνικες, αἰγύπτιοι, ἠδὲ λατῖνοι,
Ἑλλάς τ' εὐρύχωρος, καὶ ἄλλων ἔθνεα πολλὰ,
Περσῶν, καὶ γαλατῶν, πάσης δ' ἀσίης, παραβάντες
Ἀθανάτοιο θεοῦ ἁγνὸν νόμον, ὃν παρέβησαν.
Nec maribus pueris ſcelerate congrediuntur,
Sicut Phœnices, Ægyptus, atque Latini,
Frugiferenſque aliis cum multis Græcia terris,
Perſis, & Galatis, Aſianiſque omnibus, almam
Æterni legem qui contemſere Tonantis.

Quod crimen non tantum Chriſtiani Imperatores Conſtantinus, & Conſtantius, ſeveriſſimis edictis, & capitali conſtitutâ in pædicones pœnâ, ſuſtulerunt è medio, l. 31. Cod. ad legem Juliam, de Adulteriis: adde Novellam LXXI. & CXLI. ſed & Plato, lib. I. de legibus, ut τὸ παρὰ φύσιν τόλμημα, execratur atque damnat. Quo major infamia, inter Chriſtianos Romanenſes repertum, qui criminis infandi elogium & laudem cantare haud erubuit, Johannes Caſa, Papæ poſtea ab epiſtolis, carmine Italico, quod incipit, *Meſtier divino*, & aſſervatur in Bibliotheca Ultrajectinâ, nobis haud ſemel viſum. Thuanus, de eo, lib. XVI. ad ann. 1555. referens quomodo Eſpenſæus, & ille ad Cardinalatum non fuerint promoti; de illo cauſam adfert, quia inter concionandum liberius legendam terream dixiſſet, pro aurea; de iſto, *quod etiam carmine rem nefandam in juventute laudaſſe diceretur.*

Optime verò ejuſmodi probra, non *rationibus* tantùm, ex naturâ rectiori, & lege *honeſtatis* ei inſitâ ſumtis, præterea ex commodo atque uſu in hu-

Digitized by Google

in humana *ſocietate* neceſſario, tum meliorum gentium *exemplis*; ſed & autoritate ac *pœnis* politicis coërcentur & caſtigantur. Quod illorum eſt, qui non modò inter Gentes degunt, ſed iis cum poteſtate præſunt, ac dominantur. Vitioſis & ſceleratis magis pœnarum formidine, quam rationibus, aut commendatione virtutis, refrænandis & conſtringendis. Quod & ipſorum quandoque Gentilium leges faciunt, moreſque ſaniores. Unde Tertullianus, in Apologetico: *Video & inter matronas atque proſtibulas nullum de habitu diſcrimen relictum. Circa fœminas quidem etiam illa majorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur. Quum aurum nulla membra norant præter unicum digitum, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo: cùm mulieres uſque adeo vino abſtinerent, ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos ſui inedia necarint. Sub Romulo verò quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata eſt. Idcirco & oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, ut ſpiritu indicarentur. Ubi eſt illa felicitas matrimoniorum de moribus utique proſperata; qua per annos fermè ſexcentos ab urbe condita, nulla repudium domus ſcripſit? At nunc in fœminis præ auro nullum leve eſt membrum, præ vino nullum liberum eſt oſculum: repudium verò jam & votum eſt, quaſi matrimonii fructus.*

Brachmannus Padmanaba, apud Rogerium, *lib.* I. *cap.* XIII. fornicationem, pro peccato habuit; & adulterium, ultimo dignum ſupplicio. Cujus ſententiæ etiam gentiles Perſas ſtatuit in Guzurattenſi regno, ſub Magno Mogolo, Johannes Twiſt, in illius Deſcriptione. Quare & apud Sinenſes, Gentilium moratiſſimos, atque unde in alios tum leges, tum mores caſtigatiores, adulterium morte plectitur, & viro uxorem in adulterio ἐπαυτοφόρῳ deprehendenti, fas eſt, cum adultero mox interficere. Sic quoque in Siam, Pegù, & vicinis locis, regniſque. Ipſis reorum parentibus, vel proximis cognatis ſupplicium irrogantibus. Quod & in Japonia obſervatur. Unde rara apud eos adulteria. Vel ſi quæ accidunt, terribilem in modum puniunt. Cujus exemplum unum & alterum profert Franciſcus Caron, in Deſcriptione Japoniæ, quod ibi legatur. Imò apud Tartaros eadem mortis in adulteros pœna: quare infrequentiora apud eos quoque criminis iſtius exempla. In inſulâ Ceilon, atque in Bengalâ adulteris præciditur naſus: quâ notâ facile omnibus dignoſcuntur.

Porrò in altero genere crudelitatis & *homicidii*, non minus inhumani & deteſtandi Gentilium mores, quandò alios lubenter cædunt, mactant, devorant; neque etiam à ſeipſis manus abſtinent, non ſolùm in cultu Dîs ſuis præſtando, de quo ante dictum, ſed & ob privatas cauſas, & in uſum vitæ

 com-

communem. Neque in hoſtes duntaxat ita affecti, ubi eos ceperint, uti Braſilienſes; & cratibus, ſuâ linguâ Boucam appellatis, imponunt carnes aſſandas, de quibus Lerius, in hiſtoriâ navigationis in Braſiliam, *cap.* x. ſed proximos etiam amicos, & parentes tandem mactant & devorant: quod ſolemne eſt Guineenſibus. Prorſus quemadmodum Mela, de Indis, *quidam proximi parentes priuſquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hoſtias cædunt; cæſorumque viſceribus epulari fas & maxime pium eſt. At ubi ſenectus aut morbus inceſſit, procul à cæteris abeunt, mortemque in ſolitudine nihil anxii expectant, prudentiores eis, quibus ars ſtudiumque ſapientiæ contingit, non expectant eam, ſed ingerendo ſemet ignibus, læti & cum gloria accerſunt.* Idem Curtius refert, lib. VIII. cap. IX. *Unum agreſte & horridum genus eſt, quos ſapientes vocant, apud hos occupare fati diem, pulchrum; & vivos ſe cremari jubent, quibus aut ſegnis ætas, aut incommoda valetudo eſt: exſpectatam mortem pro dedecore vitæ habent. Nec ullus corporibus, quæ ſenectus ſolvit, honos redditur; inquinari putant ignem, niſi qui ſpirantes recipit.* Qui autem in urbibus habitant, eos ſecus facere addit, *nec quemquam admovere leti diem credunt, cui exſpectare interrito liceat.*

Quodque in Indiâ mortuo marito conjuges & concubinæ, domino mortuo ſervi ſe in rogum conjiciunt, vel terrâ obruunt, quaſi affectum æternum teſtantes erga ſuos, & ex obſervantia, ut iis miniſtrent in altera quoque vita, res omnibus eſt notiſſima. Quam tum Itineraria paſſim exponunt, tum Rogerius, *part.* I. *cap.* XIX. & XX. qui & ſuo tempore teſtatur, in regione Paliàcattenſi, juxta nobilem maritum defunctum ſe in ardentem foveam præcipitaſſe ſexaginta fœminas. Atque ubi moritur Rex Siamenſium, non tantum conjuges, & ſervi, ſed quoque Nobiles permulti ſe conjiciunt in rogum, unà cum cadavere regio comburendos. Ut appareat non id fieri ex aliqua modò zelotypia erga conjuges, ne aliis poſtmodum miſceantur, vel etiam in vita quid ſiniſtri ab illis metuere neceſſe habeant, ſed ex inſano amore quaſi & ſtudio erga defunctos. Atque apud Japonios, moriente hero, ſervi vel viginti aut triginta ventrem diſcindunt proprium, ut vivere unà deſinant cum eo, cui vitam ſe debere opinantur: qui ad hoc facinus ſe mutuò quoque in vitâ obſtringunt ſuo domino, hauſto cyatho vini, tamquam ſingulari fidelitatis inter ſe ſacramento. Tacitus, hiſt. lib. 2. ad narratum Othonis, quem ſibi ipſe fecerat, finem, *quidam militum, juxta rogum interfecere ſe, non noxa neque ob metum, ſed æmulatione decoris, & caritate principis. Ac poſtea promiſcue Bedriaci, Placentiæ, aliis in caſtris, celebratum id genus mortis.*

Apud

Digitized by Google

Apud Sinenſes, alioſque frequens, ut quis ſibi, etiam alteri, vitam auferat, pro uniuſcujuſque arbitrio & poſtulato. Et Geographus Nubienſis commemorat, *part.* 10. *Climatis ſecundi*, arborem in Sinâ, juxta fluvium, exiſtere, ex quâ innumeri ſe præcipites dare ſoliti ſuper columnam, ex hac in fluvium, quem Paradiſi eſſe credunt, inque eum à morte hominem hac viâ deferri.

Et hîc eadem, quæ adverſus ſuperiora dicimus, adhibenda vel argumenta, vel remedia. Nihil enim magis à naturâ eſt alienum, quam vitam, quâ nihil homini datum carius, nihil præſtantius, auferre ſibi, aut alteri: & quod ratio omnis ſervandum primum naturæ beneficium in te, in aliis, dictat, neutiquam perdendum.

Neque in genere *alios* quoſcunque, ſed & amicos, atque *parentes*, à quibus vitam acceperis, & hoc ipſum debes quod vivis, interimere: nec tantum alios, ſed. & *temetipſum*, quod ne quidem cogitari citra horrorem poteſt.

Tum varii in utroque genere adhibiti ad perficiendum facinus *modi*, & cauſati *fines*, ſcelus aggravant. Multi id fecere ſæpe, & exquiſitiſſimo cum *cruciatu*: ubi præter rem ipſam, agendi modus, autorem Diabolum indicat ſatis & repræſentat.

Tum occidunt alii, ut *occidant*; alii ut & *comedant* ac manducent; denique ut dignam Diis hinc conficiant *hoſtiam* & oblationem. Id eſt, vel ut iis, quos trucidant; vel ſibi, dum inde cibum parant; vel poſtremò Diis, eorumque honori deteſtando conſulere videantur miſeri. Quæ cogitare, horrendum; velle, miſerum; teterrimum verò eſt, ipſo opere adimplere & præſtare.

Martinius, in Atlante, *à nullo unquam armorum genere inſtructi* Sinenſes, *per vias incedunt, quippe arma ac bella gerere hominibus indignum, & indecorum putant, quare milites viliſſimo habentur loco, ac pæne uti hoſtes contemtui ſunt.* Si arma adeo, & ipſa nocendi inſtrumenta; quanto magis damna iis illata, neque hoſtibus, ſed amicis, ſed proximis, ſed ipſi autori, execranda ſunt.

Atqui de ipſis Sinenſibus Trigautius, lib. 1. cap. 9. quod *ſibi complures violentas manus inferunt, vel bonorum deſperatione, malorumque perpeſſione fatigati; vel ut inimicis ſuis impotenter ſane, non minus ſtolidè, ægre faciant: multa enim in annos ſingulos hominum millia, ferunt, virorum ac mulierum, ſeipſos in campis, vel pro adverſarii foribus, injecto in fauces nodo, præfocare, aut in flumina inſilire, hauſtove levibus aliquando ex cauſis veneno ſibi*

Digitized by Google

vitam eripere. Quod id apud adverſarios ſuos, vel ante eorum fores faciunt, ideo fit, quia Magiſtratus deinde ſevere ſolebat animadvertere in eos, qui ad propinquorum demortui accuſationem, deprehenderentur cauſam dediſſe deſperationi. Aliis autem non paucis Magiſtratibus melius, cauſam horum qui manus ſibimet intuliſſent, repudiantibus, nec dignantibus ſuſcipere, inde parcior autophonia, nullo ex his incommodo veniente ad adverſarios.

CAPUT NONUM.

De modo perſuadendi Religionem Chriſtianam, & inprimis divinitatem Scripturæ.

ATque hactenus de iis vidimus, in quibus ab humanitate, & officio rationis, tum erga *Deum*, tum *ſe*, & *proximum* aberrant miſeri Gentiles: ſequitur pars diſputationis altera, quâ ad ſupernaturalia pergimus, & perſuadendam iis *Religionem Chriſtianam.*

Quod quidem duplici perficitur modo: ejus *expoſitione* primùm ingenuâ & verâ, ut quid ſit, quam amplectendam contendimus, & defendendam, priùs conſtet; tum *probatione*, & vindicatione, adverſus omnia omnium præjudicia & objectiones.

1 Explicationem ordior ab iis, quæ quadantenus juvantur à notionibus animi nonnullis *communibus* & vulgaribus; inde gradu facto ad altiora & *remotiora* à naturâ ac ſenſu conſcendimus, ad ea ſc. quæ meræ ſunt & ſupernaturalis revelationis. Quamquam in ipſo uſu & tractatione valde inter ſe connexa: quod omnino etiam eſſe neceſſe.

Ergo quum omnes homines peccatores ſe norint eſſe ac miſeros, neque iſtum beatitudinis ſtatum attingere, quem ſperare poſſint & concupiſcere, hinc ad exponendum præcipuum in religione noſtrâ caput, & quod primo quidem animum vellicat, ducimur, quo videlicet pacto à *peccato* & miſeriâ queamus liberari.

Quid, quantamque *pœnam* mereatur peccatum, exponi debet, & oſtendi, tum ex ipsâ rei naturâ, ſive tranſgreſſione legis optimæ & divinæ, atque læſione Majeſtatis Dei; tum tacito ſenſu & judicio conſcientiæ; denique exemplis punitorum, à Deo, vel hominibus, propter ſcelera ſua & vitia.

Jam quum homo, magnorum & plurimorum peccatorum ſibi conſcius,

ſcius, vel ferre omnium iſtorum pœnas, & hic, & in futurâ vitâ, quod neque prorſus diffitentur ipſi, debeat, vel ab iis liberari omnino; & quin hoc melius ſit, ſi obtineri queat, nulli poſſit eſſe dubium, cogitandum de *remedio.*

Hic autem *ſatisfacere* cogitur homo, vel *ipſe*, vel pro ipſo *alius.* Facile verò oſtendi poteſt vanitas eorum omnium, per quæ expiari peccata ſua Gentiles opinantur. Quum hominum nemo ſit ferendo pœnas reatuum propriorum, nedum aliorum; & ſacrificia, & luſtrationes ad hoc ſint fruſtra omnes, vel ipſorum judicio, qui dixerunt,

Ah nimium faciles, qui triſtia funera cædis
Tolli fluminea poſſe putatis aquâ.

Etiam hodie apud Indos obtinet opinio, per aquas, præſertim Gangis fluvii, uti ſuo loco diximus, expiari peccata. Quod & olim ipſis creditum Nubienſis Geographus teſtatur, part. 10. Climatis ſecundi: *inter Sinarum fluvios eſt Kalbe: & habitatores Sinarum ad utramque ipſius ripam degentes conſuetudine quadam utuntur, ut ſiquis eorum facinus aliquod perpetraverit, eoque luſtrare ſe voluerit, conferat ſeſe ad hunc fluvium, & hominum turbis aſtantibus, eique felicitatem precantibus, & gloriam atque æternitatem auſpicantibus, in flumen ſeſe immergat & moriatur.* Alias inſuper vias & modos abluendi peccata & impetrandi eorum remiſſionem, refert Rogerius, part. 2. cap. 13. 14. 15. per locorum ſanctorum viſitationem; ablutionem aquâ marinâ, &c.

Tum quia nullâ re certi eſſe queunt homines à Deo, talibus vel placari ipſum, vel iſta ipſi placere; ad alia confugiendum omnibus eſt. Quod quid ſit, explorandum jam venit. Nihil autem convenientius, quam à Deo ipſo, in tam arduo & difficili negotio, erudiri. Cumque pro divinâ ſapientiâ & potentiâ, non debeat impoſſibile videri, tale aliquod medium exiſtere, quo miſer in gratiam redire cum eo valeat; nihilque veroſimilius, quam eum quoque voluntatem ſuam ſuper hoc ſignificaſſe hominibus, & in naturâ non extet, ſequitur *Verbum* dari debere, in quo illud Deus manifeſtarit. Hic *Vedam* proferunt Indi; Chriſtiani *Scripturam*, quam habent divinam, & pro Dei verbo. Utrum alteri præferendum ſit, vel utrum quæſtioni iſti de hominis apud Deum juſtificatione, melius certiuſque reſpondeat, inquirendum. Hanc verò diſputationem paulum differemus: nam hactenus quo pacto ad eam deveniatur, præmiſsâ rerum eâ tradendarum & tractatarum expoſitione, & ut animi in ejus inquiſitionem excitari debeant, modò oſtendimus.

De

Digitized by Google

De *Deo* fateor nonnulla ſunt quoque nota ipſis Gentilibus. Sed, quum de hoc diverſiſſima adeo, & contraria, & dubia multa, omnia autem valdè obſcura tradant; hujus etiam causâ, ut quæ de Deo certò & neceſſariò tenenda ſint, quæque ipſe Deus de ſe credere homines velit, conſtare poſſit, Verbum quoque Dei conſulendum eſſe, liquet.

Neque aliud dicendum de *homine*, ejus naturâ & conditione, de ortu ejus & creatione, ſtatu ac origine, tum miſeriæ tum felicitatis, & quæ ipſum maneant ab hac vitâ: de quibus non aliunde quam iſthinc, certius ſumus edocendi. Et ſive de hoc, ſive iſto, aut illo argumento ſermo inciderit aut diſputatio, ſive de rebus aliis, ad religionem & ſalutem pertinentibus, iſto modo manuducere miſeros ad cogitationes de Scripturâ divinâ, ejus neceſſitate & uſu, ad amorem ejus qualemcunque & ſtudium oportet. Uti hac methodo Judæos ad lectionem N. Teſtamenti; ita Gentiles, ad utriuſque.

Iſto ergo modo etiam totius Theologiæ licet præmittere brevem & ſummariam expoſitionem, vel capitum aliquorum, pro re natâ: nempe & *Chriſti* ſalvatoris, quod, & quo modo nos ab æternâ damnatione liberet: ut Mediator noſter apud Deum ſit, & redemtor: idem & judex futurus totius mundi: quod natus ex virgine: quo tempore, & loco: & ut indicata ejus nativitas paſtoribus, per Angelos; Magis, in Oriente, per ſtellam: ut vixerit ſanctiſſime, & miracula fecerit, quæ nemo præter ipſum, potens opere pariter & ſermone: tandem etiam mortuus, ſed innocens pro nocentibus, & juſtus pro injuſtis: neque mortuus, niſi ad triduum, quo reſurrexit, triumphatis hoſtibus omnibus, ipſa adeo morte, Diabolo, inferno: qui & poſt reſurrectionem variis ſe exhibuit viſendum & palpandum, ne de illius quiſquam veritate dubius hæreret aut incertus: tandem & adſcendit palam, claro die, ſpectantibus hominibus, teſtibus Angelis, in cœlum, ad ſupremam gloriam capeſſendam, unde & regnat in perpetuum, regnabitque.

Sed imprimis credimus eum Dei filium æternum: *Deum* videlicet unum quidem, ſed in *Perſonis* tribus, eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, nequidquam læſâ eſſentiæ unitate vel ſimplicitate ſummâ. Hanc autem, non Dei, nedum Deorum, more Gentilium, ſed in uno Deo Perſonarum pluralitatem admittere nos & credere, quia talem ſe Deus in iſto Verbo revelavit, quod nobis omni exceptione majus eſt.

Et hunc Deum *creaſſe* totum hoc univerſum in principio rerum temporiſque, etiam *hominem* primum, cum fœminâ, à quibus totum humanum ge-

Digitized by Google

genus ortum: bonos parentes primos & optimos factos, atque etiam feliciſſimos: ſed mandato divino *inobedientes* mala innumera accerſiſſe ſibi & poſteris. Hæc origo peccati & mali omnis, ad quæ ſinguli dum accumulamus delicta quoque noſtra, in iſtam devenimus miſeriam & infelicitatem, ut liberandis vel erigendis nobis ſimus omnes impares; ad perdendum & damnandum quidem validi ſatis, nemo autem ad redimendum & ſalvandum vel ſe, vel alios.

Hæc autem neceſſitas data fuit liberatori Chriſto, ut ex merâ gratiâ, & miſericordiâ erga nos veniret, & à morte in vitam, à peccato ad juſtitiam, ex miſeriâ in gloriam nos vindicaret & aſſereret poſtliminiò.

Id nos de ipſo, atque in ipſo *credere* & confidere, ſalutis in eo fieri participes æternæ. Quo omnino reddimur ejus populus & oves, pro quibus & egit, & paſſus fuit, & vivit etiamnum quod vivit, & per ejus ſpiritum, & vitam, ipſo, & ſalute ac redemtione tantâ dignam, convertimur & ſanctificamur.

Sic nos Idem aliquando mortuos, & in cinerem redactos *ſuſcitabit*, ad ſui exemplum, & vivificabit, judex futurus omnium quotquot unquam vixere, probos aſſumturus ſecum in cœlum, ad æternam cum eo gloriam & regnum, improbos verò damnaturus ad infernum. Hæc ſumma fidei, religionis, & ſalutis noſtræ.

Quæ quia *Scripturis* continentur, credimus eſſe vera, & ab ipſo Deo inibi ſic tradita. Quarum veritatem nunc eſt quod demonſtremus.

Interim illud libet ſubjungere iis, quæ hactenus enarrata ſunt. Non videri poſſe ullam religionem iſtâ noſtrâ veroſimiliorem. Tum quia gloriam *Dei* undequaque facit ſummam, in ipſo, & in omnibus ejus operibus: tum quia infra eum, *hominem* prorſus humiliat, & culpam in ipſum ita conjicit malorum omnium, uti attribuit Deo gloriam bonorum: porro quod convenientiſſimè tradit rationem liberationis & *redemtionis* hominum ex ſuâ miſeriâ; & *virtutum* omnium, ac vitæ ſancte degendæ; denique *beatitudinis* & gloriæ cœleſtis.

Non tractat ridicula, vana, ſuperſtitioſa, qualia in ſacris, uti putantur, Gentilium libris leguntur; ſed gravia, utilia, ſacra, ad Dei *cultum* ſpectantia unicè, & hominum *ſalutem*. Quæ uti nulla alia tradit religio, vel ſcriptura, quam noſtra, tutò inde quoque ejus non veritatem modò concludimus, ſed divinitatem.

Non illa tradit, ſive Veterum, ſive hodierna *philoſophia*, vel doctrina aut ſcientia rerum naturalis: quam in Veteribus riſit Hermias, libello ele-

Digitized by Google

ganti & venuſto, *Irriſio Gentilium philoſophorum:* & quæ nec perfecta unquam doctrina fuit, neque erit, quia duntaxat humana eſt; & proinde communem ſortem imperfectionis, cum aliis non excedens: neque docet illa Vedam, Porane, & Jaſtra, vel quoſcunque ſacros libros hodie jactant Brachmanni Indorum, aliique: quæ cui videre contingit, examinet quomodo cum *ratione* conveniant; vel ſpirent *divinitatem*; vel denique obſervet ut *deficiant*, neque omnia complectantur vel exponant, quæ noſſe & habere homo avet, debetque, ad plenariam ſalutem ſuam & conſolationem.

Ad quas notas exploranda hoc in genere ſcripta ſunt, atque ad eas, ut ſubſiſtant melius vel noſtra, vel Gentilium, videndum.

Scripturæ autem ſacræ facile oſtendimus primò *veritatem*, tum *divinitatem*, inde parem *autoritatem*. Neque hæc admodum difficulter, vel diviſim, ſed potius conjunctim.

Et primò quidem, niſi Scriptura ſit vera & divina, tum *nulla* eſt, neque aliquo argumento alicujus ſcripti veritas aut divinitas probari poteſt, ſi non eodem probetur & illa. Cedo quod veſis ad illud demonſtrandum argumentum, ſi juſtum ſit, levi operâ probabitur illud competere Scripturæ ſacræ. In quâ vel Deus loquitur ad homines, vel per eos: & quæ dicitur loquutus, non in obſcuro angulo vel antro, vel forte uni alicui in aurem, ut tenebras affectaſſe videatur, diſſeruit, ſed palàm, multis teſtibus, ſæpe univerſo populo præſente, & vidente, & audiente. Quorum veritatem neque recepiſſent omnes, ſi ullâ parte fuiſſet dubia, neque poſteris tradidiſſent tot argumentis, teſtibus, indiciis, ſignis & miraculis confirmatam, ſi minus vera fuiſſent omnia, vel falſa, vel aliquo modo dubia.

Deinde *Scriptores* illi fuerunt viri integri, pii, ſancti, in quos ſuſpicio mendacii & falſitatis hoc minus cadere poteſt, quod ab animo ipſorum, & vitâ, moribuſque, tum doctrinâ alieniſſimæ impiæ artes fuerunt, non decipiendi modò, ſed in re tantâ & tam divinâ illudendi Deo pariter atque hominibus. Quod hi fecerunt, ſi falſi. Sed nec voluiſſent facere, quia ab animo impetrare impoſſibile erat: nec cur feciſſent, cauſa ulla aſſignari poteſt; non piis tantum illis, ſed & pro pietate, ac veritate doctrinæ ſuæ omnia perpeſſis, & neque lucro ullo, vel præmio aut pretio, dignitate, voluptate, aliiſque corruptelis, quibus homines in perverſa abripi ſolent, & quorum ipſi quà doctrinâ, quà exemplo ſectabantur abnegationem, capiendis.

Anti-

Digitized by Google

Antiquitatem Scripturæ ſi conſideremus, & ſi, quod antiquiſſimum, idem verum eſt, nulla antiquior ſcriptura exiſtit in toto terrarum orbe, vel fuit umquam, aut tamdiu perſtitit, & conſtanter adverſus omnes rerum tempeſtates, jacturas, viciſſitudines, & interitus ſuperior ubique evaſit, quam iſta. Homerum Græci jactant, vel ſi quod Homero ſcriptum antiquius, & forte incertum magis, quæ omnia magnis intervallis ætatis, certitudinis, uſuſque ſuperant libri, quos habemus, Moſis, qui Trojanum bellum nongentis fere annis anteceſſit, ſecundum Lactantium, *lib.* 4. *cap.* 5. Quod & à Judæis oſtenſum ſæpe, & Chriſtianis à Joſepho, contra Apionem; à Juſtino martyre; & diſcipulo ejus Tatiano; Theophilo, ad Autolycum, libro tertio; Clemente, Stromatum primo; Euſebio, & aliis.

Cæterum Scripturæ *materia* & argumentum, quod tractat, divinitatem ejus demonſtrat evidenter. Etenim non niſi ſacra tradit & divina, cui uni fini hominem imbuit altiori notitiâ, ut Deum amet, & colat. Quidquid de Deo ſciri poteſt, & debet, quidquid de felicitate noſtrâ in Chriſto, & divinâ per ipſum gratiâ recuperandâ, quidquid de vivendi ratione ſanctiſſimâ & perfectiſſimâ, ibi edocentur homines, & inſtruuntur uberrime. Neque enim parcâ & avarâ manu Deus res nobis ſacras, earumque notitiam communicat ſuo verbo, ſed valde liberali atque copioſiſſimâ illas ſpargit per Scripturam, inde in hominum omnium, quotquot ei fidem adhibent, animos. Etenim inde omnis certa & ſublimis de Deo diviniſque notitia, & ratio philoſophandi optima, quia & certiſſima, & ſaluberrima. Quodque in Chriſtianis mirari omnes coguntur, cum quis ſapientiæ apud eos, virtutis, & probitatis, mentiſque eſt melioris, inde petitur atque hauritur, tamquam ex fonte vivo, & perenni, & abundante ſupra modum.

Accedit *efficacia*, quam habet in omnium animis, ad mutandos in melius, & ſanctificandos, & tranquillandos omni non tantum in malis ſolatio, ſed gaudio quoque & gloria. Ejus etenim Verbi prædicatione, non aliqui, ſed integræ gentes, & mundus ad fidem acceſſit, & Dei cultum, miſſis vanitatibus ſæculi, & ſuperſtitione priſtina, & vivendi genere inhumano ac pravo. Neque aliunde cupimus æque de Scriptura judicari, quam ex animo & ſenſu, quem facit in audientibus eam legentibuſque. Denique ex *ſatietate*, quam hinc demum mens capit rerum omnium, quas ſcire cupit, & experiri. Sentit quiſque in ſe magnos hiatus & defectus, quos adimpleri natura poſtulat, tum in genere ſcientiarum, præcipuè rerum di-

vinarum, tum felicitatis, & quomodo à vitiis expedire animum poſſit, & ab infinito, quo tenetur, reatu vindicare; ad quæ nihil eſt quid reſpondere, quid ſatisfacere poſſit, præter unicam Scripturam & Deum in ea de ſingulis, & ad ſingula reſpondentem, reſpondentem ita, ut ſerio expenſa & applicata variis illis caſibus quæſtionibuſque ſola miram animo adferant contentationem & tranquillitatem.

Quod & *martyrum* variorum inſignis probat conſtantia, qui illa ſic ſe habere & eſſe veriſſima, omnibus, quæcunque vel excogitare dura mali poſſunt, & boni pati, exantlatis, & ſanguine ac morte ſua obſignare fortiter maluerunt, quam negare aut diſſimulare vel minimum apicem. Quod non unus vel alter, ut capti mente videri potuiſſent, ſed innumeri, & optimi, atque ſapientiſſimi fecerunt quovis ævo, & occaſione quacumque huc adigente, vel invitante.

Neque omittendæ variæ in Scripturis factæ rerum quarumcunque, & præcipuarum, quæ in mundo contigerunt, mutationum *prædictiones*, quæ ita prorſus evenerunt, uti prædictum multis ante ſæculis fuerat. Non capta ex rebus vanis auguria, vel Dæmonum arte fabricata ambigua, & fallentia; & Deo ac juſtitia homines abalienantia reſponſa; ſed Dei omniſcii vera certiſſimaque, ad bonum & ſalutem hominum facientia vaticinia.

Denique ut omittam *conſenſum* omnium Scripturæ librorum, & rerum ac materiarum inter ſe harmoniam exactam prorſus & divinam, non parvum ad hæc momentum habent ipſa *Gentilium* de Scripturis, & cum iis convenientia, variarum rerum, teſtimonia. Ut Scripturæ veritas quoque ex conſcientia earumdem in profanis hiſtoriis rerum, hoc clarius elucefcat & confirmetur. Atque iſta de Scripturis ſacris, proque earundem veritate dicta ſunto.

Quod vero objecerunt Gentiles, ſtyli in Scriptura *ſimplicitatem*, & quod Scriptores ejus neque ſæculi eruditionem affectarunt, neque eloquentiam; adeo non in contemtum ejus vel opprobrium verti debet, ut hoc magis commendet. Quia augusta rerum adeo excellentium & divinarum veritas nec quærit, nec patitur lenocinia & fucum humanæ artis, ſeipſa, & veritate, & dignitate ſua contenta & commendata ſatis ſuperque. Lactantius, lib. 5. cap. 1. *Nam hæc inprimis cauſa eſt, cur apud ſapientes, & doctos, & principes hujus ſeculi, ſcriptura ſancta fide careat, quòd prophetæ communi, ac ſimplici ſermone, ut ad populum, ſunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire, vel legere, niſi expolitum, ac diſertum*

vo-

volunt, nec quicquam inhærere animis eorum poteſt, niſi quod aures blandiori ſono permulcet. Illa verò, quæ ſordida videntur, anilia, inepta, vulgaria exiſtimantur. Adeo nihil verum putant, niſi quod auditu ſuave eſt, nihil credibile, niſi quod poteſt incutere voluptatem: nemo rem veritate ponderat, ſed ornatu. Non credunt ergo divinis, quæ fuco carent, ſed ne illis quidem, qui ea interpretantur, quia ſunt & ipſi aut omnino rudes, aut certe parum docti. Et apud Arnobium, lib. 1. *ſed ab indoctis hominibus, & rudibus ſcripta ſunt.* quare & barbariſmis & ſolæciſmis res noſtras obſitas culpabant. Quæ uti diluant, ſuis locis videri poteſt. In Actis Felicis, Epiſcopi Tubizacenſis, Scripturas appellant vanas & ſupervacuas. Legatus enim dixiſſe ei perhibetur: *quare Scripturas non tradis inanes & ſupervacuas?* Quæ calumniæ haud melius quam ipſius Scripturæ ſedula inſpectione & examine confutari poſſunt; inſuper & vita ac praxi non vana, non ſtulta, ſed irreprehenſibili & ſancta eorum, qui tum fidem illi habent, tum ad eam vitam ſuam religioſe componunt.

CAPUT DECIMUM.

De autoritate Chriſti & Apoſtolorum, & veritate Religionis Chriſtianæ.

SUpereſt, ut pro veritate *Chriſtianæ religionis* nunc pugnemus: quod ex prioribus eo erit facilius, quo inde per ſe ſequitur, religionem ejus parem, id eſt, puram eſſe, ac divinam: ideoque brevioribus abſolvendum. Non tamen illinc, ſed ex naturâ rei ſectabimur potius argumenta, quamvis à prioribus haud adeo multum diſſimilia.

De *Chriſto* autem hic dicendum in initio; tum de *Apoſtolis*, ejus juſſu totum orbem docentibus; denique de doctrinâ, quam tradiderunt, ſive de *religione* Chriſtianâ ipſa.

Chriſtum verò non impoſtorem vel magum fuiſſe, quod infideles calumniantur, ſed virum ſaltem magnum, ſanctum, Prophetam, quin Deum, ex operibus ejus conſtat, quæ utpote in luce poſita ſpectamus in præſenti, & ex iis arguimus, ſive ex ejus *vitâ* ſanctiſſimâ, & omnibus numeris perfectâ; *doctrinâ* vera, & pia, quam docuit; denique *miraculis*, quibus utramque comprobavit.

Vita talis, ut non modo mille homines, neque ipſius Adverſarii quidquam contra ipſum adferre potuerint, ſed ipſi hoſtes & judices teſtimonium dare innocentiæ fuerint coacti. Neque jam eſt quod metuamus, ne

quæ alia à prioribus quis contra ipſum objiciat de novo; quum quod tum temporis nulli probare potuerunt, nihil vereamur aliud nunc vim habiturum adverſus veritatem tanto jam clariorem, ac clarior omni gloriâ Chriſtus eſt & virtute.

Doctrina autem ejus qualis fuerit, tum ex Evangelio liquet, tum Eccleſia, ſive hominibus ad regulam illam vitam ſuam inſtituentibus. De quorum moribus Plinius ad Trajanum Imp. ſcribere coactus fuit, nihil eos præter Romanorum legem agere, tantùm antelucanos cœtus frequentare, & canere hymnos Chriſto, tamquam Deo; ad diſciplinæ autem inter ſe rigorem prohibere homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & iſtis ſimilia. Quare tale genus *hominum* ad ſupplicium inquiri Trajanus vetuit. *ſententiam, neceſſitate confuſam!* Ut mittamus quæ alia ex variis Impp. Adriani, Antonini, Marci, Reſcriptis pro Chriſtianis adfert Juſtinus in ſecundæ Apologiæ fine.

Chriſti verò *miracula* quod concernit, nec pauca, nec obſcura, & ſolo juſſu patrata è veſtigio, in Dei nomine, non Diaboli, cujus regnum & vim deſtruebant, & ad cultum Dei homines provocabant, confirmarunt tum doctrinam, cujus fuerunt ſigilla quædam valde illuſtria, tum vitam, atque vocationem ſeu miſſionem à Deo Patre ad peragendum ſalutis noſtræ negotium.

Dixerunt quidem Adverſarii, Magica illa eſſe, nam falſa & conficta dicere haud potuerunt, quum viderent claudum ambulare, viſum cœcis reſtitui, ægrotis valetudinem, vitam mortuis; ſed jam ſuo tempore & Chriſtus illud diluit, & ipſa rei evidentia confudit. Neque Judæi tantum, ſed quoque Gentiles, poſt Chriſti tempora idem objecerunt. Unde Arnobius, lib. 1. *occurſurus forſitan eſt cum multis aliis calumnioſis illis & puerilibus vocibus: magus fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina, & remotas furatus eſt diſciplinas.* Quia noverant Chriſtum in Ægyptum aliquando conceſſiſſe, hinc eum ibidem Magicas artes didiciſſe, & ſuffuratum nomina, quorum in incantationibus uſus ſolet eſſe nefariis hominibus, arbitrabantur.

Idem & Celſus objecit Chriſtianis. Quare Auguſtinus, in Matth. xi. *Pagani dicunt, Dominum Chriſtum magicis artibus feciſſe miracula.* Reſpondet verò Arnobius, *poteſtis aliquem nobis deſignare, monſtrare ex omnibus illis Magis, qui unquam fuere per ſæcula, conſimile aliquid Chriſto milleſima ex parte qui fecerit? qui ſine ullâ vi carminum, & ſine herbarum & graminum ſuccis, ſine ulla aliqua obſervatione ſollicitâ ſacrorum, libaminum,* *tem-*

temporum? --- Atqui conſtitit Chriſtum ſine ullis adminiculis rerum, ſine ullius ritus obſervatione, vel lege, omnia illa quæ fecit, nominis ſui poſſibilitate feciſſe: & quod proprium, conſentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenum bonis, poteſtatis munifica liberalitate donaſſe.

Jam quia miracula fecit Chriſtus, non quomodo alii homines, qui duntaxat ut *moralia* inſtrumenta concurrunt, non *phyſica*; ſed primum vi & *poteſtate* ſuâ, tum uti homines in ſe *crederent*, denique ad *gloriam* ſuam, ſe Deum eſſe probavit illis; quia nulli homini vel datum, vel fas eſt ita agere.

Cæterum *Apoſtoli* primi Chriſti diſcipuli & miniſtri, ab eo miſſi in orbem univerſum ad docendum homines veritatem & Chriſti doctrinam eam, quæ à malo illos averteret, & in bono confirmaret, atque adduceret ad ſalutem, fuerunt rudes quidem & non imbuti ſæculi diſciplinis, interim rerum ſacrarum callentiſſimi, & omnium ad religionem neceſſariorum copiâ ſingulari, per Spiritum, quem in eos extraordinario & ſtupendo modo Chriſtus emiſerat, imbuti; & vitæ admodum ſanctæ & inculpatæ, pleni Deo, bonis rebus virtutibuſque addictiſſimi, flagrantes zelo ad promovendum Dei regnum, & miſerorum hominum ſalutem. Hinc magnam orbis partem, & mundum in mundo Chriſto domino & Deo ſuo ſubjecerunt, nullâ vi uſi, aut fraude, non armis vel humanis vel Diabolicis, non propoſitis voluptatibus & deliciis, quæ ineſcare homines ſolent & quocumque trahere; ſed ingrata carni & dura, mundo inimica, neque vulgo placentia, quin abnegationem omnium tum quæ delectant, tum quæ proficua, imò pro jacturâ omnia æſtimare & fumo, præ Chriſto, & hunc ſequendum per adverſitates omnes, ſublatâ unicuique & portatâ cruce ſuâ, neque aliter hic licere aut profiteri Chriſtum, aut regnum ejus adire & gloriam, docebant: denique & *miraculis*, gratia & virtute Chriſti patratis, confirmabant. Quodque tali prædicatione mundum domarunt, ſubegerunt, triumpharunt Chriſto ſuo, primò Chriſti, & doctrinæ ejus, tum & ipſorum demonſtravit vim, ſanctitatem, & gloriam.

Eoque ſatis retundere accuſationem ruditatis & ἀπαιδευσίας potuerunt, ipſis à Gentilibus paſſim objectam Veteres. Apud Arnobium, lib. 1. *Sed ab indoctis hominibus, & rudibus ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credenda.* Ad quod bene reſpondet, *vide ne magis hæc fortior cauſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis, mente ſimplici prodita, & ignarâ lenociniis ampliare. Trivialis & ſordidus ſermo eſt. Nunquam enim veritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt, circumduci ſe patitur ora-*

tio

tionis per ambitum longiorem.--- Barbariſmis, ſolæciſmis obſitæ ſunt, inquit, res veſtræ, & vitiorum doformitate pollutæ. Puerilis ſane, atque anguſti pectoris reprehenſio. Quæ ut redarguat, apud ipſum autorem conſule. *Cum de rebus agitur*, inquit inter alia, *ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus utilitates; maxime cum ſciamus etiam quoſdam ſapientiæ deditos non tantùm abjeciſſe ſermonis cultum, verum etiam cum poſſent ornatius atque uberius eloqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, & ſophiſticâ ſe potius oſtentatione jactarent.*

Atque uti offendebantur vilitate, & conditione externâ Apoſtolorum, ſeu virorum Apoſtolicorum, qui doctrinam Evangelii ad eos deferebant, ita quoque ex tenui ſorte vulgi, credentium in eam, & ſectatorum Chriſti, qui pauperiores paſſim & ſortis ſexuſque inferioris erant, mulierculæ, opifices, nautæ, ſellularii, indocti & illiterati. Cæcilius, apud Minutium: *Itaque indignandum omnibus, indoleſcendumque eſt, audere quoſdam, & hos ſtudiorum rudes, litterarum profanos, expertes, artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſummâ rerum, ac majeſtate decernere. --- qui de ultimâ fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitatem habentibus, plebem profanæ conjurationis inſtituunt.* At Octavius poſtea: *cæterum quod plerique pauperes diximus, non eſt infamia noſtra, ſed gloria.* Arnobius, lib. III. *deſpuitis nos ut rudes.* Idem Celſus objicit, apud Origenem; Julianus, apud Nazianzenum; & Cyrillum: alii apud alios: in quo amovendo præjudicio iſtorum temporum Patres proinde toti ſunt, Juſtinus, Theophilus, Tatianus, præter eos, quos diximus. Prudentius, de martyrio Fructuoſi:

Tu qui doctor, ait, ſeris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos deſtituant, Jovem relinquant
Damnes, ſi ſapias, anile dogma.

Nam impiam & *anilem ſuperſtitionem* vulgo vocabant Chriſtianorum doctrinam. Apud Lactantium, lib. V. cap. II. & XIII. *Nam interdum iſti muliebrem, anilem ſuperſtitionem vocant.* Sic & apud Minutium.

Pallidos, tetricos, miſeros dicebant. Cæcilius, ad Octavium, de Chriſtianis, *coronas etiam ſepulchris denegatis, pallidi, trepidi, miſericordia digni.* Idem & Lucianus illis objicit, procul dubio ex eorum abſtinentia, & crebrioribus jejuniis.

Dixe-

Digitized by Google

Dixerat quoque Cæcilius: *vos verò ſuſpenſi interim atque ſolliciti, honeſtis voluptatibus abſtinetis; non ſpectacula viſitis, non pompis intereſtis; convivia publica abſque vobis.* Adeo tetrici illis videbantur primi optimique Chriſtiani, moroſi, & à communibus rebus ac voluptatibus, quas alii licitas & medias exiſtimabant, abſtinentes. Neque hoc ſe ſuperſtitioſos putabant, aut damnandos: nempe qui ex moribus & vita æſtimari ſe cupiebant. Minutius: *Nos igitur qui moribus & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus & ſpectaculis abſtinemus.*

Quodque vel *paucitatem* credentium objectabant: Arnobius, lib. III. *Neque enim religio Chriſtiana eo eſſe comprobabitur vera, ſi adſtipulatores habuerit plurimos*: aut conditionem *viliſſimi* vulgi, aut ſexus eam profitentium, hoc maxime arguebantur, quod ab illis confunderetur eorum arrogans & inſana ſuperſtitio. Lactantius, lib. v. cap. xx. *Jam profecto ab aniculis, quas contemnunt, & pueris noſtratibus, error illorum ac ſtultitia irridebitur. --- ſciant igitur vel ex hoc ipſo, quantum interſit inter verum & falſum, quando ipſi, quum ſint eloquentes, perſuadere non poſſunt, imperiti, ac rudes poſſunt, quia res ipſa, & veritas loquitur.* & cap. XIII. *Noſtri autem (ut de viris taceam) pueri, & mulierculæ, tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illos gemitum nec ignis poteſt.*

Tum illud quoque primarium argumentum eſt pro veritate religionis Chriſtianæ, & ab Apoſtolis prædicatæ, admirabilis videl. illa mundi *converſio*, per ſimplicem Evangelii Chriſti prædicationem: non à mundi hujus ſapientibus, ſophiſtis, potentibus factam, ſed imo adverſus eos; non eloquentia & vi humana, ſed per unam *Evangelii* doctrinam, ab agreſtibus & *rudibus* præconibus expoſitam, tam *brevi* tempore, nullo humano *præſidio*, tot tantaſque *gentes*, ab inveteratâ *idololatriâ* ad *Deum*, & fidem Chriſti, à *Chriſto* traductas. Neque enim ullus id egit, imo nec conatus unquam præter Chriſtum fuit, qui illa doctrinâ ſuâ perfecit, per ſuos, illius doctrinæ nuncios & doctores. Magis enim admirandum & excellens opus videri debet, quando & à quo, & ad quod converſi homines illorum opera ſint, propius examinamus.

Profecto dum tantæ difficultatis deprehendimus negotium, unum aliquando hominem, ab errore aut vitio aliquo gravi abducere, & perſuadere ei atque imprimere meliorem animum: quanti laboris, & fructus fuerit, tot homines, à difficillimo, & longa vetuſtate fere in naturam verſo morbo, aut potius morte, & à Diabolo liberare, cujus hic profligandum imperium fuit, quod innumeris ſeculis in miſeros illos exercuerat. Neque enim cum

Digitized by Google

hominibus tantùm, ſed dæmonibus atque inferni poteſtatibus res ipſis fuit, ut ſolus Chriſtus deinceps agnoſceretur eorum Dominus, & Deus.

Is, de quo nunquam antea quidquam inaudiverant Gentiles, & jam annunciatus, *morte* nefaria offendiculo erat, ne in ipſum crederent. Hoc enim Gentiles aſſidue objeciſſe Chriſtianis legimus, quod in crucifixum crederent, mortuumque: *quod hominem natum, & quod perſonis infame eſt vilibus, crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis; & quotidianis ſupplicationibus adoratis*, inquiunt apud Arnobium, lib. I. Apud Minutium Cæcilius, *hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum --- ut id colant, quod merentur.* Auguſtinus, ſerm. VIII. de verbis Apoſtoli, *de cruce Chriſti nobis inſultant ſapientes hujus mundi, & dicunt: quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum.* & Lactantius, lib. IV. cap. XVI. *Nunc venio ad ipſam paſſionem: quæ velut opprobrium nobis objectari ſolet, quod & hominem, & ab hominibus inſigni ſupplicio affectum, & excruciatum colamus.* Sed primò non pro peccato ſuo Chriſtus tale ſupplicium meruit, aut ſuſtinuit; non invitus ad hoc raptus, ſed ſponte adiit, ſivitque ſe malum in modum ab hominibus tentari, quos ut facile erat ſibi compeſcere & proſternere, etiam illo tempore non deſtitit comprobare: quod autem noluit, indicat aliud, & magnum latuiſſe myſterium, quod ita fieri oportebat & melius eſſet; nobis nempe, iſtâ victimâ expiandis & redimendis. Atque hæc cauſa paſſionum iſtarum erat, luere pro peccatis noſtris diriſſima, quæ non aliam pœnam erant commerita. Denique non in Deitate ſuâ Deus, ſed in humanâ naturâ patiebatur, divinâ humanam in iſto onere ſuſtentante, & conciliante paſſionibus tanti Redemptoris, dignum ipſo, dignum paſſionibus & morte illâ, pretium. *Mors illa, quam dicimus, aſſumpti hominis fuit*, inquit Arnobius, *non ipſius: geſtaminis, non geſtantis: quam nec ipſam perpeti ſuccubuiſſet, tanta ſi non agenda res eſſet, & inexplicabilis ratio fati clauſis patefacienda myſteriis.* Quo majus Chriſti opus in eo apparuit, quod ab idolis, & inſaniâ ſuâ Gentiles avocare potuit, & adducere ad ſe, atque ad agnoſcendam, & amplectendam crucem ſuam, in crucifixo ponentes ſalutis ſuæ ſpem, & hunc etiam pro Deo, nequidquam ejus humilitate offenſi jam, venerantes.

Neque ab errore duntaxat ad veritatem, ab idolis ad cultum Dei, ſed quoque *vitam* inter ſe honeſte degendam, & virtutibus omnibus conſpicuam vocati. Qui crudeles antea, feri, inhumani, luxu, libidine, vitiiſque diffluentes; poſtea caſti, temperantes, benigni, & amore, quia erga Deum, erga proximum etiam facti fuerunt flagrantiſſimi. *Habet à Chriſto*, inquit

verè

Digitized by Google

verè Arnobius, lib. I. *Beneficium jamdudum orbis ingratus; per quem feritatis mollita eſt rabies, atque hoſtiles manus cobibere à ſanguine cognati animantis occepit.* Euſebius, Præparat. lib. I. cap. III. *Nunquam alias in memoria hominum ab aliquo illuſtri viro, aut populo factum, niſi nunc, ſuis duntaxat verbis, atque doctrina per univerſum orbem diffuſa, ut omnium jura gentium rectè atque humanitus ſe habeant, illa ipſa, inquam, jura, quæ ante adventum ſuum tetra, fœda, immania erant. Non enim jam Perſæ, qui eum ſecuti ſunt, matres ſuas nefandis nuptiis cognoſcunt, non humanis veſcuntur carnibus. Scythæ, quoniam ad eos uſque prædicatio Chriſti pervenit, nec chariſſimos, falſa religione impulſi, liberos jugulant. Hæc certè ac talia penè infinita hominum quondam vitam vexabant. Maſſagetæ ac Derbices propinquos atque affines ſuos, qui ſenectute conficiebantur: miſerrimos putaſſe traduntur: ac ideo immolantes carnes eorum, quos plurimi fecerant, epulabantur. Tibareni viros ſeniores ſuos præcipitare; Hyrcani rapaci generi avium; Caſpii canibus projicere ſoliti: quæ quidem cuncta religioſiſſime prius faciebant, nunc verò ſola Evangelica virtute undique truculentiſſima hæc peſtis exploſa eſt.* Eadem urget Origenes, in primo, adverſus Celſum, & quarto: Athanaſius, in ſecundo contra Gentiles: & Chryſoſtomus, in libro, quod Chriſtus ſit Deus, nam inde etiam jure ejus deitatem concludit; *conſidera & cogita tecum, quid ſit, in tam brevi tempore omnem ſub ſole terram tantis eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, ut patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam & radicatam revellant, altaria & templa, & ſtatuas & ſacrificia, & prophana feſta, & immundum odorem, ſicut fimum aliquem aboleant, & excitent altaria ubique gentium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & ultra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt (ſunt enim etiam illic fundatæ eccleſiæ, & erecta altaria.)* Eademque urgent Lactantius, *lib.* V. *cap.* XIII. & Firmicus, de errore profanar. religionum.

Quod ſi bella objiciantur, etiam inter ipſos Chriſtianos excitari, & geri ſolita; quod & Judæi continuò nobis exprobrant; egregie reſpondet Arnobius; *quod ſi omnes omnino, qui homines ſe eſſe non ſpecie corporum, ſed rationis intelligunt poteſtate, ſalutaribus ejus pacificiſque decretis aurem vellent commodare pauliſper, & non faſtu & ſupercilio luminis, ſuis potius ſenſibus, quam illius commonitionibus crederent: univerſus jam dudum orbis mitiora in opera converſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſima degeret, & in concordiam ſalutarem incorruptis fœderum ſanctionibus conveniret.* Id eſt, vitia illa homi-

hominum ſunt; non doctrinæ, ſed doctrinâ abutentium, quæ ſi reciperetur ab omnibus prout decet, & vim ſuam, contra hominum corruptiones ubique exerceret, jam alta pax animos regeret, & bearet mundum, qui non aliâ magis ex cauſâ, quam vi Evangelii ad mutuam concordiam redire poteſt, & coaleſcere invicem, quo *aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiaris communicatores rei, & cum omnibus conſolidæ germanitatis neceſſitudine copulatos*, inquit idem, lib. IV. Et Tertullianus, in Apol. *Sed dicet aliquis, etiam de noſtris excedere quoſdam à regula diſciplinæ, deſinunt tum Chriſtiani penes nos.*

Unde *fratrum* nomen apud Chriſtianos proprium, & familiare. Arnobius, in Pſalm. CXXXIII. *Modo dicite mihi, quod conveniſtis omnes in unum vos, qui fratres nominamini? aut unde eſtis omnes fratres, oſtendite: de uno, inquit, patre Chriſto, & de una matre Eccleſia.* Tertullianus, in Apol. hinc notam infamiæ inuſtam Chriſtianis indicat: *vide*, inquiunt, *ut invicem ſe diligant; ipſi enim invicem oderunt: & pro alterutro mori ſunt parati; ipſi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt. Sed quod & fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt.* Id eſt, quia fratres, ſe mutuò & ſorores appellabant, inceſtibus conſtare ipſorum matrimonia putabant. Ad carnem trahentes, quod ſpirituali modo eſt accipiendum. Minutius, vel primò apud eum Cæcilius, *paſſim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miſcetur: ac ſe promiſcue appellant fratres, & ſorores, ut etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum.* Ad quæ poſtmodum ſuo loco Octavius; *ſic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non novimus: ſic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes.*

Iſtorum verò omnium, quæ Chriſtus ita egit doctrinâ ſuâ, inter gentes efficax & illuſtris demonſtratio eſt, quod cum adventu ſuo idola abegit, & ſilere juſſit apud Gentiles celebratiſſima eorum *oracula.* Quæ circa id tempus defeciſſe, & multam ipſis Gentilibus injeciſſe admirationem, ipſi teſtantur, & probat Plutarchi eximius libellus, *de defectu oraculorum.* Et Euſebius, Præparat. lib. V. cap. I. *Quòd autem poſt tempora Salvatoris noſtri, potentia dæmonum fracta jaceat, ipſe Porphyrius Chriſtiani nominis hoſtis in libro, quem adverſus religionem noſtram conſcripſit, hoc modo teſtatur: Nunc verò mirantur, inquit, ſi tam multis annis peſte civitas vexatur, quum & Æſculapius & alii dii longè abſint ab ea. Poſteà enim quàm JESUS colitur, nihil utilitatis à diis conſequi poſſumus. Hæc verba illius ſunt.* Quem

eun-

Digitized by Google

eundem vide cap. VIII. de defectu oraculorum, ex Porphyrio, & Plutarcho agentem. Nazianzenus, orat. alterâ in Julianum: *non amplius loquitur quercus, non amplius pelvis vaticinatur, non amplius Pythia impletur neſcio quibus niſi fabulis & deliriis. Rurſus Caſtalia ſilebit, & ſilet, aquaque eſt non vatidica, ſed ridicula. Item Andrienſis Apollo mutus, & Daphne planta eſt fabula deploranda.* Hæc pro Chriſto, & ejus non meritis duntaxat, ſed divinitate, adverſus omne genus infidelium, ſeu Judæorum, ſeu Gentilium, adhibentur, tanquam argumentum reale, clarum, latiſſimum, & nullis non evidens, quo integræ gentes, & totus adeo orbis, cum olim, tum hodie ſemper teſtimonium coguntur ferre Chriſto liberatori ac vindici. Comparetur ſtatus uterque hominum, olim tenebris infidelitatis ſubmerſorum, atque nunc supernâ luce illuſtratorum, quando nec Deum, nec Chriſtum, nec Verbum, nec ſalutem ſuam norant, non quid juſtum & rectum, ne humanitatem quidem præſtabant; jam Deum cognoſcentes, magis adhuc ab ipſo cogniti, divina & cœleſtia meditantur, Angelis propiores degendo nunc, quam olim hominibus. Cujus felicitatis non alia cauſa eſt, quam Chriſtus, & religio, quam ipſi debemus, Chriſtiana. Quæ ſola uti homines adeo ſapientes reddidit, & ſanctos, & beatos, ita quin hinc omnibus ſeſe meritò commendet, quis eſt qui fateri non cogatur?

Accedit Chriſtianorum in ferendis omnis generis malis, & perſecutionibus pro veritate illa ſuæ religionis, admiranda conſtantia, & *martyria* innumera, non ex aliqua inſenſibilitate, ſtupore, jactantia, gloria, aut pertinacia opinionis propriæ, non pro aſſequendis aut retinendis mundi & carnis vitioſæ rebus aut commodis, quorum cauſas ſemper procul habent, ſed ex ſancti animi & conſcientiæ Deo inviolate ſervandæ ſenſu, & deſiderio promovendi ejus gloriam & cultum: unde in mediis tormentis longa alia eorum facies & tranquillitas, ac hominum vano vel malo aliquo impetu, ſive ſcelerum cauſa, in morte aut ſuppliciis, quæ ſuſtinent, furentium, ubi iſti placide, ſerene, pie in Domino obeunt & obdormiſcunt, etiam quando lapidibus obruuntur, vel uſtulantur, aut gladio, & quovis genere mortis torquentur & excarnificantur. Quæ cauſa alios ſæpe movit, deſerta Gentilitate, ad Chriſti fidem accurrendi, ut ſimilis mortis, nedum vitæ, cum ſanctis & fortiſſimis Chriſti athletis, redderentur conſortes, Lactantius, lib. 5. cap. 13. *Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, exiſtimant, id quod res eſt, nec conſenſum tam multorum, nec perſeverantiam morientium vanam eſſe, nec ipſam patientiam ſine Deo*

cruciatus tantos poſſe ſuperare, latrones, & robuſti corporis viri ejuſmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, & gemitus edunt. vincuntur enim dolore, quia deeſt illis inſpirata patientia. Noſtri autem (ut de viris taceam) pueri, & mulierculæ, tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt.

Quo majus iterum argumentum eſt pro Chriſti religione, quod & contra tot adverſitates ſemper ſtetit firma, & opprimi vel extingui non potuit: & à Chriſti inde tempore tot maximis incrementis & victoriis in hominum animis & converſione illuſtris, non modò orbem pervagata, ſed & ad nos quoque poſt tot ſecula, hoſtes, lanienas, clades, intemerata pervenit & glorioſa ſupra modum. Ejus nempe longa & feliciſſima *diuturnitas.*

Sed hinc capiunt, & *objiciunt* Gentiles adverſus religionem non unum præjudicium. Primum, ipſas illas & continuas Chriſtianorum, quibus affliguntur, *adverſitates.* Quippe exiſtimant, ſi ea eſſet tam bona, tam beata religio, non debere ejus profeſſores tot malis agitari aſſiduè & graviſſimis afflictionibus. Quaſi verò mala eſſent, & non id dicerentur verius, quam eſſent. Nam multis quidem modis proſunt, nocent nihil. Quum ſint virtutis probationes tantum aliquæ, & exercitamenta, quibus nota & illuſtrior redditur fides ac conſtantia, non læditur aut corrumpitur. Et cujus non virtus adverſis exploratur, & confirmatur? Niſi tempeſtates & venti ingruerent aliquando, quomodo naucleri probaretur fortitudo & peritia? vel quando magis militis animus oſtenditur, quam in prælio & pugnâ, qui niſi illis provocetur, non cognoſcitur? Tum iſtorum acerbitate & ſenſu animus Chriſtiani a purgatur indies, & à mundo & carnalibus avocatus abſtractuſque paratur cœlo, alia & meliora hoc ſtudioſius affectans, quo hic magis pungitur, & premitur, non opprimitur.

Atque ita Veteres reſponderunt, ad eadem ſibi à Gentilibus, neque ſemel objecta. Cæcilius, apud Minutium, *ecce pars veſtrûm & major, & melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis. --- Sed omitto communia, ecce vobis minæ, ſupplicia, tormenta, etiam non adorandæ, ſed ſubeundæ cruces: ignes etiam &c.* Arnobius, lib. 2. *cum ergo, inquitis, omnipotenti ſervitis Deo, & eum confiditis habere ſalutis atque incolumitatis veſtræ curam, cur perſecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum & ſuppliciorum ſubire?* Eadem & apud alios occurrunt. Quomodo verò reſpondebant Chriſtiani? Unum ſuffecerit audire Octavium, apud Minutium, ad Cæcilii illa, hæc reponentem: *itaque ut aurum ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quam pulchrum ſpectaculum Deo, cum*

Chri-

Chriſtianus cum dolore congreditur, cum adverſum minas, & ſupplicia, & tormenta componitur, cum ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens inſultat, cum libertatem ſuam adverſus reges & principes erigit; ſoli Deo, cujus eſt, cedit; cum triumphator & victor, ipſi qui adverſum ſe ſententiam dixit, inſultat --- At enim Dei miles nec in dolore deſeritur, nec morte finitur. Sic Chriſtianus miſer videri poteſt, non poteſt inveniri. Vos ipſi calamitoſos viros fertis ad cœlum: Mucium Scævolam, qui cum erraſſet in regem, periſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quod ex noſtris non dexteram ſolum, ſed totum corpus uri, cremari ſine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in poteſtate? Vide & Lactantium, lib. 5. cap. 22. *imo verò cum vexamur, & premimur, tum maxime gratias agimus indulgentiſſimo patri, quod corruptelam noſtram non patitur longius procedere, ſed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, eſſe nos Deo curæ --- Eſt & alia cauſa, cur adverſum nos perſecutiones fieri ſinat; ut Dei populus augeatur.* Quod quomodo hinc fiat, porro diligenter exponit.

Eſt & aliud, quod Gentiles olim oggerebant Chriſtianis, nimirum admiſsâ ipſorum religione, *adaucta* in mundo mala fuiſſe, & valde afflictam ubique Rempublicam, hucuſque felicem & proſperam. *Sed ſi per vos, inquiunt, nihil rebus incommodatur humanis, unde ſunt hæc mala, quibus urgetur & premitur jamdudum miſeranda mortalitas?* apud Arnobium, lib. 1.

Quam calumniam ex profeſſo diluunt Auguſtinus, in libris de Civitate Dei, & Oroſius, in hiſtoriis, oſtendentes, id neutiquam eſſe verum, quod plura & graviora mala incubuerint hominibus ab ortu Chriſtianiſmi, quam antea, & propterea Oroſius, hortatu Auguſtini libros ſuos ſcripſit, uti id ex hiſtoriis antiquorum revinceret. Deinde cauſam malorum oſtendunt illi, aliique, non in Chriſtianos, ſed Deorum inſanum cultum, & peccata hominum conjiciendam eſſe, præſertim in ipſorum ingratitudinem, qui tantum Dei beneficium, ac Chriſto & Euangelio offertur, contemnerent & contumaciter ac impie repudiarent.

Quin & *impietatem* Chriſtianis exprobrabant, ac vocabant eos atheos. Sed non aliâ de causâ, quam quod Deos ſuos non honorabant, & hoc conſtanter profitebantur in ipſis adeo flammis, quando, uti loquitur Lactantius, audiebat *circumſtans populus, inter ipſa tormenta dicentes, non ſacrificare ſe lapidibus humanâ manu factis, ſed Deo vivo, qui ſit in cœlis.* Arnobius, lib. 1. *ergone impiæ religionis ſumus apud vos rei, & quod caput rerum & columen venerabilibus adimus obſequiis, ut convitio utamur veſtro, infauſti & athei nuncupamur?* Hinc infauſtæ illorum in amphitheatris, ad-

ver-

cruciatus tantos poſſe ſuperare, latrones, & robuſti corporis viri ejuſmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, & gemitus edunt. vincuntur enim dolore, quia deeſt illis inſpirata patientia. Noſtri autem (ut de viris taceam) pueri, & mulierculæ, tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt.

Quo majus iterum argumentum eſt pro Chriſti religione, quod & contra tot adverſitates ſemper ſtetit firma, & opprimi vel extingui non potuit: & à Chriſti inde tempore tot maximis incrementis & victoriis in hominum animis & converſione illuſtris, non modò orbem pervagata, ſed & ad nos quoque poſt tot ſecula, hoſtes, lanienas, clades, intemerata pervenit & glorioſa ſupra modum. Ejus nempe longa & feliciſſima *diuturnitas*.

Sed hinc capiunt, & *objiciunt* Gentiles adverſus religionem non unum præjudicium. Primum, ipſas illas & continuas Chriſtianorum, quibus affliguntur, *adverſitates*. Quippe exiſtimant, ſi ea eſſet tam bona, tam beata religio, non debere ejus profeſſores tot malis agitari aſſiduè & graviſſimis afflictionibus. Quaſi verò mala eſſent, & non id dicerentur verius, quam eſſent. Nam multis quidem modis proſunt, nocent nihil. Quum ſint virtutis probationes tantum aliquæ, & exercitamenta, quibus nota & illuſtrior redditur fides ac conſtantia, non læditur aut corrumpitur. Et cujus non virtus adverſis exploratur, & confirmatur? Niſi tempeſtates & venti ingruerent aliquando, quomodo naucleri probaretur fortitudo & peritia? vel quando magis militis animus oſtenditur, quam in prælio & pugnâ, qui niſi illis provocetur, non cognoſcitur? Tum iſtorum acerbitate & ſenſu animus Chriſtiania purgatur indies, & à mundo & carnalibus avocatus abſtractuſque paratur cœlo, alia & meliora hoc ſtudioſius affectans, quo hic magis pungitur, & premitur, non opprimitur.

Atque ita Veteres reſponderunt, ad eadem ſibi à Gentilibus, neque ſemel objecta. Cæcilius, apud Minutium, *ecce pars veſtrûm & major, & melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis. --- Sed omitto communia, ecce vobis minæ, ſupplicia, tormenta, etiam non adorandæ, ſed ſubeundæ cruces: ignes etiam &c.* Arnobius, lib. 2. *cum ergo, inquitis, omnipotenti ſervitis Deo, & eum confiditis habere ſalutis atque incolumitatis veſtræ curam, cur perſecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum & ſuppliciorum ſubire?* Eadem & apud alios occurrunt. Quomodo verò reſpondebant Chriſtiani? Unum ſuffecerit audire Octavium, apud Minutium, ad Cæcilii illa, hæc reponentem: *itaque ut aurum ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quam pulchrum ſpectaculum Deo, cum*

Chri-

Chriſtianus cum dolore congreditur , cum adverſum minas , & ſupplicia , & tormenta componitur , cum ſtrepitum mortis , & horrorem carnificis irridens inſultat , cum libertatem ſuam adverſus reges & principes erigit ; ſoli Deo, cujus eſt, cedit ; cum triumphator & victor , ipſi qui adverſum ſe ſententiam dixit , inſultat --- At enim Dei miles nec in dolore deſeritur, nec morte finitur. Sic Chriſtianus miſer videri poteſt , non poteſt inveniri. Vos ipſi calamitoſos viros fertis ad cœlum : Mucium Scævolam , qui cum erraſſet in regem , periſſet in hoſtibus , niſi dexteram perdidiſſet. Et quod ex noſtris non dexteram ſolum , ſed totum corpus uri , cremari ſine ullis ejulatibus pertulerunt , cum dimitti præſertim haberent in poteſtate? Vide & Lactantium , lib. 5. cap. 22. *imo verò cum vexamur , & premimur , tum maxime gratias agimus indulgentiſſimo patri , quod corruptelam noſtram non patitur longius procedere , ſed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus , eſſe nos Deo curæ --- Eſt & alia cauſa , cur adverſum nos perſecutiones fieri ſinat ; ut Dei populus augeatur.* Quod quomodo hinc fiat , porro diligenter exponit.

Eſt & aliud , quod Gentiles olim oggerebant Chriſtianis , nimirum admiſsâ ipſorum religione , *adaucta* in mundo mala fuiſſe , & valde afflictam ubique Rempublicam , hucuſque felicem & proſperam. *Sed ſi per vos , inquiunt , nihil rebus incommodatur humanis , unde ſunt hæc mala , quibus urgetur & premitur jamdudum miſeranda mortalitas?* apud Arnobium, lib. 1.

Quam calumniam ex profeſſo diluunt Auguſtinus , in libris de Civitate Dei , & Oroſius , in hiſtoriis , oſtendentes , id neutiquam eſſe verum , quod plura & graviora mala incubuerint hominibus ab ortu Chriſtianiſmi, quam antea , & propterea Oroſius , hortatu Auguſtini libros ſuos ſcripſit, uti id ex hiſtoriis antiquorum revinceret. Deinde cauſam malorum oſtendunt illi , aliique , non in Chriſtianos , ſed Deorum inſanum cultum , & peccata hominum conjiciendam eſſe, præſertim in ipſorum ingratitudinem, qui tantum Dei beneficium , ac Chriſto & Euangelio offertur , contemnerent & contumaciter ac impie repudiarent.

Quin & *impietatem* Chriſtianis exprobrabant , ac vocabant eos atheos. Sed non aliâ de causâ , quam quod Deos ſuos non honorabant , & hoc conſtanter profitebantur in ipſis adeo flammis , quando , uti loquitur Lactantius , audiebat *circumſtans populus , inter ipſa tormenta dicentes, non ſacrificare ſe lapidibus humanâ manu factis , ſed Deo vivo , qui ſit in cœlis.* Arnobius , lib. 1. *ergone impiæ religionis ſumus apud vos rei , & quod caput rerum & columen venerabilibus adimus obſequiis , ut convitio utamur veſtro , infauſti & athei nuncupamur?* Hinc infauſtæ illorum in amphitheatris, adver-

verſus Chriſtianos exclamationes, *αἶρε τοὺς ἀθέους*, *tolle atheos*, indicantes Chriſtianos. Antoninus pius Imp. in Reſcripto, apud Juſtinum, Apol. 2. *καὶ τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν ὡς ἀθέων κατηγορεῖτε*, *& ſententiam eorum*, videl. Chriſtianorum, *tanquam atheorum accuſatis*. Quod crimen omnes iſtorum temporum Chriſtiani in Apologiis ſuis copioſe, quod & ſuprà indicavimus, refellunt.

Alia objectio: quod religio Chriſtianorum eſſet recens & *ſupera*, ipſorum verò antiqua & probata. Arnobius, lib. 1. *religiones, inquiunt, impias, atque inauditos cultus terrarum in orbem trahitis. --- execrabilis religio eſt & infauſta, impietatis & ſacrilegii plena, cæremonias antiquitus inſtitutas novitatis ſuæ ſuperſtitione contaminans*? & lib. 2. *ſed novellum nomen eſt noſtrum, & ante dies paucos religio eſt nata, quam ſequimur.* Unde Chriſtiani paſſim audiebant novelli dogmatis autores, eoſque appellabant *Novellos*. Suetonius, in Nerone, cap. 26. *afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.*

Oſtendebant verò Patres nullâ operâ, iſta ab illis dici non debere, qui quotidie Deos novos facerent, & novas inſtituerent religiones. Omnia præterea, in ſcientiis etiam, artibuſque aliquando nova fuiſſe, neque ideo repudianda. Neque ita novam Chriſtianorum eſſe religionem, quin antiquitate non modo, ſed veritate, vi, ſanctitate multum ſuperaret falſas quaſque Gentilium ſuperſtitiones. Solâ autem antiquitate aliquâ, quâ aliquibus jam notior erat hactenus & celebratior Gentiliſmus præ Chriſtianiſmo, dum pugnabant Gentiles, verâ antiquitate carebant, & antiquiſſimâ. Cæcilius, apud Minutium: *hinc perpetuus venerationis tenor manſit, qui longâ ætate non infringitur, ſed augetur. quippe antiquitas cærimoniis atque fanis tantum ſanctitatis tribuere conſuevit, quantum adſtruxerit vetuſtatis.* De quo præjudicio & poſthac dicendi erit locus. Illud etenim ſi admittatur, jam nihil corrigi, nihil emendari, nihil perfici poterit in humanis, ſed omnia relinquenda erunt, prout accepimus à Majoribus, quantumcunque vitioſa & prava.

CAPUT UNDECIMUM.

Quo docetur Gentilium converſionem ad nos etiam ſpectare.

Accedimus ad partem operis noſtri tertiam, ſive ultimam, quâ agendum propriè de curandâ Gentilium noſtrorum *converſione*: qui diſputationis debet eſſe ſcopus, & finis.

Hic

Hic verò duo potiſſimum ſunt agenda: ac primò oſtendendum, illud *muneris*, quo Gentilium vacatur converſioni, ad nos quoque ſpectare, & eſſe partem noſtri officii, neque ita ab Apoſtolis illud fuiſſe olim occupatum, qui mundum ſua prædicatione illuſtrarunt, & adduxerunt ad Chriſtum, ut nihil poſteris, nil nobis etiam in hoc campo, poſt eos, laborandum ſit: deinde videbimus quid, quo *modo* hic agendum ſuper ſit.

Quod ad illud, alta quidem & adoranda illa divinæ ſapientiæ eſt ratio, quâ miſſis olim ſub V. T. gentibus incedere viis ſuis, in plenitudine temporis eas advocare voluit in locum populi Judaici, propter infidelitatem rejecti; ut hinc ſpectare ſeveritatem judiciorum Dei, inde profundam miſericordiam omnes debeant, quod qui non erant populus, populus Dei factus, & miſericordiam aſſecuti fuerunt, quorum non fuerat miſeratus antea, maximè monito tam diu & ſæpiſſime populo Dei prius, ita ſecum, ita cum Gentilibus tandem actum iri: verùm ut non ſatis prædicari illa abyſſus judiciorum & viarum Dei poteſt, & quod tum factum per Apoſtolos omnis gens vidit & teſtata eſt; ſic peccare eos arbitror, qui beneficium & opus illud vocationis ita reſtringunt ad ſolos Apoſtolos, eorumque ætatem, ut ad noſtram curam nihil ſpectare arbitrentur.

Non quidem dubium eſt, glaciem per eos fractam, & apertam ad Gentes fuiſſe viam, maximas etiam nationes ipſorum operâ, Deo agente & benedicente, converſas: ſed, uti non omnes tum temporis adhuc innotuerunt mundo mundi partes & regiones, & hoc inter alia diſtat Euangelii prædicatio à doctrina Judaicâ, quod illa univerſalis eſt ad πάντα τὰ ἔθνη directa & ordinata, manſuraque talis uſque ad conſummationem mundi, quouſque illis adfuturus eſt Chriſtus; certum etiam eſt, non aliquorum, vel unius ſeculi eſſe illam prædicationem, ſed omnium, quotquot Apoſtolis, hac parte quod doctores fuerunt, & diſcipulos Chriſto facere tenebantur, ſucceſſerunt.

Quam illuſtres & magnifice fuerunt olim in V. T. factæ de futurâ ſuo tempore Gentilium vocatione prædictiones, & *promiſſiones*, à primâ inde mundi & Eccleſiæ ætate? Jam tum dicebatur à Noacho, *alliciet Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi.* Geneſ. 9. 27. quod de poſteris & Japheti genere dictum, intelligi de vocatione Gentilium debere ad ſocietatem Eccleſiæ, ſive Semi, penes quem ad illud uſque tempus Eccleſia perduraret, conſtat.

Nullibi verò magnificentius & uberius illa prædicta leguntur, quam in Pſalmis, & apud Jeſaiam. Non ſolùm Pſalmo ſecundo, *dabo gentes in poſ-*

Digitized by Google

ſeſſionem tuam, & fines terræ jus poſſeſſionis tuæ; ſed nominatim Pſalm 72. *& dominabitur à mari uno ad alterum, & à flumine quaquà ſunt fines terræ. Coram eo honorem exhibentes incurvabunt ſe barbari, & inimici ejus pulverem lingent. Reges oceani & inſulani munus reddent, reges Sceba & Seba donarium offerent: denique incurvabunt ſe omnes reges, omnes gentes ſervient ei.*

Jam Jeſaias πολμᾶ, & dicit, *confluent ad eum omnes gentes*, cap. 2. 1. 19. 20. & cap. 9. 2. *populus ejus qui ambulant in tenebris, videbunt lucem magnam*. 49. 12. *ecce illi è longinquo venient, ecce quoque illi ab Aquilone, & ab occaſu, denique iſti à terrâ Sinæorum* --- verſ. 20. *dicent in aures tuas filii orbitatis tuæ, anguſtus eſt mihi hic locus, retrocede mihi ut habitare poſſim: adeo ut dictura ſis cum animo tuo, quis genuit mihi iſtos, cum fuerim orba & ſolitaria & huc illuc migrans & fugitiva, & iſtos quis educavit? en ego relicta fui ſola, iſti ubinam fuerunt? Sic ait Dominus Jehovah: ecce ſuſtollam ad gentes manum meam, & ad populos efferam vexillum meum, ut afferant filios tuos lacerto, & filiæ tuæ ſuper humerum portentur. Et erunt Reges nutritii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ, vultu in terram incurvabunt ſe tibi, pulveremque pedum tuorum lingent.* Cap. 60. 3. *ut accedant gentes ad lucem tuam, & reges ad ſplendorem exortum tibi. Attolle circumquaque oculos tuos & aſpice, omnes iſti congregantes ſe accedunt tibi: filii tui è longinquo adveniunt, & filiæ tuæ ad latus tamquam à nutriciis apportantur.* 8. *Cujus iſti, qui ut denſa nubes convolant? & velut columbæ ad feneſtras ſuas? nam me inſulæ exſpectabunt, & claſſes Oceani imprimis, ut adducant filios tuos è longinquo, argentum ſuum, & aurum ſuum ſecum, ad nomen Jehovæ Dei tui, & ad ſanctum Iſraëlis, quando ornabit te.* Denique in fine libri, cap. 66. 18. 19. 20. *congregando omnes gentes & linguas, quæ venientes viſuræ ſunt gloriam meam. Ponam in his ſignum, & mittam ex his qui evaſerint, ad gentes, in Oceanum, Pulem, & Ludum, jaculantes arcu, Thubalem & Javanem: regiones maxime longinquas, quæ non audiverant famam meam, neque viderant gloriam meam, ut indicent gloriam meam in gentibus. Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus munus Jehovæ, equis, & curribus, & pilentis, muliſque, ac veredariis, ad montem ſanctitatis meæ Jeruſchalaima, ait Jehova, quemadmodum offerunt Iſraëlitæ munus inſtrumento mundo in domum Jehovæ.*

Quæ, aliaque ibi, & apud cæteros Prophetas copioſe occurrunt in iſtam rem, & explicandam & amplificandam promiſſionem, de vocandis ad Deum & Eccleſiam Gentibus. *Nam ab ortu Solis uſque ad occaſum ejus ma-*

Digitized by Google

magnum erit nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſuffimentum afferetur nomini meo, & munus purum: quia magnum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova exercituum. Mal. 1. 2.

Hæc autem uti olim *prædicta* & promiſſa erant, ita in N. T. *præcepta* dedit Chriſtus, uti implerentur. Præſertim quando Apoſtolis ſuis dixit, ut irent in mundum univerſum, & docerent omnes homines, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Matth. 28. 19. *prædicate reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum ad omnes gentes, incipiendo à Jeruſalem*, Luc. 24. 47.

Incepit autem Petrus; viſione primùm cœleſti admonitus & excitatus, ne quid porro impurum haberet, neque etiam homines alienigenas, vel Gentiles impuros ultra cenſeret, quo minus cum iis verſaretur, & tractaret res religionis. Quod Petro agente, & cadente in audientes ſermonem Euangelii gentiles Spiritu Sancto, ex Judæis fideles mirati valde, quod etiam in Gentiles donum Spiritus S. effunderetur, hinc primi ex Gentilibus, credentes Cæſareæ baptizati, magnoque gaudio perfuſi reliqui Apoſtoli, & fratres fuerunt, quod etiam gentiles accepiſſent Verbum Dei: uti refertur in Actis cap. 10. & 11. 1. & tandem omnes Jeroſolymitani audientes iſta exponentem Petrum, *acquieverunt, & laudarunt Deum, dicentes, ergo etiam gentibus dedit reſipiſcentiam ad ſalutem.* verſ. 18. Paulò poſt etiam Antiochiæ, per verbi prædicationem converſis multis, factum, ut hic primum diſcipuli appellarentur Chriſtiani, verſ. 26. ejuſdem capitis.

Hactenus adhuc inter Judæos & Jeruſalem hærebat Chriſti Eccleſia, & ſimul Judæis Gentilibuſque incumbebant Apoſtoli convertendis. At quando Judæi præfrictâ fronte ſe Euangelio opponerent & blaſphemarent, Apoſtoli Paulus & Barnabas, tradito Judæis quaſi repudii libello, altâ voce inclamarunt: *vobis quidem primùm neceſſe fuit loqui verbum Dei: quoniam verò illud repudiatis, & non dignos vos cenſetis vitâ æternâ, ecce, convertimur ad gentes.* Act. 13. 46. & verſ. 48. *audientes vero gentes gaudebant, & glorificabant verbum Domini: & credebant quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

Cæterum ad gentes quando abiverunt Apoſtoli, non vel conſilio aliquo ſuo, aut jactâ ſorte, nedum pro linguarum, quibus alii præ aliis polluerint ſcientiâ, hujus aut illius magis excellente, variæ orbis regiones illis obtigerunt; ſed non aliter quam ductu *Spiritus S.* perfecerunt omnia. Ita Philippus miſſus ad Eunuchum fuit, Act. 8. 29. *dixit autem Spiritus Philippo,*

Digitized by Google

lippo, abi, & jungaris currui iſti. Sic & Petrus ad Cornelium, Cæſaream, Act. 10. 19. 20. *Petro autem de viſione inſtructo, dixit ei Spiritus, ecce tres viri quærent te: verùm ſurgens deſcendito, & ito cum iis, nihil diſcernens; quia ego illos miſi.* Spiritus Sanctus dicit Eccleſiæ Antiochenæ, ut ſegregarent Paulum & Barnabam, ad opus vocationis & miniſterii inter Gentes, Act. 13. 2. & cap. 16. 6. prohibetur Paulus à Spiritu S. verbum loqui in Aſiâ: quod neque ſivit illis Spiritus facere in Bithyniâ: vocati autem in Macedoniam, viro Macedone in ſomnio oblato Paulo, & dicente, *perge in Macedoniam nobis auxiliatum*, hinc de voluntate & ductu Spiritus S. certi, magno cum fructu abiverunt illuc prædicatum Euangelium.

Quo minus admittendum, quod vulgo dicitur, Apoſtolos, antequam Jeroſolymâ diſcederent, *ſymbolum* iſtud compoſuiſſe, quod vulgo Apoſtolicum appellatur, ſingulis tamquam ſymbolum, articulum conferentibus, Petro primum illum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; Johanne addente, *creatorem cæli & terræ*; Jacobo, *credo & in Jeſum Chriſtum &c.* aliis alia, quæ leguntur *in Sermone* 115. *de tempore*, ſub nomine Auguſtini: prorſus ex opinione illâ de duodecim Apoſtolis Symboli auctoribus, in totidem articulos diſſectum eſt, quod longe commodius in plures, vel pauciores diſtingueretur: & quis non videt, ad Apoſtolorum conditionem, attribui Thomæ articulum, de deſcenſu Chriſti ad inferos, atque reſurrectione ex mortuis? quum non niſi longo tempore pòſt articulus ille de Chriſti deſcenſu, in Symbolum fuerit receptus; & pro uno eodemque habitus diu, cum iſto de Chriſti ſepultura: neque, illud ſi feciſſent Apoſtoli, certe Lucas in Actuum hiſtoria omiſiſſet, quum minora multa recenſeat, & hoc imprimis non fuerat omittendum, quod in teſſeram communis doctrinæ, & fidei conſtituiſſent, ad cavendas diſſenſiones. Quaſi vel ejuſmodi norma eguiſſent Apoſtoli, vel humano conſilio vaſtum illud opus convertendarum Gentium directum, & non unico nutu & arbitrio Spiritus S. gubernatum fuiſſet.

Idem dicendum de vulgata orbis convertendi facta inter Apoſtolos, quæ vulgò circumfertur, *ſortitione*: qua Petrus Romam deſtinatus fuerit; Johannes in Aſiam minorem, ubi ab eo fundatæ ſint Eccleſiæ ſeptem Aſiaticæ, quarum in Apocalypſi celebris mentio, Epheſina, Smyrnenſis, Pergamenſis, Thyatirenſis, Sardenſis, Philadelphenſis, & Laodicenſis; qua etiam ad Parthos adſcenderit Petrus, uti creditum ex inſcriptione antiqua primæ ejus epiſtolæ, quæ legebatur olim, ad Parthos: atque ad Baſſoras, Indo-

Digitized by Google

Indorum populum, profectum fuiſſe, ex antiqua traditione conſtare, referunt Jeſuitarum litteræ ex India, anni cIↃ IↃ LV.

De Jacobo nihil dicendum, qui ab Herode in Judæâ occiſus fuit gladio, ante Apoſtolorum diſceſſum. Act. XII. 2.

Andræas autem miſſus in Cappadociam creditur, & in Galatiam, Bithyniam, Pontum Euxinum, oraſque ſeptentrionales, & Byzantii Chriſtum prædicaſſe; atque Thraciam, Macedoniam, Theſſaliam peragraſſe, ſcribitur Nicephoro, *hiſt. Eccleſ. lib.* VIII. *cap.* VI.

Philippum Aſiam ſuperiorem, etiam Scythiam adiiſſe, tandem anno ætatis ſeptimo ſupra octogeſimum, martyrio diem obiiſſe, memorant.

Thomam verò ad Parthos acceſſiſſe, & Perſas, Medos, atque Indorum Brachmannos docuiſſe. Unde inſula S. Thomæ, quæ appellatur, in India; & ad Taprobanam veniſſe, Nicephorus narrat: atque ex vetuſta traditione teſtantur Narſingenſes, aliique Indorum populi, quod ad ipſos Thomas acceſſerit, uti variorum Itineraria, & epiſtolæ referunt, atque Oſorius, *de rebus geſtis Emmanuelis, Portugalliæ regis, lib.* II.

Bartholomæus in Majorem Armeniam conceſſerit, atque in Indiam: quod olim Pantænus Chriſtianus Philoſophus, ad Indos peregrinatus, confirmavit ſe variis indiciis deprehendiſſe, & tum Bartholomæi memoriam ibi celebrem adhuc, & Evangelium Matthæi ab ipſo deſcriptum, ſecum detuliſſe Alexandriam: uti præter Euſebium, & Hieronymum, teſtantur alii.

Matthæus docuit Æthiopas, ſecundum Socratem, *lib.* I. *cap.* XV.

Jacobus Alphæi, ſive minor, cognomine Juſtus, manſit Jeroſolymis.

Simon Cananæus, qui & Zelotes, tranſiit in Meſopotamiam.

Judas Thaddæus etiam in Meſopotamia docuiſſe & in Arabia, & Idumæa, creditur.

Denique Matthias, is qui in locum Judæ proditoris ſurrogatus fuit, Æthiopes.

Quæ an vera ſint omnia, haud admodum laboramus. Etenim illa primæ antiquitatis pro certo conſtare nobis poſſe, vel traditionem de illis fluere prorſus incorruptam, vix eſt quod credamus. Et multa adhuc reſecuimus commentitia plane: ut quod de Maria narratur, eam cum Johanne Epheſum profectam: quod meritò explodit Epiphanius, hæreſi LXXVIII. *equidem cum Johannes in Africam inſtituerit profectionem, nuſquam dicit Scriptura, quod abduxerit ſecum ſacram Virginem.* Vel de Thoma quod dicunt, eum in itinere tres Magos, qui Chriſtum natum ſalutarunt, baptizaſ-

ſe, & ſecum duxiſſe in prædicatione Evangelii, quod apud Sophronium legitur, & alios.

Incredibile dictu eſt, quot falſi nominis ſcripta olim excogitata fuerint hiſtoriarum, Actuum, Itinerariorum, etiam Evangeliorum, ab hominibus vanis, ſuperſtitioſis, & hæreticis conficta; ſed quæ Eccleſia, & Theologi ſaniores, & Gelaſius P. cenſura ſua jam olim proſcripſerunt & damnarunt. De quibus dicimus alibi, *de Theologia Patrum*.

Neque tantum inter Africanos Donatiſtas, & Catholicos, quæſtio hæſit, utrum ab Apoſtolis Africa ad fidem eſſet converſa, an verò longe pòſt? Donatiſtis dicentibus, ad ſe pertinere, quod dictum, *erunt primi, qui erant noviſſimi. Ad Africam enim poſtmodum Evangelium venit; & ideo nuſquam litterarum Apoſtolicarum ſcriptum eſt, Africam credidiſſe.* Quibus Auguſtinus, aliique conſtanter obloquuntur, contendentes, imò ab Apoſtolis fundatas fuiſſe Africanas Eccleſias; vel à Petro miſſos Româ, qui Africanis prædicarint Evangelium. Verùm & de aliis manet dubium, an ad ipſos pervenerint Apoſtoli, vel quando, & per quos Evangelii prædicationem acceperint? Quæ ut facta ſingulis ſeculis, notatum variè ab Hiſtoricis, & compendio memorat ad ſingulas temporis periodos Hottingerus, in N. Teſt. Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſingulis capitibus, ſeu ſectionibus *de Gentiliſmo*; & Alſtedius, in *Theſauro Chronologico*, in Chronologia XXXIV. Converſionis populorum ad fidem Chriſtianam: adde Micrælium, in *Syntagmate Hiſtor. lib.* II. *ſect.* I. Scriptores Pontificii ad Petrum, & Pontifices Romanos omnia referunt, quorum autoritate per totum orbem miſſi fuerint ad convertendos Gentiles, & ad Eccleſias Romanæ conſociandas non tantum, ſed ſubjugandas, varii. Quod poſt Baronium, & Thomam Bozium, *lib.* IV. *de ſignis Eccleſiæ*, & Joh. Vaſæum, facit Thomas à Jeſu, *de Converſione omnium gentium*, *lib.* II. Quod primò nec verum, neque ſi verum eſſet, inde aliqua autoritas in alias Eccleſias ſua opera vel miſſionariis erectas competeret Romanæ; quia, ne dicamus ita conveniſſe inter Apoſtolos, ut Apoſtolatum Petrus obiret potius apud Judæos, Paulus inter Gentes, Gal. II. 7. 8. quod & labores, & epiſtolæ utriuſque oſtendunt, nec minor hac in parte Paulus fuit Petro, quinimo abundantior. Uti ipſe ſatis indicat, Gal. II. 8. Rom. XV. 18. 19. 20. I. Cor. XV. 10. *Plus illis omnibus laboravi.* & II. Cor. XI. 5. Nulla tamen hinc dependentia oritur Eccleſiæ, vel fidelium ad alios, qui ipſis prædicarunt Evangelium, vel medium extiterunt converſionis ad Chriſtum, cui ſoli ſubjectæ ſunt Eccleſiæ & fideles omnes. Uti oſtendit Clar.

D. Voe-

Digitized by Google

D. Voetius, in Diſp. *de Plantatoribus Eccleſiarum*. Etiam in partibus Americanis olim Apoſtolum aliquem, Thomam imprimis, aut Chriſti diſcipulum Evangelium prædicaſſe, ſaltem ante poſtremum, niſi & primum omnium, Hiſpanorum in oras illas adventum, aliquam rei Chriſtianæ apud illos fuiſſe notitiam, ex nonnullis colligunt multi, dubito an ſatis liquide. De quibus videatur Antonius de la Calancha, Peruanus natione, & religione Auguſtinianus, *hiſtor. Peruanæ lib*. 11. *cap*. 11. &ſ. Joachimus Brulius, *hiſtor. Peruanæ, Ordinis Eremit. Auguſtini, lib*. 1. *cap*. v.

Quidquid de iſtis ſit, quum facto ad Apoſtolos Chriſti mandato, omnes promptos ſe exhibuerint ad ſanctam in univerſum orbem expeditionem ſuſcipiendam, & quod illi opus perficere non potuerint, tradiderint ſequentibus, aliaque indies ſupra alia orbis loca detecta ſint & detegantur, adhibitaque operâ detegi adhuc queant quotidie, ſaltem nobis & noſtro ſeculo innotuerint ignota veteribus & incerta quamplurima; illam Chriſti ad ſuos monitionem, abeundi in mundum, & docendi gentes omnes, in perpetuum vim ſuam habere, & non unius ſeculi opus eſſe, ſed omnium, quouſque dignatur nobis adeſſe Chriſtus, promiſit autem ſe adfuturum uſque ad conſummationem mundi, exiſtimamus.

Eſt quidem vocatio gentium opus præcipue Apoſtolicum, & argumentum adventus virtutiſque Chriſti illuſtre ac efficax, ſed beneficium proprie N. Teſtamenti, quod cum eo durabit, quouſque Evangelium prædicabitur in univerſo mundo. Ergo ſub N. T. ſublato populorum diſcrimine, & intergerino pariete inter Judæos & Gentiles, ad omnes quaquaverſum ſemper diſſeminari Evangelium debet; præſertim tum, & iis, quibus novarum gentium nomina & loca nota præ aliis ſunt & frequentantur. Illud enim rogamus quotidie à Deo, quando petimus, ut adveniat ejus regnum. Quapropter non procul amovendum à nobis eſt, & rejiciendum tamquam prorſus alienum ab officio noſtro, ſtudium & cura pro Gentilibus, eorum converſione & ſalute juvandâ quovis modo. *Ut revereantur inde ab occaſu nomen Jehovæ, & inde ab ortu ſolis gloriam ejus*, Jeſ. LIX. 19.

Quem in finem ſpectemus, quam grata Deo res ſit hominum *converſio*, quam ut magis commendet nobis ipſis, & maxime optabilem ſignificet, non modo præcipit, ſed quaſi optare videtur, & obteſtari omnibus modis, ut homines ſatagant, ni ſe velint perditos & damnatos in æternum. Etiam is, cujus operâ aliquis convertitur, dicitur animam *ſervare* ex morte, Jac. v. 20. 1. Tim. IV. 16. Papæ quanta hominis gloria, quanta dignatio clementis Dei, quod & hominem adſciſcit ſibi quaſi in ſocietatem

non

non operis tantum, ſed & honoris, ut in converſione alterius dicatur quoque ſuo modo illius ſervator! Maxime verò ſi quis convertit talem, nempe hominem *Ethnicum*, cujus vel ſolo nomine miſerrimi hominum paſſim ſolent deſignari. Qui in meris intellectus & iniquitatum tenebris ſedet, ac reatu inexplicabili, Dei exſors, & Chriſti, & promiſſionum, & ſalutis, quam longe à Deo eſt, tam prope damnationi, Diaboli miſer ſocius in pœnâ æque ac in culpâ. Iſtum ex viis ſuis vocare & ducere in vias Dei, ex poteſtate Diaboli in regnum Chriſti, ab inferno ad cœlum, magna cumprimis res eſt, magnumque beneficium, ob quod non queunt ſatis dignas & amplas concipere gratiarum actiones Apoſtoli, in epiſtolis ad converſos Gentiles, & Eccleſias. Quando vel Jeſaias prædicit, vel Matthæus impletum ſcribit, *Terra Zabulon &c. Galilæa gentium. Populus ſedens in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione & umbrâ mortis, lux orta*; quis in illis verbis, & loquentium animis non obſervat ſingulare animi gaudium & exultationem?

Nam & hoc nunc etiam conſiderandum, quod aliquis in iſto opere converſionis, ut poteſt maxime, divino ſervit conſilio, & *promiſſionibus*, ad homines, de illorum ſtatu ac felicitate factis, præſtatque quantum in ſe, ut impleantur, & vim atque eventum illarum experiantur alii, & nos ipſi, quorum in eo operam Deo placet adhibere. Atque ita imitatores & ſucceſſores quadantenus *Apoſtolorum* contingit nos eſſe, quorum uti felicitati hoc imprimis accedebat, quód Evangelium annunciabant omni creaturæ, & omnem hominem, Barbarum, Scytham, Gentiles quoſvis docebant, atque ad Chriſtum adducebant, ejus teſtes futuri uſque ad fines terræ; ita eorum ſectatores creat nos Deus, quando illud ipſorum opus ad alios iterum provehimus quotidie, magiſque perficimus. Ut quoque cum Paulo dicere liceat, *mihi omnium ſanctorum minimo data eſt iſta gratia, inter gentes annunciare imperveſtigabiles Chriſti divitias, & illuminare omnes, quæ ſit communio myſterii occultati à ſeculis in Deo, qui omnia creavit per Jeſum Chriſtum.* Eph. III. 8. Quin hujus potiſſimum ſtudioſum fuiſſe Paulum deprehendimus, ut Chriſtum prædicaret potius iſthic locorum, ubi à nemine antea prædicatus fuerat, quam ut fundamento ab aliis jacto ſuperædificaret. Rom. XV. 20. 21. *Ita porro contendens evangelizare, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ut ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt; & qui non audiverunt, intelligent.*

Quæ nobis *nunc* eo diligentius præſtanda, quod quæ nulla Apoſtolis,

&

Digitized by Google

& Apoſtolorum temporibus fuit itineris ad Gentiles quoſcunque commoditas, hæc nobis & ſeculo noſtro ſit maxima, non modo cognitis jam variis Gentium locis & regionibus antea inauditis; ſed iiſdem innumeris, & quovis modo nunc frequentatis, ut non multâ difficultate adiri à nobis vel extremæ mundi partes queant, & tum habitari, tum doceri. Quæ idcirco magis invitare nos ad religioſam profectionem debent, noſtro ſæculo, & huic forte ſtudio, admirabili Dei ſapientiâ, ſervata.

Sed quoque ad æmulationem provocare nos aliorum, & *Papiſtarum* exempla debent, qui à longo tempore magno numero & ſtudio, Indiam utramque, & vicina loca certatim adivere, iſto ſaltem prætextu, ut Gentiles Chriſto lucrarentur, niſi vel ſuis, vel Paparum ſuorum rebus diligentius ſtuduiſſent, quam Chriſti. Interim nonnihil etiam illos feciſſe prò re Chriſtianâ, & paſſos propterea dura multa atque horrenda, inficiari nolumus; ſed ſequi potius & corrigere ea, in quibus defecerunt, & in unius Chriſti honorem vertere, atque miſerorum ſalutem, omnia.

Mitto, quæ alii Monachorum ordines fecerunt, in variis Orbis partibus, pro inſtruendis Chriſtianâ religione Gentibus, quæ in laudem Auguſtinianorum ſuorum proferunt in Hiſtoriâ Peruanâ, Johannes de la Calancha, & Joachimus Brulius; in Mexicanâ, Joh. de Grijalvâ: in Hiſtoriâ Sinenſi, de iiſdem, Joh. Gonzalvus de Mendoza, omnes Auguſtiniani: Jeſuitarum, ex primâ Ordinis ſui inſtitutione proprium, ut ad Gentes & Indos eant prædicatum Chriſti fidem, & religionem. Id enim habet prima Inſtituti iſtius formula, ſuggeſta P. Paulo III. in quam ab eo fuerunt confirmati, an. CIↃ IↃ XL. primi ordinis architecti decem, qui ob illam cauſam Romam advenerant, Ignatius de Loyola, Petrus Faber, Jacobus Laynez, Claudius Jajus, & Paſchaſius Broët, ac Franciſcus Xavier, Alphonſus Salmeron, Simon Rodericus, Johannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, qui ſignificabant, ſe Romano Pontifici *ultra commune vinculum, ſpeciali voto adſtringi, ut quidquid modernus, & alii Romani Pontifices pro tempore exiſtentes juſſerint, ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcumque provincias nos mittere voluerint; ſine ulla tergiverſatione, aut excuſatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur; ſive miſerint nos ad Turcas, ſive ad quoſcunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exiſtentes; ſive ad quoſcunque hæreticos, ſeu ſchiſmaticos, ſeu etiam ad quoſvis fideles.* Et in Bullâ canonizationis Ignatii Loyolæ, factæ ab Urbano VIII. an. CIↃ IↃ CXXIII. primo Pontificatus ſui anno, commemoratur, quod ejus ſocietas *Gentilibus convertendis, & Romani*

mani Pontificis poteſtati tuendæ ex inſtituto ſe totam impendit: Laudaturque, quod *dictam ſocietatem à ſe inſtitutam, ad tria cum aliis Religionibus communia vota quarto adjuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam in miſſionibus, non petito viatico, etiam ad Infideles, Turcas, Hæreticos, Schiſmaticos, & quoſcunque alios obeundis*, confirmandam curavit à Paulo III. Romæ, ubi & obiit Ignatius, an. cIↃIↃLVI. natus in Hiſpaniâ, in diœceſi Pampilonenſi, ad oppidum Aſpeithiæ, ann. cIↃCCCCXCI. Qui prima condendæ ſocietatis conſilia cepit miles, an. cIↃIↃXXII. Quare in Conſtitutionibus ſuis ſingulares habent Regulas pro iis, qui in miſſionibus verſantur, quæ ita inchoant. 1. *Cum ſcopus, ad quem tendit ſocietas, ſit, varias mundi partes ex obedientiâ ſummi Pontificis, vel ſuperioris ſocietatis peragrando Verbum Dei prædicare, confeſſiones audire, & reliquis quibuſcunque poterit mediis uti ad animas, divina adſpirante gratiâ juvandas; quicumque in hujuſmodi miſſionibus verſantur, ſibi perſuadeant, rem maximi ponderis in ſocietate ſibi commiſſam eſſe, atque ita ſe comparare ſtudeant, ut apta Dei inſtrumenta ad rem tantam eſſe poſſint.* 2. *Quia vocationis noſtræ eſt, vitam agere in quavis mundi plagâ, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur; unuſquiſque paratus eſſe debet, ut in eâ vinea Chriſti parte, atque opere ſe exerceat, quod ipſi commiſſum fuerit, ſive per varia loca diſcurrendo, ſive in quibuſdam continenter reſidendo.* Præterea in Catalogo Miſſarum, & orationum, quas ſuis præſcribunt; *Unuſquiſque Sacerdos ſingulis menſibus duo ſacra faciat, alterum pro Indiis & Gentium converſione; alterum, pro Regionibus Septentrionalibus, & Hæreticorum reductione, & in aliis ſacrificiis, & Orationibus eadem Domino commendabit.* Reliquis autem, qui ſacerdotes non ſunt, ex præſcripto Generalis injungunt ordinariè, *unam coronam, aut tertiam partem Roſarii pro Indiis, & Gentium converſione* recitare; quemadmodum alteram coronam, aut tertiam Roſarii partem, pro regionibus Septentrionalibus, & reductione Hæreticorum.

Jam in Hiſtoriis ſuis, & Litteris annuis longe ſupra verum ebuccinant ſuorum geſta in Indiis. Quamvis negare nolumus, aliqua certe, nec non egregie ab illis hoc in genere præſtita, quæ dolendum quod non magis ſincerâ & caſtâ pro regno Chriſti, & non ſuo, vel Papæ, egerunt, & non verius narrarunt, prout geſta ſunt, ut fidem mereantur, quæ nunc mendaciorum arguuntur palam. De quibus, præterquam in Epiſtolis, loquuntur in Hiſtoriâ, vel *Imagine primi* ſui *ſeculi, lib.* III. *cap.* XII. & à Jacobo Damiano, in *Synopſi* primi ſeculi Soc. Jeſu.

Supra omnes verò Franciſcus Xaverius, Navarrus, ex oppido Xaverio Pam-

Pampilonenſis diœceſis, (Franciſcum Aſpilcotam Navarrum, cognomento Xaverium, Bzovius appellat, Annal. Tom. xx. ad an. 1542. ubi ejus inchoat hiſtoriam) & ex primis Ignatii ſociis, cui additus, quo tempore Pariſiis ambo ſtudebant, miſſione Indicâ illuſtris fuit, adeptuſque ideo à Papis titulum, *Indiarum Apoſtoli.* Qui ſecundo à ſocietate confirmatâ anno, juſſu Pauli III. adhortante Ignatio, petenteque Johanne Luſitaniæ Rege, nonnullos, quos in Orientales Indias, ad prædicandum iſthic Evangelium mitteret, eò navigavit, auctoritate inſtructus nuntii Apoſtolici. Quò ubi pervenit, *multa centena hominum millia* dicitur in litteris Canonizationis convertiſſe, & baptizaſſe; & præter Indos, Brachmanes, & Malabares, primus Paravis, Malais, Jais, Acenis, Mindanais, Malacenſibus, & Japonibus Evangelium Chriſti prædicaſſe: ibidemque, quibus miraculis in vitâ, & poſt mortem, inclaruerit: quomodo in concione ad diverſarum nationum & linguarum populos habitâ, ab omnibus ſuâ linguâ fuerit intellectus, procul dubio ad æmulationem vanæ interpretationis, quâ nonnulli temere exiſtimant, miraculum prædicationis primæ Apoſtolicæ Act. 2. in hoc ſitum fuiſſe, quod unâ loquentes lingua Apoſtoli, à variis ſimul fuerint intellecti, quaſi in auditoribus potius hæſiſſet vis miraculi illius, quam prædicatotibus, confictum. Quod numeroſum Badegarum exercitum, in Chriſtianos erupturum ſolus ſtiterit, perterrefactis militibus à conſpecto juxta ipſum viro quodam nigris veſtibus induto: credo, per viſionem oblato Ignatio, ad quem, ſuum Præpoſitum, Xaverius non niſi flexis genibus ſcribere ſolitus fuit. Quod Comorini mortuum ſuſcitavit; & mendicum ulceribus plenum, lotis primum aquâ plagis, eâque mox ebibitâ, ſanavit. Quod Mutani, puerum mortuum & jam elatum ad ſepulchrum, aquâ benedictâ adſperſum, factoque ſigno crucis, vivificavit: iterum puerum in puteo ſuffocatum, apud oppidum Combuture, vitæ reddidit, parentibuſque: porrò in Iaponia cæco viſum reſtituit. Ad Sinas navigans, deficiente aqua, marinam in dulcem commutavit, qua deinde plurimi à variis morbis ſanati fuerunt. Scapham à navi, tempeſtate avulſam, poſt triduum, unà cum hominibus, quos vehebat, ad navem precibus ſuis ſalvam reduxit. Ad Moluccas inſulas, in urbe Tolo vigintiquinque hominum millia baptizavit, quibus à fide iterum deficientibus, & in urbem confugientibus, effecit, ut mons vicinus tantum emitteret incendium, & ingentem adeo cineris ac pumicum vim, ut & muri ſolo æquarentur, & horribili terræmotu concuſſa urbs facile à militibus, quos in vindictam apoſtaſiæ armaverat, caperetur: denique civibus ad pedes ejus proſtratis,

ſtratis, & teſtatis pœnitentiam, delicti veniam largitus eſt. Imaginem Crucifixi, ad ſedandam tempeſtatem, undis immiſſam, & vi procellæ abſorptam cancer marinus ipſi, ad littus poſtea ambulanti, reddidit. Præterea prophetico indutus Spiritu aliquando horam dixit, qua ſui milites, qui longe aberant, victoriâ de hoſtibus potiebantur, diemque, quo ejus nuncius eſſet adfuturus; de navibus quoque, quod altera naufragium paſſura eſſet, altera, qua ipſe vehebatur, incolumis appelleret.

Johanni de Arauſio, Hiſpano, ut in commentariis Indicis Emmanuelis Acoſtæ, unde pleraque hæc ſunt deſumta, & litteris Canonizationis inſerta, ſcribit, inſtantem prædixit mortem, & quando obiiſſet, quamvis diſtaret ducentis amplius milliaribus, ſuis indicavit, dicens, orate pro animâ Johannis de Arauſio, qui modò exſpiravit. Niſi id eodem modo ſciviſſe eum dicamus, quo Apollonius Thyanæus Epheſi in concione dixit, quo momento Romæ confodiebatur Domitianus, apud Philoſtratum, *lib.* 8. vel Iulianus etiam in Oriente reſciſcebat per familiares dæmones, quos parhædos vocant, quid in parte Imperii occidentali gereretur. Mercatori Meliapore diſcedenti, & naufragium paſſo, incolumitatem, quam promiſerat, traditâ ei coronâ Mariæ precariâ, præſtitit. Petro Vellio, nunquam neceſſaria defutura, & mortis horam, prædixit. Tandem meritus, ut Orientalium Indiarum Apoſtolus ab omnibus ſalutaretur, dum aditum ſibi quæreret in vaſtiſſimum Sinarum Imperium, in inſulâ prope Sinam, d. II. Decembris, a. cIↃ IↃ LII. mortuus fuit, anno peregrinationis ſuæ Indicæ undecimo, ætatis LV. cujus cadaver, quamvis vivâ calce perſuſum, ut exesâ carne, oſſa ſaltem in Indiam portarentur, arcâ ligneâ incluſum, & poſt quatuor menſes effoſſum, tamen ita recens & incorruptum deprehenſum fuit, ac ſi nuper eſſet tumulatum, ſpirans ex ſe odorem longe fragrantiſſimum, quamvis nullo aromatum genere fuiſſet adſperſum; delatumque in urbem Indiæ celeberrimam Malaccam, eam præſenti peſte miraculoſe liberavit; ſubinde & ſanguine, ex eo defluente: ſicuti & Goæ, poſtquam eò tranſlatum fuit: præterquam quòd ubique plurimi ejus interceſſione, meritis & cultu, à variis malis, morbiſque curati fuerint quaquaverſum. Quibus de cauſis, quæ in Diplomate Canonizationis explicatius habentur, Papæ Paulus V. & Gregorius XV. inſtantibus regibus Hiſpaniarum Philippo III. & IV. in ordinem Sanctorum Confeſſorum Xaverium referendum cenſuerunt, quodque abſolvere morte præventi non potuerunt, perfecit Urbanus VIII. Bullâ canonizationis, editâ d. VIII. Id. Auguſti, a. cIↃ IↃ CXXIII. primo etiam Pontificatus ſui anno.

Non

Non noſtros hic recenſeo, qui primi in utraque Indiâ Gentilibus annunciarunt Euangelium: & de Belgis aliàs: Galli ab Eccleſiâ Genevenſi miſſi primi in Americam fuerunt, a. cIↃIↃLVI. Philippus Corguillerius, Petrus Richerius, Guielmus Charterius, Petrus Bordonius, Matthæus Vernevilius, Johannes Bordelius, Andreas Fontius, Nicolaus Dionyſius, Johannes Gardienus, Martinus David, Nicolaus Raviquetus, Nicolaus Carmilus, Jacobus Ruffus, Johannes Lerius.

Quo minus deſerendum nobis etiam nunc negotium illud venit, ab optimis quibuſque omni ſæculo occupatum, ad quos & adverſariorum Papiſtarum frequentia nos provocant exempla. Niſi melius putemus cum Sacerdotibus & Levitis, immoto immitique animo præterire ſaucios & moribundos in viâ, quam illorum misereri & vulnera lenire ac curare, cum Samaritano.

Sed forte nolentes ac cunctantes protrudet aliquando perſecutio, aut domeſtica publicave calamitas, ut quod ſponte aggredi & capeſſere opus detrectamus, ſævâ quâ tempeſtate ejecti domibus & ſedibus cogamur tandem obire. Uti hunc morem Deo ſervari nonnunquam videmus, ut oriri procellam jubeat, quâ ad illas oras ejiciantur homines, in quas inſcios ſæpe & invitos, deſtinavit arcano ſuo conſilio, aliorum converſioni inſervituros. Sic perſecutio Jeroſolymitana, adverſus primos fideles mota ſub initiis Eccleſiæ, effecit, ut ejecti urbe, & diſperſi per omnes regiones Judææ, & Samariæ, illis annunciarint Euangelium, ad quos, abſque eo, non tam cito vel promte iviſſent. Quando ſub Valeriano Imp. a. CCLX. urgente magnâ in Eccleſiam perſecutione, in exilium, & Libyam, aliaque loca deſerta agerentur Chriſtiani, ad Gentiles iſtorum locorum perlatum Euangelium, quo converſi ad Deum fuerunt, & ſic iſtum fructum viderunt ſuæ diſperſionis Chriſtiani inter alios, quem domi non cepiſſent. Dionyſius, apud Euſebium, lib. 7. cap. 11. de perſecutione Alexandrinâ: *ad Cephro autem non exiguus cœtus unà migravit nobiſcum, tum fratrum qui ab urbe nos ſequebantur, tum aliorum qui ex reliquâ Ægypto convenerant, atque ibi Deus quaſi januam ad verbum ſuum prædicandum nobis patefecit. Ac primum, quanquam perſequutione eramus divexati, & lapidibus obruti, poſtea tamen non parva gentium multitudo, idolis rejectis, ad Deum colendum ſe convertebat. nam tunc primum verbum Dei, quod nunquam antea accepiſſent, per nos inter eos diſſeminatum fuit. Et Deus, proinde atque hujus rei cauſa ſolùm illuc nos deduxiſſet, eo completo miniſterio, iterum abduxit.* Quippe mirabilis Dei eſt providentia, in regendis occultè hominibus, & mitten-

Digitized by Google

tendis vel expellendis iſthic, ubi per eos gentes varias illuminet ſui cognitione & cultu ſalutari, ignotas antea & inacceſſas. Annon ita, tempore Conſtantini, apud Indos Metrodorus, & Meropius, philoſophus Tyrius, aſſumtis ſecum duobus fratris ſui filiis, Edeſio, & Frumentio, Chriſtum prædicarunt? & Edeſio facto poſtmodum Regis pincernâ; Frumentio, à rationibus, & magnæ in Imperio poteſtatis, hic ex negotiatoribus Romanis, qui iſthuc veniebant, Chriſtianos compulit ſacra inſtituere & celebrare palam ac frequenter. Quo poſtmodùm reverſo Tyrum, & Frumentio Alexandriam, Athanaſius, Alexandrinus epiſcopus iſtum, quò perficeret opus Chriſti ſemel feliciter inchoatum, epiſcopum creavit, & ad Indos remiſit, qui non doctrinâ tantum, ſed miraculis clarus innumeros Barbarorum ad Chriſti notitiam fidemque adduxit; ut ex Edeſio, Frumentii comite, illa refert Ruffinus, *hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 9. & poſt eum Theodoretus, *hiſtor. lib.* 1. *cap.* 23. Addit & aliud auctor, quod circa idem tempus contigit, Iberorum gentem ad Chriſtum converti operâ captivæ mulieris, quæ vitæ ſobrietate, pudicitiâ, & pietate cum in oculos omnium incurreret, factum ut ad eam quoque, pro more gentis ægrotos per ſingulas domos aut circumferendi, aut ex ſingulis inquirendi remedium valetudinis, deferretur ægrotans puer, quum ob ſingularem vitæ rationem omnibus jam admirationi cœperat eſſe, quæ Chriſtianam ſe fuerat profeſſa: hæc autem invocato Chriſti ſuper infantem nomine, ſanum reddidit parenti, unde incredibilis nata apud omnes illius exiſtimatio; maximè accedente Reginæ etiam à gravi dolore liberatione; ut Rex poſtea per tenebras forte errans dubius itineris, votum tale conciperet, quod ſi Deus eſſet ille Chriſtus, quem uxori ſuæ captiva prædicaſſet, & ſe de tenebris iſtis liberaret, ilico omnibus omiſſis ſe eum culturum quoque. Quod factum, & exſtructo templo, nomen & religio Chriſti in illis terris obtinuit, miſsâque ad Conſtantinum Gentis legatione, impetrati doctores Chriſtiani, qui eos porro erudirent & confirmarent. Quo nuncio accepto ſcribitur, Conſtantinum amplius lætatum fuiſſe; quam ſi incognitas Romano imperio gentes ac regna ſuis adjunxiſſet. Ita verò geſta refert ex ore Bacurii, gentis iſtius Regis, & in aulâ Domeſticorum Comitis, quando cum eo Palæſtini limitis duce, Hieroſolymis unà degeret, Ruffinus.

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

De modo convertendi Gentiles, & quæ hic ab Eccleſiis, Academiis, & Politicis curanda & præſtanda ſint.

SEd ad nos, atque ad noſtra tempora convertamur, & negotium nobis in ſimili opere ponendum. Quum varia à variis hic requirantur; alia à *mittentibus*, *à miſſis* ad negotium alia præſtanda ſunt.

A nobis primùm nonnulla Eccleſiaſticè, ſive ab *Eccleſiis*, alia in *Academiis*, quæ in iſtam rem faciant; denique & à *Politicis*.

Ab Eccleſiâ imprimis requiritur, ut à ſe non alienum putet miſerorum Gentilium ſtatum, & ſtudium erga illos, ſanandos & ſalvandos; ſed, tum inſtantibus ad Deum, pro illorum converſione, *precibus*, tum curâ *miſſionum* ad illos deſtinandarum, partes ut ſuas adimpleat. Neque enim, quod & ſupra diximus, illa nos tenere opinio debet, circa ſolos Chriſtianos, vel Eccleſiæ fidem profeſſos, aut forte vincendos hæreticos, hærere ſtudium omne officii noſtri, & non quoque ad homines convertendos & lucrandos de novo, & vel à vitæ perverſitate, vel errorum & infidelitatis tenebris, ſeu Iudæos, ſeu Gentiles, abducendos & vocandos eſſe: ſed quod Chriſtus Petro dixit; tu converſus confirma fratres, id ad nos ita ſpectat, ut eadem, quâ Deus nos affecit gratia, per nos quoque, quantum quidem in nobis, diffundatur continuò ad alios, & quoſcumque, eos imprimis, qui maxime quidem egent. Ergo uti pro aliis orandum, ne ipſorum fides deficiat, ita pro aliis, ut fides eos illuſtret atque corripiat. Quod in *publicis*, & *privatis* precibus non omittendum, ut & dignos operarios Deus in iſtam meſſem emittat, & ipſorum operi copioſiſſimè benedicat, ut & alias ac peregrinas oves quotidie in caulam adducat bonus Paſtor, & fiat ovile unum, atque Paſtor unus.

Miſſiones verò quod attinet, vel Legationem Euangelicam ad Indos, ſpectamus ibi *mittentes* primum, deinde *miſſos*, quales & hos oporteat eſſe, & illos, quidque utroſque agere.

Cumque duplex ratio ſit admiſſionis in S. miniſterium, per *vocationem*, ab ipsâ Eccleſia, cui ſit miniſtrandum; & *per miſſionem*, quæ fiat ab aliis ad Eccleſiam, vel, ubi nulla eſt, conſtituendam; vel, ubi Rectores deſunt, aut aliàs laborante Eccleſia, ut opus habeat ſibi mitti paſtores: extra omnem controverſiam præſtat prior modus vocationis, ut Eccleſia ipſa diſpi-

Digitized by Google

diſpiciat, & quærat, petatque ſibi Miniſtrum, quem judicarit maxime ſibi fore utilem. Quod ſæpenumero Eccleſiæ ſub cruce experiuntur, magno ſuo damno & dolore, quando coguntur admittere Miniſtros, ab illis miſſos, qui privatis acti rationibus tales nonnunquam ſubminiſtrant, quales non vocarent ipſæ, ſiquidem pro libertate, ipſis tamen non minus atque aliis propriâ, liceret iis quærere Paſtores ad animum, & ſtatui ſuo non paulo melius convenientes. Sed quia nulla eſt inter infideles adhuc Eccleſia, ad illos mitti debent, qui judicentur illis convertendis profuturi.

Hoc à quibuſcunque fiat, ſive *Eccleſiis*, ſive Eccleſiarum aut Synodorum *Deputatis*, aut Senatu aliquo vel *Congregatione* ad propagandam fidem erectâ, neutiquam inde ulla autoritas vel poteſtas illis naſcitur: vel in miſſos, vel Eccleſias ab iis factas: quod in Papatu, ex miſſionibus ſibi arrogare ſolent Pontifices Romani. Quin ubi periculum eſt vel miſſionum malè adminiſtrandarum, vel inter mittentes ipſos alicujus diſſidii aut offendiculi, conſultum erit, aut vices ad alios quoque devolvi negotii, aut ſaltem à curæ ſocietate alios non excludi, quum ad omnes Eccleſias & fideles æque pertineat ſtudium juvandi & convertendi Gentiles, ex paritate officii Chriſtiani, & communione Eccleſiarum omnium inter ſe.

Cæterum uti in Papatu, ab aliquo retrò tempore conſultatum fuit ſuper conſtituendâ *Congregatione de propaganda fide*, ab anno hujus ſæculi XI. quo ejus rei conſilium ſuppeditavit in libris ſuis de Converſione omnium gentium, Thomas à Jeſu, (*lib.* 3.) uſque ad a. XXIII. quo viſum P. Gregorio XV. illam erigere Romæ, ex Cardinalibus, Prælatis, aliiſque Regularibus, addito Secretario, Pontificatus ſui anno ſecundo, X. Kal. Julii: nos quoque eâ de re deliberandum ſeriò putamus omnibus, quibus Chriſti religio, & regnum, ejuſque promotio, & quotidianus progreſſus, converſio denique miſerorum hominum, & præcipuè infidelium, cordi eſt.

Papa Gregorius, in Bullâ ſuâ, quæ extat Tomo tertio Bullarii Romani, editi à Laërtio Cherubino, ita loquitur: *Quamobrem, etſi à fel. record. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, paſtorali vigilantia, ope, ſtudio, & induſtria elaboratum fuerit, ne tam multæ meſſi deeſſent operarii, & negotiatio hæc ſancta non negligeretur: nihilominus Nos, ut majori cum vigilantiâ, curâ, & fervore, opus proſequi poſſimus, & in poſterum ſucceſſores noſtri poſſint; nonnullorum Venerab. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium peculiari ſollicitudini negotium committendum duximus, prout tenore præſentium committimus, & demandamus. Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Romanæ Curiæ Prælatis, & Religioſis viris, ac Secretario, prout Nos*

hac

hac prima vice adhiberi voluimus, & nominavimus, in commune conſulant, tantaque rei nobiſcum invigilent, ac tam ſancto, & divinæ majeſtati grato operi, quanto melius fieri poterit, incumbant. Quod ut commodius præſtari poſſit, ſemel coram Nobis, ac bis ſaltem in domo antiquioris eorum, quolibet menſe congregentur, omniaque & ſingula negotia ad fidem in univerſo mundo propagandam pertinentia cognoſcant, & tractent, & graviora, quæ in prædicta domo congregati tractaverint, ad Nos referant: alia verò per ſeipſos decidant, & expendant pro eorum prudentiâ. Miſſionibus omnibus ad prædicandum, & docendum, & Catholicam doctrinam ſuperintendant, miniſtros neceſſarios conſtituant, & mutent: Nos enim eis, tam præmiſſa, quam omnia, & ſingula alia deſuper neceſſaria, & opportuna, etiam ſi talia fuerint, quæ ſpecialem, ſpecificam, & expreſſam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi, & exequendi, plenam, liberam, & amplam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem, Apoſtolica auctoritate, earumdem tenore præſentium concedimus, & impartimur. Hæc prima inſtitutio, & forma Congregationis de propaganda fide: quam, ad prædicandum in toto mundo Euangelium, convertendos infideles, & miſſiones quaquaverſum inſtituendas, erexit Romæ, habendam ſingulis menſibus; ſemel coram Papa, & ſaltem bis in æde Cardinalis ſenioris. Symbolum ejus, ex Euangelio petitum, hoc eſt: *Ite in omnes terras, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et quia multi ſumtus in tam vaſtum opus erogandi, ad hoc etiam providit, ut partem ex reditibus *propriis*, partem ex Camera *Papali*, ſive, ut dicunt, Apoſtolica, partem ex liberali piorum *collatione* huc deſtinarit: *ut verò res tanti momenti, in quam magnos ſumptus fieri neceſſe eſt, per temporalium cum ſpiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento, facilius, & celerius procedat; ultra ea, quæ ex arcâ noſtra privatâ ſuppeditari jam mandavimus, & piorum fidelium liberalitate collata ſunt, & in poſterum non defutura ſubſidia in Domino confidimus, cum noſtrum, & hujus Sanctæ ſedis proprium ſit negotium, certos huic operi reditus ex Camera noſtra Apoſtolica in perpetuum attribuemus, eorumque adminiſtrationem iiſdem Cardinalibus committemus, prout in aliis noſtris expediendis literis plenius continebitur.* Tum & nominat Cardinales, quos negotio iſti præficit, & Prælatos, ac Religioſos viros, denique Secretarium, primos Collegii iſtius autores & patronos. Quam Congregationem, præſertim tempore Urbani VIII. qui Gregorio XV. ſucceſſit, immenſum auctam reditibus, viriſque magnis factam illuſtriorem, cognovimus. Neque enim ex hoc theſauro tantùm ſolvuntur impenſæ ipſius Collegii, & litterarum ſeu Correſpondentiarum, uti vocant, ſed & miſſis in loca deſerta, aut

Digitized by Google

quæ ex inopia, vel hominum malitia, eos alere nequeunt, ſufficitur quantum opus habent vel deſiderant.

Jam verò apud nos unumquemque, prout ſapientiâ valet & judicio, & tum doctrinâ tum pietate inſignis eſt, præſertim quidem zelo Chriſti & regni ejus promovendi tangitur, interrogo, ut ſedulo expendant, annon utile ſit, inter Reformatos, hoc magis quo purior doctrina & Dei cultus ab iis ſtat & curatur, *inſtitui* ſimilem de propagandâ fide Congregationem, quæ continuo in hoc ſolum incumbat, ut apud omnes, & per totum terrarum orbem, apud infideles, & hæreticos, & ſchiſmaticos vera fides & pietas promoveri poſſit & propagari: denique & ſuggerat iſta, quæ quoque apud nos facerent ad majorem Dei cultum, & vim ac ſplendorem religionis Chriſtianæ magis ſpiritualem? Deinde, quo *modo* erigi debeat Congregatio ejuſmodi, & conſtitui.

Volo autem, ut ſit de propaganda *fide*, & quoque fidelium *pietate*, & dignâ fide, digna fidelibus vita proba ac ſancta.

Quod neque tantæ difficultatis videri negotium debet, non modo Papiſtis ſuo exemplo præeuntibus, à quibus bonum aliquid percipere & diſcere, quod in uſum Eccleſiæ verti poſſit, haudquaquam erubeſcimus; ſed & naturâ rei idem ſatis efflagitante ac monſtrante; quum uti ſinguli jam rebus ſuis, vel alii præterea aliquibus aliis, iſtud Collegium omnibus omnino conſuleret, & quæ ad ſalutem totius rei Chriſtianæ apud omnes ubique promovendam faciunt, quotidie proferret in medium, huic ſoli rei vacans & intentum omni ſtudio ingenioque. A quo proinde non poſſit non magnus exſpectari fructus, & digna opere merces ac præmium, in egregio & aſſiduo Chriſtianæ ac Reformatæ religionis profectu.

Res ipſa loquitur, in hunc Senatum conſcribendos eſſe non niſi viros *optimos*, fide, doctrina, judicio, ſapientia, ac prudentia, probitate denique, & zelo divino eximios: quos, quo fidelius hoc unum agant, quod diximus, nullo lucro aut ſtipendio, ſolâ autem operis dignitate & uſu allici velim & occupari. Forte nec ſolos *Eccleſiaſticos*, ſed & alterius ordinis viros *Politicos*, & litteratos adſciſci in illud contubernium, æquum fuerit & conveniens.

Neceſſarium autem imprimis, per omnes terras & regiones habere ſuos *Actores* ſeu correſpondentes Eccleſiaſticos, qui continuo ad dictum Collegium perſcribant ſtatum fidelium & Eccleſiarum in ſuis locis: Romæ, Conſtantinopoli, in utraque India, quaquaverſum, ſive in terris infidelium, ſive Chriſtianorum.

Co-

Cognito undique Eccleſiarum ſtatu, juvandi veniunt vel *litteris*, vel *libris*, vel *Paſtoribus*, denique collectis & *eleemoſynis* ſanctorum ad illos miſſis, ante omnia communicatis ſanis prudentibuſque *conſiliis*.

Ad ſumtus verò ſi minus ſufficit *Eccleſia*, qua quidem parte illa maxime apud nos laborat, aſſueta dicere, *aurum & argentum mihi non ſuppetit:* vel *Reſpublica* ſuppeditet, vel fidelium *collecta* & donationes, denique & *Mæcenates* egregii ac liberales, quales ad ſtudia quum reperiantur privatorum alenda & fovenda; quid dubitemus, in rem Eccleſiis, & politiis quoque, & fidelibus omnibus, addo & litteris, aliiſque paſſim rebus, per continua litterarum rerumque commercia, proficuam, adfuturos quoque?

Denique ut ſumtus deſint, ad operis, qualem animo complectimur magnitudinem & perfectionem; non infructuoſum, opinor, erit initia ejus facere circulo breviori, nec magis ſumtuoſo, quam res privatæ ferant, & ab aliquibus *privatim* in hoc conveniatur, ut propriis ſtudiis, animiſque in commune hoc bonum laborantibus inchoetur negotium, à pluribus, & majori molimine mox perficiendum & producendum ulterius. Quod facili & utiliſſimâ operâ præſtari poſſe, vel ab amicis, vel Collegis aliquot, aut facultate Theologicâ, ego mihi perſuadeo. De quo & alibi à nobis dictum memini, in Oratione, de *Eccleſiarum inter ſe Communione.* Suffecerit autem hoc loco & tempore prima iſtius Collegii poſuiſſe rudimenta & delineationem, quæ ubi placuerint, vel hoc effecerint, ut de eo cum curâ cœperint cogitare quorum intereſt, intereſt verò omnium, non defuturos plenioribus conſiliis nos pollicemur.

Huc ſpectat, quod in *Academiis* ad præſens negotium convertendarum gentium, quod nunc in manibus habemus, fieri debere, indicavimus. Videlicet, ut ſtudioſi de hoc quoque argumento benè *inſtruantur.* Et quare non doceantur à Magiſtris ſuis, quomodo cum infidelibus debeant agere, ac cum hæreticis, vel aliis proximioribus? quomodo proferre res Chriſti, ac quomodo defendere, & probare ſua extraneis æque, ac domeſticis? Ergo & hoc tractandum argumentum eſt, tum doctoribus, tum diſcipulis, ac aliud quodcunque, utpote ad Theologiam & religionem peræque pertinens, ſi non magis. Et certum habeo, non ſine gravi præjudicio, damno, & offenſione illam doctrinæ noſtræ ac ſtudii partem à profeſſione noſtrâ exulare.

Deinde vehementer ſcopo conducet, *Seminarium* haberi iſtorum, qui ſtudiis & exercitiis omnigenis tempeſtive parentur ad miſſionem inter Gentes digne obeundam. Qualia apud Papiſtas, apud Nos quoque ſubinde habita, conſtat.

Digitized by Google

Romæ Gregorium XIII. maximo ære inſtituiſſe tria & viginti Collegia, ſeu Seminaria, pro infidelium, hæreticorum, & ſchiſmaticorum converſione, Græcorum, Neophytorum, Germanicum, Britannicum &c. refert Thomas à Jeſu, *lib.* III. *cap.* III. de quibus quum loquitur, dignum obſervatu eſt, quæ de Seminario Romano annotat, & vult, *ne omnes, qui ad Seminarium Romanum pertinent, in ipſâ urbe Româ nutriantur, ob varias cauſas: vident enim & audiunt aliqua ſcandala, tam in Eccleſiaſticâ, quam in civili vita, quæ omnino ipſis decent eſſe ignota.* Tum de Seminario pro mittendis ad infideles: *Secundum genus Seminariorum addi poteſt, quod & à viris prudentibus, animarumque zelo præſtantibus Summis Pontificibus non ſemel propoſitum fuit, nempe ut quædam Seminaria diverſorum Religioſorum eligerentur, præcipuè illorum Ordinum, qui facilius & fructuoſius pro ſuorum inſtitutorum ratione (quales ſunt Mendicantes, maxime obſervantes & reformati) poſſent in hoc negotium incumbere. Neque enim difficile valde apparet, ut ex duobus tribuſve primariis Religioſorum ordinibus, triginta, quadragintave Religioſi Romam evocarentur, qui omnes quartum votum emitterent, ſe per totius vitæ ſpatium curaturos Infidelium converſionem, iturosque in unamquamque orbis partem à Summo Pontifice, vel à ſuis Prælatis miſſos.* Neque omitto, quod de tertio addit Seminarii genere, quale quid ſuo tempore maximo cum fructu etiam poſſit inſtitui: *Tertium genus Seminariorum forſan aliis fructuoſius evaderet, ſi pro ſingulis nationibus, aut ſaltem pro præcipuis ſectis, ſingula Seminaria deputarentur, in quibus efformarentur Miniſtri, qui eſſent illius ſectæ ad fidem reducendæ deputati, ac illius bonum curarent non aliter ac patroni, tutores, aut protectores provinciarum ſolent.* Atque expendi meretur, quod poſtremo addit: *Præterea, cum in Eccleſia Dei innumeræ ſint Religiones, pro ſalute proximorum procurandâ, inſtitutæ, oporteret aliquam de novo fundari, cujus ſcopus ac finis particularis, præter orationem, & contemplationem, eſſet fidei per univerſum orbem propagatio, & fidelium omnium ad Eccleſiæ unitatem fideique veritatem reductio: nam licet plurimæ ſint, quæ animarum converſioni ſtudeant, diviſa tamen ſunt eorum piiſſima ſtudia ac partim fidelibus, partim verò infidelibus impenduntur. Nulla verò eſt in Eccleſia Dei hucuſque Congregatio erecta, quæ ſolum animarum converſioni procurandæ deſtinetur. Quamobrem foret opus Deo longe acceptiſſimum, ſi huic functioni Religio aliqua à ſancta ſede Apoſtolicâ inſtitueretur, quæ unice converſioni Infidelium invigilaret, atque inter ipſos ut plurimum verſaretur.*

In Bullario Cherubini, Tom. II. legitur pag. 283. Gregorii XIII.

Inſtitutio Collegii Germanici, in Urbe facta, an. cIↃ IↃ LXXIII. Pro alendis & inſtruendis centum Germanis, ſub regimine & inſtitutione Presbyterorum Societatis Ieſu: pag. 308. erectio Seminarii Græcorum, an. cIↃ IↃ LXXVII. & pag. 358. Collegii Maronitarum, an. cIↃ IↃ LXXXIV. De Seminariis Clericorum agit Synodus Tridentina, ſeſſ. XXIII. cap. XVIII. & quantum rebus ſuis contulerint, vel Seminarium Anglorum Duacenſe, vel Colonienſe auſpiciis Sasboldi Vicarii Hollandiæ, & Alberti Eggii, Vicarii Harlemenſis, erectum circa an. cIↃ IↃC. vel Collegium Adriani VI. Lovanii, valde extollit Rovenius, lib. *de miſſionibus, ad propagandam fidem, part.* III. Et *de Expeditionibus ſpiritualibus Societatis Jeſu* libros quinque edidit Michael San Roman, Palentinus; ſed quibus vulgaria nimis tractat pro iſto argumento.

Indici quoque Seminarii in Academiâ hac noſtrâ aliquando erecti forma & modus legi poteſt, in Operibus D. Walæi, inter *Conſilia pag.* 437. Quo adoleſcentes aliqui honeſti & probi doctrinâ & ſapientiâ imbuerentur, autoritate & ſumtibus Præfectorum Indicæ Societatis, quorum opera tandem in convertendis Indis adhibreetur. Neque hic tantùm, ſed quoque in Indiâ ſimile Seminarium erigere erat animus, uti §. 19. videre eſt: quo majori ſtudio, & fructu negotium illud ſalutare perageretur ab utriſque. Quippe, in Synodis noſtris, ab an. cIↃ IↃCXLV. in Wourdanâ & ſequentibus ſedulò actum fuit de inſtituendo Seminario, & impetranda huic fini, accedente autoritate D.D. Ordinum, à ſocietate Indicâ, certâ nummorum ſummâ. Atque in Buranâ Synodo, an. cIↃ IↃC. memoratur D. Cornelius Acoley, qui fuerat Gubernator in Bandâ, quod neſcio quot nunc nummos ad Seminarium iſtud donaſſet.

Jam in uſum iſtius Seminarii modos ejus & regulas conſcripſit Walæus non pœnitendas. Imprimis, uti agnoſcerent Studioſi, ſe non eruditione modo, ſed prudentiâ, & ſingulari vitæ aſceſi ad opus illud parari ac probari debere. Quod ego non ab illis tantum, ſed omnibus Studioſis, præſertim S. Theologiæ candidatis jure efflagitem, ut æque vivendi, ac ſapiendi & docendi modo ſtudeant præcellere, & in uno non minus ſe exerceant, quam altero, atque cura noſtra erga illos ſe extendat æque ad τὸ πρακτικὸν bonæ & purioris vitæ, quam doctrinæ, utpote quocunque etiam in loco, vel apud Chriſtianos, vel extraneos, iiſdem ſacris operaturos ſingulariſſimâ ratione, Eccleſiæ, & Chriſto. Quemadmodum id à Pontificiis curatur in Monaſteriis, vel Seminariis ſuis, ubi vitæ religioſe agendæ non minus ſtudetur, ac doctrinæ: quanto magis apud Reformatos, & refor-

Digitized by Google

mantes, atque reformaturos. Quare Walæus ibidem, §. 14. *ad pietatis exercitia externa, abſtinentiam, tolerantiam, preces, jejunia, pauperum & afflictorum, ægrorum viſitationes &c.* Addo ego, & catechizationes, in quibus eos exerceri memini in aliis Academiis, idque ex mente Synodi Nationalis, ſeſſ. XIV. ubi Genevenſes Theologi: *adſueſcant Theologiæ ſtudioſi Catechetico officio, etiamque ante publicam vocationem ad illud adhibeantur & excitentur; atque ſobrietatis, ſanctæ prudentiæ, & Religionis leges, ab ipſius populi neceſſitatibus diſcant.* Et Zepperus, de Politiâ Eccleſiaſticâ, in Præfat. pag. 17. *Theologiæ ſtudioſi, ex umbrâ Scholaſtica, ad officia publica capeſſenda producti, primum ſuum tirocinium ponent in Scholis trivialibus, pueros inſtituendo, & Pſalmodiam in ſacris cœtibus exercendo, imo puerorum Catechizationes in publico adjuvando.* & pag. 31. *Catechizationibus puerorum præterea ut interſint operam dabunt, & miniſtrorum permiſſu, inque ipſorum præſentiâ, ipſi quoque bis catechizationibus fungentur, quæ quidem muneris ipſorum non poſtrema pars futura aliquando erit.* Et in Synodo Ultrajectina, an. CIↃ IↃC XXXIII. imponitur Proponentibus, uti apud nos appellantur, ſive S. Miniſterii Candidatis, ut in locis vacantibus quoque catechizent. De quibus plura diximus, tum in Tractatu Belgico, *de Catechizatione*; tum in Diſputationibus, *de Catechizationibus.*

Ad Walæum redeo, qui de illis, quæ diximus, exercitiis: ſtudioſi, inquit, Seminarii Indici, ad illa *peculiariter quoque erunt adhortandi, & qui jam provectiores ſunt, in iiſdem nonnunquam exercendi, tum ut gratia Dei in iis fiat auctior, tum quia hæc magis in oculos incurrunt, atque animos hominum carnalium ac ferociorum, aut eorum qui adhuc à fide ſunt alieni, vehementius commovent, ut doctrinam illam, cujus tales fructus ob oculos habent, majoris æſtiment, & diligentius examinent.*

Adde leges vitæ, Studioſis in Collegio iſto præſcriptas, tam de iis quæ cavere, quam præſtare debeant, *in tota civili converſatione tam intra, quam extra collegium decenter ſe gerent, geſtibuſque ac veſtimentis functioni ſuæ futuris congruis utentur. --- Cavebunt ſibi ab omni pravo conſortio, & locis ipſorum vocationi minime conſentaneis: qualia ſunt diverſoria, ſphæriſteria, ludi gladiatorum, & ſimilia. Nec intra, nec extra collegium ludis utentur famoſis, aut cum ſcandalo conjunctis: quales ſunt aleæ, chartarum pictarum, tripudiorum &c.*

Vel ſiquidem non neceſſe videatur ſingulare ad curandam Indorum atque Gentilium converſionem erigere Seminarium, viderint prudentiores, annon huc poſſint deſtinari *Alumni* in Collegiis noſtris publici, quorum in

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiis pro præſenti non eſt tanta neceſſitas, ut de diminuendo ſaltem eorum numero laborent Mecænates, & ſatis aliunde provideri nunc Eccleſiis noſtris queat: qui ſic etiam in uſus publicos, atque ubi magis neceſſarium, applicarentur. Ac propterea eorum votis aliis hoc forte etiam addi poſſet miſſionis ad Infideles.

Quidquid ſit, Academiarum iſtud eſt negotium, parare, & paratos ſemper habere miſſionarios, ad dignam iſtam, & copioſam, apud infideles, meſſem. In Epiſtolis Japanicis, Franciſcus Xaverius, an. cIↃIↃLII. *Ubi omnia perluſtravero, ſcribam ad præcipuas Academias Europæ (ut ſi nihil aliud, in ipſius ſaltem exonerem conſcientiam) quæ tot animabus hic miſerè pereuntibus, ſuccurrere poſſent, eaſque ad Creatoris ſui & redemptoris notitiam traducere. Scribemus autem, cum ea qua par eſt modeſtia, ut ſervi & filii ad majores & patres: quod verò aſſecuturum me confido, id eſt, ut ii, qui huc advolare non poterunt, auxilio ſint iis, qui ſe promptos ad tantum Dei obſequium, & ipſius gloriam propagandam, & ad animarum ſalutem offerent, ut hîc participes fiant conſolationum & ſanctæ voluptatis, quibus fortè ubi modò degunt, miſerè fruſtrantur.*

Ergo illa ab *Eccleſiâ*; in *Academiis* iſta curanda ſunt, in negotium Converſionis, ſive ad propagandam inter Infideles fidem: quæ nunc partes item ſint *Politiæ*, ſive Reip. in idem opus, inquiramus.

Tria autem in genere ab illis poſtulamus, eorum *autoritatem*, ad agenda, quæ hac in re agi debent; *ſubſidium*, quo poſſint perfici; præterea protectio & *præſidium*, quo defendamur adverſus tempeſtates omnes & adverſarios. Neque *hic* tantum iis opus eſt, eorum favore, & potentia, ſed & in *Indiis*: magnum enim ad res Eccleſiæ ubique emolumentum eſt in poteſtate Politicorum.

Atque uti cavere ſupra modum Eccleſiaſtici debent, ne rebus alienis & politicis ſe immiſceant, nemo enim militans implicatur negotiis hujus ſeculi; ita quoque Politicorum eſt, illis Dei miniſtris opem ferre, quos viderint in opere ſtrenuos & fideles, ſatiſque moleſtiæ perferre à peregrinis & infidelibus, dum iis Chriſtum, & vitam Chriſtianam ſtudent perſuadere, ut non debeant ulla pati à ſuis. Et tamen novimus hac in parte graves & frequentes Miniſtrorum querelas de Politicis, non ſatis ſibi, & Eccleſiæ, & miniſterio faventibus; imo qui in cauſa fuerunt ſæpe aut non longius & felicius producti Evangelii, aut non confirmati locis ſuis, etiam quod optimi & pii coacti aliquando fuerunt deſerere loca ſua & ſtationes in illis oris, quas fideliter obibant, & repetere patriam ac loca alia.

Facit

Digitized by Google

Facit huc egregia Acoſtæ obſervatio, *lib.* III. *de procuranda Indorum ſalute*, *cap.* XXIV. ubi de *concordiâ Prætoris cum ſacerdote* loquitur: *ſupereſt tantum, ut civilem omnem poteſtatem admoneamus, uti in adminiſtranda Repub. Indorum cum Eccleſiaſticâ germane conjungatur, ſitque Prætor ſacerdoti, quod Samueli David, quod Hieremiæ Joſias, quod Eſaiæ Ezechias, quod Sylveſtro Conſtantinus, quod Theodoſius Ambroſio. Facile quidvis perficietur, ſi gladius uterque conſenſerit, ac vaginam eandem induerit. Contra, nihil ita perturbat, labefactat, evertitque religionem, morumque doctrinam, ac mutua inter ſacrum profanumque contentio.*

Etiam illud ſummâ Præfectorum auctoritate curatum velim, quod frequentiſſime inter Barbaros accidit, ut emendis & vendendis *hominibus negotientur:* non quod nolim emi noſtris Barbarorum mancipia, quibus ad operas & negotia ſua opus habent, neque aliter impetrare datur; ſed quod emta à noſtris vel *inhumanius* habentur, vel iterum quo pretio *venduntur* aliis, & *infidelibus*, improbo, cum perpetuâ ipſorum pernicie, ad quos tamen lucrandos & vindicandos Chriſto, potiſſima Chriſtianorum tendere deberet opera & profeſſio: qui inter alia lenitate & manſuetudine vinci debent, aliiſque innocentioris vitæ officiis & exemplis. Quam mercationem ſuis in Orientali Indiâ prohibuit olim Johannes Luſitaniæ Rex, litteris an. cIↄ Iↄ XLVI. datis ad Prætorem Indiæ, Johannem Caſtrium, quas Maffæus exhibet, lib. XII. *Ad hæc certis auctoribus magno mihi meo dolore compertum eſt, ab Luſitanis hominibus vili pretio coëmta mancipia, quæ apud Chriſtianos dominos perfacili negotio ad baptiſmum adduci poſſint, Mahometanis ac barbaris mercatoribus, ad non dubium animorum interitum, uberioris quæſtus cauſa venundari. Id piaculum ne admittatur in poſterum, neu ſervitia ulla niſi Chriſtiano emtori aut licitatori addicantur, gravi cavebis edicto.* Eandemque mancipiorum mercationem, & inhumanam hominum negotiationem, damnatam à Claſſe Pernambucenſi memini, an. cIↄ Iↄc XXXVIII.

Quamvis autem favorem & ſubſidium Politicorum omni modo Eccleſiæ ambiendum cenſeam; non tamen ab eorum vel nutu & arbitrio res religionis ſuſpendendas arbitror, vel prorſus tradendas illis, abſque quibus etiam ſubſiſtere nata eſt, ſolo Chriſto fiſa, & cauſa ejus, quæ & ſua: cui ſi accedat brachium ſeculare, eo felicius quidem ad oculum ſibi videntur omnia habere; non autem propterea ei nimium addicanda vel ſubjicienda, ac ſi abſque eo nihil eſſet, vel poſſet Eccleſia, in rebus ſuis. Quin ad hoc ſemper annitendum cenſeo, quovis tempore, & quocunque rerum ſtatu, ſive faventes habeat Magiſtratus Eccleſia, ſive nullos, ſive adverſantes, ut,

quam

Digitized by Google

quam maxime poteſt, ſe ſibi vindicet, ſua agat ſub Chriſto, ab ejus unius Spiritu pendens & auxilio. Reliquis utatur, ubi commodum, ſi adſint, ſed ſoli Chriſto ſubdita, eum ſuum caput digne veneretur, ad cujus voluntatem tota ſe componit omnimodo, ſive ſtet, ſive cadat, ſi cadere poteſt, in ejus gratia præſentiaque ſecura ſemper & tranquilla. Digna ſunt Hilarii verba, in Auxentium Mediolanenſem, quæ audiamus: *ac primum miſerari licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſeculari laboratur. Oro vos, epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt, genteſque fere omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumerent è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas, & poſt flagella cantantes? Edictiſque Regis Paulus cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat? Nerone ſe, credo, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis effloruit.* Egregie & animoſe, atque ex vero dicta.

Nimis fervide ambiuntur ſæpe politica, eorum edicta, poteſtas, gladius, in ſubſidium rerum ſpiritualium & religionis, quaſi abſque illis actum eſſet de Eccleſia, & niſi illorum auxilio Chriſtus ei non provideret. Quid fecerunt obſecro primi illi, qui non modò nullo Magiſtratuum ſubſidio freti, aut armati, ſed adverſus eos, & armatam in ſe eorum poteſtatem, invitis & reclamantibus, Chriſtum & ejus Euangelium introduxerunt in ipſorum animos, terras, & homines, tum temporis, majori copia & fructu, quam unquam poſtea datis Eccleſiæ Principibus Chriſtianis, & Eccleſiæ non ſegniter faventibus? Ut doceret nimirum Eccleſiæ Dominus & protector verus unicuſque ille, quam non ab hominibus, ope, & poteſtate humana penderent res ſuæ, ſuique ne nimium illis fiderent tribuerentque, ipſi verò omnia in ſolidum. Armatus ſolo Chriſto, ſatis armatus eſt adverſus omnia. Idque voluit ille, quando oſtendit, & quoties id non oſtendit? ſub perſequutionibus maxime ſtetiſſe & creviſſe Eccleſiam. Malim eo ſolo ſtare, abſque ullo præſidio humano, & corporali Politicorum, quam hiſce ſolis, abſque eo.

Et hoc cogitare debent, ut ad eos nunc pergam, *Miſſi* ad juvandos & docendos gentiles, tum in *miſſione* ſua, tum *officio*, & tota vita, præſenti operi impendenda.

Primùm ergo ſi deſint alia ſubſidia, quæ ubi ſuppetunt, utique ſpernen-

Digitized by Google

da neutiquam ſunt, ſed faciamus deeſſe omnia, neque ita tamen deſerendum opus, vel deſpondendus animus; quinimo ad exemplum Apoſtolorum *nudi*, verùm Chriſto fortes ſatis diviteſque, ingrediamur & iter, & negotium, quamvis graviſſimum duriſſimumque: providebit ille, qui dixit Apoſtolis, quum eos mittebat, *nihil ſumite ad iter, neque virgas, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque binas tunicas habete.* Luc. 9. 3. & Luc. 22. 35. *quando miſi vos abſque crumenâ & pera & ſoleis, numquid defuit vobis? ipſi verò dixerunt, nihil.* In cujus unius ſollicitudine, cura, promiſſione quid ni ſecuri ſimus, premente quamvis rerum aliarum, tum omnium inopiâ? Si enim nunquam juſtum ille deſerit, vel etiam ſi cogatur aut ejus ſemen quærere panem, attamen neque ſic etiam deſerit, uti eſt Pſalm. 37. 25. quanto minus deſtituet iſtos, dum in ejus opere verſantur, ut juſtos faciant quamplurimos.

In Bullâ Canonizationis Ignatii, ejus Societas offert ſeſe ad miſſiones obeundas, ad infideles etiam, & quoſcunque, *non petito viatico.* Et in Prænarratione Synopſis Soc. Jeſu, à Damiano conſcriptâ, de Ignatio dicitur: *annuum inopiæ levamentum, primo & altero anno in Belgium, tertio inſuper & in Angliam, quæſiit è mercatoribus Hiſpanis.* Similiter de Xaverio, in Bullâ Canonizationis narratur, quod, *cum viatici nomine plurima ei à Prætore Regio pararentur, homo qui pro viatico ac perâ de Dei benignitate, in cujus Euangelii opus ſegregabatur, præſumebat; nunquam adduci potuerat, ut quidquam præter viliſſimum centonem acciperet: & in navi ſuper funem nauticum dormiebat, ac è mendicato vivebat: ægrotis in viliſſimis miniſteriis indefeſſa charitate noctu dieque ſerviebat.* Ac propterea in Regulis Societatis, ubi de eorum miſſionibus, habetur, *cum oppidatim miſſi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam quoad fieri poterit, ut more pauperum Euangelium prædicent: proinde & pedites vel in toto, vel in parte, iter facient, ſi eos id Superior præſtare poſſe judicaverit, & ex eleemoſynis, vel oblatis, cum ædificatione emendicatis vivent; niſi alia ipſis à Superiore ſuſtentationis ratio ſit conſtituta. Si nullum eis à Superiore deſignatum fuerit hoſpitium, intelligant ſibi ad aliquod hoſpitale, tamquam ad hoſpitium pauperum eſſe divertendum; ſi tamen honeſtum id ſit, atque ad exercenda ex eo miniſteria Societatis accommodatum: alioqui convenientius erit, ut in domum pii alicujus, & exemplaris Eccleſiaſtici, aliumve ejuſmodi locum ſe recipiant, in quo cum ædificatione manere poſſint.* Quæ iſtum in finem adferimus, ut conſtaret, quo modo illi, qui maximos in Indiis progreſſus fecerunt doctrinæ Chriſti, niſi quod ſua peſſimè adjunxerint, id aggreſſi fuerint, quâ mente & conſtantiâ, quidque, ubi

Digitized by Google

ubi ferat neceſſitas, nobis etiam pro puritate Euangelii, & regno Chriſti, honeſte æmulari aliquando non minus conveniat.

Quæſtio hic eſt: utrum præſtet, mitti eos ad vitam; an ad certum tempus? Melius proculdubio eſt, ut mittantur pro totâ vitâ, ut ſic omnia ſtudia ſua omni tempore cogitent impendenda eſſe huic uni operi, quod proinde ſedulitate curent non interrumpendâ: at quia metus eſt, hac ratione difficilius ad miſſiones alliciendos fore, ſatius fuerit aliquos mitti ad certum tempus, ubi vix aliter fieri poteſt, quam nullos, aut minus cupidos. Ad majorem autem, quæ haberi poteſt, ædificationem omnia attemperanda ſunt.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo oſtenditur, quales mittendi Doctores?

HOc de *modo*, jam & *quales* mittendos cenſeamus, exponendum, denique & miſſi qua ratione in *opere* converſionis verſari debeant, quid agendum ipſis, vel cavendum fuerit, ultimo loco viſuri.

Non mittendi eò, quod dolendum ſummopere nonnunquam accidiſſe, vel qui vitæ minus caſtigatæ ac probæ, vel infimi aut nullius fere pretii homines, denique qui id ambiunt non honeſta & ſancta de cauſa, ſed vel commodi aut lucri ergò; ſed *optimi* omnino, nullo vitio aut ſcandalo notati vel infames, ſed pii & probi, imo ſingulari *pietate* conſpicui, atque aliis omnibus meliores, non inferiores. 1. Pet. 2: 12. *converſationem veſtram inter Gentiles habentes bonam: ut in quo vobis obloquuntur tamquam maleficis, veſtra conſpicientes bona opera, Deum glorificent in die viſitationis.*

Neque enim facile exponi, aut dignis ſatis lacrymis deplorari poteſt, quantum mali apud Indos dederit turpis & improba nonnunquam Chriſtianorum, qui ad ipſos ſubinde venerunt, vita, quod opprobrium Chriſto, & Chriſtiano nomini, damna irreparabilia rei Chriſtianæ: imprimis turpis, & crudelis vivendi ratio Hiſpanorum in Americâ. *Etenim nomen Dei propter vos blaſphematur inter Gentiles.* Rom. 2: 24. Oſtendit id Bartholomæus de las Caſas, ipſe Ordinis Dominicani Monachus, & poſtea factus epiſcopus, in libro *de Deſtructione Indiarum*, per Hiſpanos, ad Hiſpaniarum Regem, Philippum II. ex rebus ſibi propriâ experientiâ compertis: qui liber primum Hiſpanicè conſcriptus eſt, edituſque Hiſpali, an. cIↃIↃLI. tum in Gallicum ſermonem, & Belgicum, & Germani-

cum, & Latinum converſus legitur, non ſine horrore omnium, & cumprimis deteſtatione Hiſpanicæ impietatis, atque crudelitatis, quâ viginti hominum milliones diriſſimis modis neci dediſſe illos, prò explendâ ſuâ avaritiâ, ſcribit: ut oſtenſo auro dicerent miſeri Indi, *ecce iſte eſt Hiſpanorum Deus:* & in Cubâ inſula potentiſſimus Cacycus, ſive Dynaſtes, Hathuey nomine, palo affixus ut combureretur, atque à Franciſcano Monacho monitus, ut de cœlo adipiſcendo, & fugiendis inferni cruciatibus tandem ſerio cogitaret, poſtquam cogitabundus aliquamdiu hæſiſſet, rogavit monachum, utrum etiam Hiſpani in cœlo eſſent? quo affirmante, reſpondit abſque ulteriori mora vel deliberatione, malle ſe apud inferos agere abſque Hiſpanis, quam cum iis in cœlo. Hæc Caſus.

Calveto, in *Hiſtoriâ Novi Orbis*, *lib.* I. *cap.* XXIII. narrat, eos quando forte Hiſpanum militem cepiſſent, in terram proſtrato, revinctoque manibus pedibuſque aurum in os infudiſſe, addita exprobratione, *ede, ede aurum Chriſtiane.* & lib. 2. cap. 13. congreſſum refert Præfecti Hiſpani, cum Indorum regulo, qui ubi illum interrogaſſet, quis eſſet, & cujus rei gratia iſthuc veniſſet? ajenti, ſe Chriſtianum eſſe, filium Dei creatoris cœli ac terræ; veniſſe autem ſe, ut divinæ legis notitia gentes iſtas imbueret: reſpondit: *Si Deus tuus jubet ut alienas terras latrocinando, urendo, trucidando, nec ullum ſceleris genus prætermittendo, perambules, tibi maturè denunciamus, fieri non poſſe ut vel ei, vel ipſius legi credamus.* Uſque eò non ſibi ſolis nocuerunt Hiſpani ſua immani crudelitate & avaritia, ſed & probrum deteſtandum conciliarunt ſanctiſſimæ religioni, ejuſque auctori Chriſto. Faciunt idem omnes alii Chriſtiani, qui iiſdem moribus inſiſtunt, & vitam degunt profeſſione ſua, quam omnium odiis exponunt & contumeliis, indignam. Etenim Gentiles, utcunque barbari & rudes, ex vivendi moribus tamen æſtimant homines, & eorum profeſſionem. Eleganter Acoſta, lib. IV. cap. V. *Certe barbari fidem noſtram de moribus judicant. Proclivius quippe eſt, quod videas credere, quam quod audias. Raro perſuadet factis ſermo contrarius.*

Aliquando Xaverius ex Japone, nomine Auger, quæſierat; utrum, ſi in Japoniam veniret, Evangelio quidem futurus eſſet locus? reſpondit, populares ſuos non continuo his, quæ dicerentur, eſſe aſſenſuros, ſed diu multumque exploraturos primùm, tum quam eſſet allaturus religionem; tum quidem maxime, an dictis facta congruerent. Quæ probanda in Gentilibus eſt ingenuitas & ſolertia: Chriſtianis autem cautelæ loco omninò eſſe debent. Certe nulla magis remora obſtitit hactenus feliciori Evangelii

apud

Digitized by Google

apud Indos progreſſui, & miſerorum hominum converſioni ac ſaluti quam Chriſtianorum, & ipſorum Evangeliſtarum propudioſa, atque ne,faria ſæpe vita. Aliqua ejus rei exempla adfert Calveto, *lib.* II. *cap.*XVIII. ex Commentariis Italicis Hieronymi Benzonis, Mediolanenſis, ubi Barbaros vulgo ita in Chriſtianos loquutos memorat: heus tu Chriſtiane, vetat „ Deus, ne quis per nomen ſuum in vanum juret: at tu omni, & quidem „ leviſſima de cauſa, aſſidue juras & pejeras. Jubet Deus, ne falſum teſtimonium dicamus: vos verò Chriſtiani nihil fere aliud facitis, & alii aliis „ detrahitis & maledicitis. Jubet Deus, ut proximum tuum tamquam teipſum diligas, eique ſua debita remittas, ut tua tibimetipſi condonari velis: vos verò planè contrà facitis: nam & à vobis male tractantur qui minus opibus valent, & ſi quis quid debeat vobis, vos eum in vincula trahendum & conjiciendum curatis, ac quamquam facultatibus careat, tamen ut perſolvat urgetis, & rigide æs veſtrum exigitis. Si inter vos ſit „ pauper aliquis Chriſtianus, ne de veſtris facultatibus illi erogetis, remittitis eum ad caſas noſtras, ut ei eleemoſynam largiamur. Alios, avaritiam, & furioſam habendi cupiditatem taxantes, oſtenſo aureo numiſmate vel bracteâ, quod & ſupra ex Bartholomæo Caſo audivimus, dixiſſe „ refert: en Deum Chriſtianorum: propter hoc è Caſtellâ in terras noſtras „ venere; propter hoc nos ſubegerunt, vexarunt, pro mancipiis vendiderunt, & multa in nos ediderunt neſanda: propter hoc bella & prælia inter ſe agitant, & alii alios mutuo interimunt: propter hoc perpetuò inquieti, aleâ ludunt, blaſphemant, diris ſe devovent, litigant, furantur, „ alii aliorum uxores rapiunt, denique hujus gratiâ nullum ſceleris aut libidinis genus prætermittunt. Quid obſecro à talibus boni exſpectes, imo „ quid non mali? Refert ipſe ibidem Benzo, ſe Sacerdotes inter ſe confabulantes, dicenteſque audiviſſe, ſe non ob aliam cauſam, quam ob „ quæſtum faciendum, ex Hiſpaniâ in Indiam trajeciſſe. Eaque de cauſa „ melioris mentis Franciſcanum publice clamaſſe, nec Sacerdotem, nec „ Monachum, neque Epiſcopum ullum in tota India exiſtere viri boni nomine dignum: ſed omnes ſe dedere avaritiæ, atque ubi Indos abundare „ divitiis intelligunt, eò certatim omnes confluere; & loca illa fugere, ubi „ magis ſunt inopes. Qui propter hanc ſuam in dicendo παῤῥησίαν captus, & Guattimalam abductus fuit. Hoc addit, ſe ex Monacho audiviſſe, Indum Reguli cujuſdam filium, Chriſtianum factum, dixiſſe: ex quo Chriſtianus factus ſum, per Dei nomen jurare, & per „ Crucem, & verba Sancti Evangelii, ac per Dei vitam blaſphemare didici:

,, dici: eumque abnego, nec credo: aleari præterea didici, & verum nun-
,, quam eloqui: enſem inſuper mihi comparavi, ad ciendas rixas: deni-
,, que ut plane ritu Chriſtianorum vivam, nihil jam mihi præter concubi-
,, nam deeſt, quam brevi me domum ducturum ſpero. Heu grave judicium Dei, quod in caput ſuum conſciſcunt auctores illi, tantùm Chriſtiani, ut hoc gravius à Chriſto damnentur! Alterum ipſe expertus fuit, quum
,, Indum forte alea ludentem, & blaſphemantem corriperet, qui ſibi confe-
,, ſtim: nos ex vobis ipſis hæc exempla didicimus. Fuit, quum ſciſcitare-
,, tur aliquem, num Chriſtianus eſſet? & reſponſi loco acciperet: num tu
,, me vis per decem aut duodecim annos ſervum eſſe epiſcopi, & curare ejus mulam? quaſi ad hoc ſoliti facere Chriſtianos. Ex quibus quam verè dixerit Acoſta, quilibet æſtimet, lib. II. de procuranda Indorum ſalute, cap. XVIII. *E noſtris quidem ſolent plurimum Indorum veram converſionem retardare peſſimi exempli mores. Unus autem ædificans, & alter deſtruens, quid proficit eis labor. Nullam revera ego graviorem difficultatem ſentio in hac cauſa: propterea quod cum barbari religionis noſtræ ignari ſint, omnes nos ſimiles ac veluti unius coloris reputant. Ita crimen hujus atque illius, in omnium redundat infamium, & quod eſt gravius, ipſum Chriſtianum nomen apud infideles in odium venit.* Et ex ſententia Poli, lib. IV. cap. V. *Quamobrem recte prudenterque ſcripſit Polus, rerum Indicarum & indagator curioſus, & æſtimator prudens, tribus ex cauſis videri ſibi, tam multo tempore, tam modicum promoviſſe Evangelium apud Indos.* Inter quas primam conſtituit, *quod exempla prava noſtrorum hominum fidem prædicationi Evangelicæ derogarint.* Quare non male colligit idem, lib. I. cap. XVIII. *Ego vero ſi plane quod ſentio dicturus ſum, immerito prorſus in cauſa Evangelii harum gentium ingenium naturamque accuſari nullo modo dubito &c.* Quæ non ita à Pontificiis, vel de ſuis dicta accipienda ſunt, ut non noſtris quoque applicari poſſint, & debeant.

Contrà quid apud alios, & infideles faciat vel opinio ſanctitatis, hinc diſce, quod narratur Turſellino, in vita Xaverii, & Maffæo, lib. XIV: Concionanti in Japonia, in trivio, Fernando, Franciſci Xaverii ſocio, accurrit Japon aliquis, homo inſolens, & collectam ore ſalivam eructat in os concionatoris, quam immoto prorſus animo & vultu quum ille abſtergeret, & inſtitutum pertexeret ſermonem, alius è gente iſta id videns, atque miratus patientiæ egregium exemplum, ſic in animum induxit, non poſſe niſi ſanctam adferri religionem ab hominibus tanta virtute præditis: unde baptizatur, poſt eum & alii: atque ita Amaguncium, celebris in Japoniâ

Digitized by Google

poniâ civitas doctrinam Chriſti accepit primùm, credid itque. Tantum poſſunt conſpicua virtutis & ſanctitatis exempla, etiam apud infideles.

Turpe autem eſt reprehendi ab infidelibus Chriſtianos, turpius ſuperari, peſſimum verò quod inde & obex ponitur aliorum ſaluti, & Chriſti regno non tantum, ſed quoque Chriſtus & Chriſtiana religio infamatur propter eos, & proſcinditur contumeliis. Accipe de Americanis teſtimonium Bartholomæi de las Caſas, pag. 19. *Hoc præterea addo, me credere, & certis conjecturis aſſequi, eo tempore, quo hæc omnia in hac Inſula patrata ſunt, Indianos, ne unico quidem peccato mortali, in Hiſpanos commiſſo, teneri, quod hominum mereatur ultionem &c.* De Indis, in Oriente, ſcribit Pimenta, ad Generalem Societatis, Claudium Aquavivam, ann. cIↃ IↃc. de Maleis: *Nulla inter eos furta aut latrocinia, & idcirco dum foras procedunt, ædium oſtia non occludunt.* De Sinenſibus, præſertim Confutio, & ejus diſcipulis egregia, & quæ pudore ſuffundere Chriſtianos poſſint, multa diximus ſuprà. In Epiſtolâ Nicolai Longobardi, item ad Claudium Aquavivam ſcriptâ, ann. cIↃ IↃ xcviii. de ſtatu regni Chinenſis: *Nono, Chinenſes*, neque enim tædet hæc deſcribere, *non modo externarum rerum curam habent, ut pace fruatur Reſpublica, verum etiam internarum, hoc eſt, ut animum exornent virtutibus moralibus &c. T. 3.* Tum litteræ Sinenſes à Nicolao Trigautio ſcriptæ, ad eundem Claudium Aquavivam, ann. cIↃ IↃcx. *Duo potiſſimum hanc legi noſtræ in hoc regno conciliant auctoritatem: alterum eſt opinio virtutis, quam Sinæ acutiſſime internoſcunt & altiſſimè ſuſpiciunt; alterum, quod hac Magiſtratuum conſuetudine nunquam ad quæſtum, Sinenſium more, abutamur. Hæ, inquam, duæ res palatia nobis Primatum Sinenſium aperiunt. Et, ut hoc obiter dicam, tametſi ſcientiarum Europæarum fama prima fere ſit eorum eſca, qui noſtrorum familiaritatem expetunt; tamen ubi cum noſtris agere cœperunt, ultrò à litterarum ad virtutis æſtimationem tranſeunt.* De Japonibus Xaverius, in epiſt. ann. cIↃ IↃ xlix. *Aleam, luſuſque omnino refugiunt, quod nihil homine indignius putent, quam rebus iis vacare, quæ animum alieni appetentem ac rapacem efficiant. --- Litteras norunt plerique, quo etiam facilius Chriſtianis ritibus imbuuntur. Unica ſinguli ſunt uxore contenti. Ad omnem honeſtatem atque humanitatem ſunt valde propenſi natura, diſcendique percupidi. Sermones qui de Deo habentur (præſertim cum probe, quæ dicuntur, intelligunt) audiunt lubentiſſime. A furtis verò tam averſum nec de Chriſtianis, nec de Barbaris populum quemquam videre me memini.*

Audiant iſta Chriſtiani qui ubique terrarum degunt, & apud nos quoque, præſertim verò qui apud infideles, ne minus probi ſint, quam illi,

vel

Digitized by Google

vel ab iis arguantur, quibus non paria facere debebant, ſed anteire & prælucere. Tantum vita, & vitæ exemplum poteſt, ubi agitur de aliis inſtituendis, & ad frugem reducendis; atque ad æternam animarum ſalutem.

Præſertim verò videndum, ut ab *avaritiâ* immunes ſint, quotquot eò, & ad tale negotium mittuntur. Hæc enim non tantum à propoſito hominem magnâ vi & impetu avertit, neque ſinit aliud agere, non tam ſanctum & arduum opus, quod uti à vitiis aliis, ita & ab hoc profitetur animum avellere ad altiora; ſed neque hominem permittit ſibi, quin alium prorſus facit, ſtatu ſuo prorſus indignum. Omitto in quæ infanda ſcelera, quas crudelitates, & genus omne nequitiarum, non inducat, ſed cogat, & propellat animum una habendi cupiditas, & auri ſacra fames. *Radix enim omnium malorum eſt avaritia*, 1. Tim. 6. 10. Quare ab hoc vitio imprimis puros eſſe oportet omnes, qui in Indias, earumque loca ditiſſima mittuntur, ſed unice ad lucrifaciendas animas Chriſto. Acoſta, lib. 5. cap. 22. *neque enim, quod dicere ſæpe ſoleo, illuſtriora miracula ad Euangelii commendationem Indis adhiberi poſſunt, quam ut neque avaritiæ occaſione, neque libidinis ſiniſtro rumore, doctrina Miniſtri Euangelici decoloretur.* Quare lib. 2. cap. 1. peſſimam fidei propagandæ ac nutriendæ novercam appellat, cupiditatem. Rovenius, de Miſſionibus, part. 3. *Curent quoque qui mittuntur, vel maxime abſtinere ab omni avaritia; nam ut recte dicere ſolebat Beatus Philippus Nerius; qui vult fructum facere in animâ, contineat manus ſuas à burſâ.* Ad quod inter alia & hoc movere debet, quod obſervatum pluribus, bona Indorum male parta rarò auctorem ſuum longe beaſſe, vel ejus hæredes. Acoſta, lib. 2. cap. 1. *Mirabile dictu eſt, quam cito multorum opes effugerint, atque evanuerint, ut ad nepotes ex tantâ re vix aliquid pervenerit, occulto Dei judicio, ſed manifeſto adeo effectu, ut eas omnes copias præſtigias putare homines poſſint.* Et Brulius, in hiſtoriâ Peruanâ, ubi de cæde Ataguālpæ, ſive Atabalibæ, & prædatione theſaurorum ejus immenſorum, *ut ex omnibus, qui Camajamalcenſibus ſpoliis divites beatique videbantur, vix quinque aut ſex familiæ cum æſtimatione ſuperſint, cæteris aut calamitoſe extinctis aut miſeris.* Denique ab ipſis Gentilibus addiſcere poſſunt Chriſtiani, & opum conſtantem contemtum, & quam longè felicius vivat qui plura non concupeſcit, quam qui habet ἀφιλάργυρον τὸν τρόπον, ut præſentibus & paucis ſimus contenti. Hebr. 13. 5. In epiſtolâ Xaverii, ann. cIↄ Iↄ XLIX. *Sanè à Japonenſibus probè diſcimus, quam pauca naturæ ſufficiant, etiamſi facile conqueratur, & difficulter admodum placetur. Eſt præterea ſobrietas hic in tanta pre-*

pretio, ut tametſi Bonzii (qui plurimi ſunt) ſcelerate vivant, idque nullus neſciat, in bonore tamen ſint & magni fiant, ipſiſque obtemperetur, abſtinentiæ tantum nomine: nunquam enim carnibus aut piſcibus veſcuntur, ſed herbis ac fructibus ſolis, & oriza, idque ſemel in die tantum, & ad menſuram, nec eo qui ex oriza fit potu utuntur. Id poteſt apud Barbaros etiam vitæ aliquod exemplum, & ſaltem opinio virtutis, præſertim temperantiæ.

Neque ab iſtis tantum vitiis eſt ut ſe caveant Miſſionarii, ſed quoque ab ambitione, & cupidine regnandi, ne ſe rebus intrudant *politicis*, & quæ regimen concernunt externum, quæ ad ipſos non ſpectant, neque ſunt fori ſui, qui in negotiis & rebus ſpiritualibus quo ſe exerceant habent ſatis. Magnam verò invidiam creant ſibi, & miniſterio, quotquot intempeſtivâ πολυπραγμοσύνῃ involant in aliena, & dominis dominari ſe debere putant, ſcilicet ne videantur regi magis, quam regere. Unde in opinionem adducuntur Politici, vel quod omnes miniſtri tales ſint, aut ſaltem eſſe velint, & à miniſterio id veniat, quod minus ſunt ſubjecti nonnulli vel morigeri, & pacifici; atque hinc in ſanctum miniſterium, & innocuos alios, qui tamen non alia curant quam ſua, & ſpiritualia Chriſti, odium ſuum exonerant. Rovenius, de Miſſionibus, part. v. *Et quia monet Apoſtolus, ut nemo militans Deo, ſe implicet negotiis ſecularibus, nullo pacto ſe immiſceant negotiis publicis, vel ſtatum Reipublicæ, vel regimen Patriæ concernentibus quoad temporalia, ſed quæ ſalutem animarum ac Dei cultum concernunt accuratius pertractent.*

Uti ergo ab omni vitæ *ſcandalo* & crimine, præſertim ab *opum*, & *regendi* cupiditate oportet eſſe alieniſſimum, qui Indorum converſioni daturus eſt operam; ita quoque ab omni *crudelitate*, quæ miniſtra ſolet eſſe utriuſque. His enim ex cauſis ad immanes ſævitias & ferinas ac Diabolicas atrocitates Hiſpani devenerunt, quas & exercuerunt in partibus Americanis. Quapropter neque *bello* cenſeo adoriundos miſeros homines, qui nullam belli præbent cauſam, neque armis propterea oppugnandi ſunt, quod nondum credunt. *Quos ſi per vim & potentiam Chriſto ſubjicere pergas, nihil aliud agas, quam ut à lege Chriſti alieniſſimos reddas*, inquit Acoſta, in Proœmio. & alibi idem, *ipſa fidei primordia ex multâ nocendi licentia non mediocre damnum accepere*. Vide eum, eleganter de hoc diſſerentem, lib. 1. cap. 3. Porro quæſtionem in terminis proponit & tractat, lib. 2. cap. 2. an charitatis Chriſtianæ ſit, Barbaros bello domare, ut debellati *fidei propagationem* recipiant? quod quum recte negaſſet, neque enim illis armis Chriſtus voluit Euangelium ſuum deferri per orbem & annunciari; neque facienda

Ff mala

mala ſunt, ut eveniant bona, vel injuſta bella ſuſcipienda, *etiamſi certam ſalutem vel dimidio orbis allatura videantur*: egregium adfert ſimile & argumentum ex Auguſtino, nolente ut alicui in poteſtate impiorum conſtituto, & petenti etiam, baptiſmus conferatur, ſi ad eum pervenire non poſſis, niſi deceptis primùm mendacio cuſtodibus, ſed clauſum reputari debere oſtium, ubi ad ſubveniendum animi æternæ ſaluti ſolùm per mendacium patet aditus: quò magis reſpondendum, oſtium fidei ferro injuſto aperiendum non eſſe, quin clauſum potius exiſtimari tunc debere. Quæ ut ſimiliter applicentur, cupimus, ubi per injuſtum bellum putant ſibi domandam hæreſim noſtram Pontificii alii, & Jeſuitæ; nam & Jeſuita fuit ille Acoſta.

Progrediens ultra, & hanc format quæſtionem: an juſti belli cauſa in Barbaros ſit ipſa *infidelitas*, quod Euangelium repudiant? & reſpondet ſimiliter, quod juſta cauſa non eſt quoque infidelitas, quæ ſolum Deum habet judicem & ultorem: & ad ſuos, ſi non receperunt vos, inquit Chriſtus, exeuntes excutite pulverem pedum veſtrorum in illos: non dixit, ſtringite gladios, jacula evibrate. Quomodo verò jacula aut gladium intentare præciperet, qui etiam virgam & baculum illis abſtulit? & non ſolum inermes ad prædicandum miſit, ſed ſeminudos, ſine pera, & argento? Neque enim inquit, ecce vos mitto lupos inter oves, ſed oves inter lupos. Ideoque concludit Acoſta, *ſive ergo infideles ſint, & Chriſtum ignorent, ſive annunciatum etiam rejiciant, nobis in illos belli decernendi jus nullum eſt, nulla honeſta cauſa.* Quod etiam authoritate Thomæ confirmat, & aliorum.

Sed ulterius quærit, nam variè de his diſputatum ſemper fuit: an, ſepoſitâ causâ fidei, ob id poſſint Barbari debellari, quod *crimina* multa, eaque atrocia forte perpetrant contra jus naturæ? utrum poſſint cogi, ut ab idololatriâ abſtineant, à nefariis ſacris, collocutionibus cum Diabolo, â concubitu maſculorum, ab inceſtuosâ pollutione ſororum & matrum, & aliis id genus flagitiis? ubi primum eorum rejicit ſententiam, qui jus illud penes Eccleſiam, vel Eccleſiæ caput, *Pontificem Rom.* eſſe ſtatuerunt, plectendi immania Gentilium flagitia; & Apoſtoli voce damnari eos aſſerit, qui, cum de inceſtu inter Corinthios plectendo ageretur, dixit, ea quæ foris ſunt, ſeu Paganos ſpectant, ad ipſos non pertinere: deinde illorum proponit ſententiam, qui id juris *naturalis* eſſe exiſtimarunt, & proinde ad ſingulos pertinere, ut quorumcunque ſcelera contra naturam admiſſa coërceant & vindicent. Quibus etiam non accedit, quia utcunque ſatis juſtum ſit, tales puniri, requiritur etiam ut id juſte fiat, id eſt, ab iis qui in illos habent jus & po-

Digitized by Google

& poteſtatem, alioqui brevi omnia turbis, cædibus, & rapinis fore implenda. *Sapientes omnes & noſtri & externi eam ſolam cauſam bello aggrediendo æquam & juſtam ſtatuerunt, ad reſarcienda damna, & injurias vindicandas, vel ſuas, vel ſuorum, id eſt, civium, aut ſociorum, aut eorum etiam, qui iniquè læſi ipſorum opem imploraſſent. Præter hanc cauſam acceptæ injuriæ aut violati juris gentium, nullam noſtri majores juſtam agnoverunt, neque gloriæ quærendæ, neque cumulandarum opum, neque amplificandi dominatus, neque verò religionis propagandæ.* Vide Acoſtam, c. 4. 5. 6. & 7. Adeoque improbat illas belli Indici cauſas, ut neque in defenſione innocentium, qui innumeri miſerandum in modum trucidati, veras collocari velit. Quamvis enim natura quidem dictet, tales protegendos, & injuriæ eximendos eſſe, tamen id bello fieri debere non æque probat, nedum vaſtationibus, quæ bellum comitari aut ſequi ſolent. *Cum enim defenſio iſta cum minimo lædentis damno adhibenda eſt, unde neque dominio ſpoliari barbari poſſunt aut vita, ſi poſſunt terrore aut ſubjectione aliqua contineri, tum verò nullius eſt rationis eos velle defendere, quorum graviorem perpetres cædem. Conſtat verò copioſiſſime, bello Indico plures infinitis partibus abſumi, quam ulla Barbarorum tyrannide.*

Ejuſmodi ſententiæ inter Pontificios ſunt & alii, quod ad bellum Hiſpanorum in Indos, & ejus jure. Franciſcus à Victoria, in Relectionibus Theologicis, quintâ, *de Indis*, primò tractat quæſtionem, an Barbari, ante adventum Hiſpanorum, fuerint veri *domini* rerum ſuarum, & poſſeſſionum? reſpondetque, quod ita, & quod illis dominium non poſſit vel negari, vel auferri ideo quod ſunt peccatores, vel infideles, vel amentes aut inſenſati, quia non omnino carent ratione. Quodque *nec à Saracenis, nec à Judæis, vel aliis infidelibus, licet capere res, quas poßident, per ſe loquendo, id eſt, quia infideles ſunt, ſed eſt furtum, vel rapina, non minus, quam à Chriſtianis.* Imo, inquit, neque ab hæreticis. Etiam ſecundum Cajetanum, 2. 2. qu. 66. art. 8. Tum titulos perſequitur, qui non juſtè prætenduntur, quibus Barbari dicantur veniſſe in poteſtatem & ditionem Hiſpanorum, ut quod *Imperator* ſit dominus mundi; vel, quod *Pontifex* eſt monarcha etiam temporalis in toto orbe, ac propterea potuerit conſtituere Hiſpaniarum reges principes Barbarorum, quod tamen factum agnoſcit; *patet*, inquit, *quod Hiſpani cum primum navigaverunt ad terras Barbarorum, nullum jus ſecum afferebant occupandi provincias illorum.* Sed neque tertium probat titulum, occupandi illas terras, ex jure *inventionis*, per Columbum; vel, quia noluerunt recipere *fidem* Chriſti; vel, propter ipſorum *peccata*, contra legem naturæ; vel quia *elegerunt* ſibi Regem Hiſpa-

Digitized by Google

ſpaniæ in dominum, quando ipſis fuit oblatus; vel denique ex ſpeciali *dono Dei*, Hiſpanis conceſſo, ad illos, propter flagitia, perdendos: quæ rejicit omnia, ut falſos belli inferendi prætextus & cauſas. Quo facto, titulos oſtendit magis juſtos & legitimos, quorum primum facit naturalis *ſocietatis* & communicationis, quo Hiſpani habuerunt jus peregrinandi in illas provincias, & illic degendi, & negotiandi, ſine aliquo tamen nocumento Barbarorum; neque poſſunt, vel debent ab illis prohiberi, indigne autem prohibiti ſe tueri, *quantum fieri poterit cum minimo detrimento illorum*, *quia eſt bellum duntaxat defenſivum:* vel ſi nocere pergant & perdere, bello experiri concedit, & omnia belli jura in illos proſequi. Secundum titulum conſtituit, cauſam *religionis* Chriſtianæ propagandæ, & in hoc ſi Chriſtiani impediantur, vel converſi iniquè habeantur, defendi armis poſſe, atque juvari. Reliqua apud ipſum videantur.

Neque dubitamus nos, quin primò haud liceat Chriſtianis primis, inferre Barbaris bellum, ex quavis cauſa ſive religionis, ſive imperii provehendi, aut caſtigare illos propter peccata ſua, minus verò infidelitatem, ad nos prorſus non ſpectantes. Verùm ubi communia humanitatis, & quæ legis naturæ ac gentium ſunt, maximè ubi & Evangelium ad illos defertur, & miſeris vel invitis ingeruntur, non quidem nolentes cogi volo, minime autem bello, ſed ſi *male* habeant Chriſtianos, omni genere beneficiorum illos afficientes; quin & armis lædant, primùm *defendendos* quavis vi juſtâ, & ſi res ad graviora ſpectet atque bello laceſſant benemerentes Chriſtianos, bello etiam legitimo retundi, cum omni moderamine, poſſe cenſeo; ita ut ubique appareat, nec bellum velle nos, neque bello cædes intendere, aut rapinas, vel ad nos pertrahere injuſto modo vel regiones ipſorum, vel bona. Quare defenſivum tantùm bellum probamus hactenus, non offenſivum. Aliis armis, nempe officiis omnis generis & civilibus & religioſis occupandi ſunt; aliis protegendi, re ita ferente, etiam noſtri, armatâ quoque contra vim vi.

Primùm *docendi*, & inſtruendi ſunt de illis quæ tum juſta ſunt, tum ſalutaria, & vitam concernunt honeſtam atque religionem. Deinde doctores, à Magiſtratu Chriſtiano, omni ratione & vi ſunt *defendendi*, protegendi, juvandi. Jam hos, nil niſi bona, & bene agentes ſi lædant & cædant Barbari, armis etiam injuriam atque vim eorum reprimendam & coërcendam eſſe, omnino exiſtimamus. Et hoc ordine ad bellum devenitur, juſtum & neceſſarium: non ut primò illis bellum inferas, tum doctrinam, ſed vice verſa, doctrinam primùm, inde ſi neceſſe, etiam bellum. Nam hoc

Digitized by Google

hoc caſu, & *ſocietatem* lædunt humanam, ejuſque intercipiunt ſibi ſuiſque beneficia; & *injuriam* faciunt non innocentibus tantum, ſed benemerentibus, omni ratione vindicandam. Et certe omne bellum, ut juſtum ſit, oriri debet ex alterius injuſtitiâ, & tui defenſione neceſſariâ, adeoque prius eſſe defenſivum, quam offenſivum.

An verò, ſi alii, ſi Gentiles, nullam nobis inferant injuriam, interim graviſſime peccent in prima juris & naturæ præcepta, à nobis ſint puniendi, neutiquam verò nobis ſubditi, vel ad nos pertinentes, mihi non videtur certum affirmare, quamvis in eâ ſententiâ videam eſſe viros ſummos, vide Hugonem Grotium, *de jure belli & pacis*, *lib.* II. *cap.* XX. Nos verò pœnam irrogare cenſemus actum eſſe dominii & juriſdictionis, & ad eum pertinere qui ſit conſtitutus δικαστὴς vel in quem alii poteſtatem judicandi puniendique contulerint. At vero ſi ſimpliciter aliis in alios liceat pœnam exercere, propterea que & bellum indicere, quod graviſſime peccant, valde lata aperietur porta interpretandi ſcelera illa, quæ & qualia eſſe debeant, ad belli & pœnæ, extraneo inferendæ, juſtitiam, & nunquam non anſa captari poterit belligerandi. Sed hæc aliis relinquimus plenius diſcutienda. Quare ut revertamur ad id, quod diximus, nequaquam Indi bello aggrediendi, quia ſunt infideles, vel ad fidem cogendi armis aut vi. Etenim, quod ex Gregorio adfert Acoſta, *qui fidem aſperitatibus propagare volunt, ſuas magis quam Dei cauſas probantur attendere.* Vide & Marquardum de Suſannis, de Judæis & infidelibus, part. I. cap. XIV.

Porro requiritur ut ad convertendos Indos miſſus cum *virtutis* omnis ſtudio emineat, tum *charitate* imprimis erga homines, & *zelo* regni Chriſti. Hæc enim præcipua arma & ſubſidia ſunt, ad tantum opus agendum neceſſaria. Quorum vim & fructum non alio exemplo opulentius demonſtrare poſſum, quam Apoſtoli gentium, qui ut illis præcelluerit, arſeritque, ex omnibus epiſtolis videre eſt, dum monuit omnem hominem, & docuit omnem hominem, in omni ſapientia, & ſtitit omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu, uti loquitur Col. I. 28. 29. *ad quod laboro* κοπιῶ. ἀγωνιζόμενος κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει, inquit valde emphaticè.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo monſtratur modus & mediatà Doctoribus, ad converſionis opus promovendum, obſervanda, negativa & poſitiva.

JAm cum noſtro, quem formamus, Miſſionario, tendamus ad Indos Gentileſque, & quid ibi, ac quomodo, agere opus ſit, conſideremus. Ubi primùm occupabitur, in eximendis animo *præjudiciis*, quibus laborant vulgò Gentiles & occupantur adverſus doctrinam veritatis, & Chriſti diſciplinam. Quæ quum ſint varia, excutienda ſingula ſunt & refellenda imprimis: ſive quæ petunt ex *præſenti* ſuo ſtatu, ut in eo maneant; ſive à difficultate & incommodis *mutandi* religionem; ſive denique à *Chriſtianâ* religione aut profeſſione. Uti vulgò ex iſtis capitibus præjudicia duci ſolent.

Ac primò quidem commune omnium præjudicium, quod à *Majoribus* peti ſolet, & eorum religione πατροπαραδότῳ, Gentiles etiam tenet, ſatis difficulter ubique exſtirpandum. In hiſtoriâ Peruanâ Brulii, part. II. cap. IV. Dæmon Indo converturienti loquutus dicitur inter alia: *ingrate, itane cultu Solis, qui te, qui univerſum mundum produxit illuminatque, deſerto, pictum aliquem arboris truncum*, imaginem notat Pontificiam Crucifixi, *adorare paras? ubi eſt amor, quo Quacas tuas, quo tuos Maliquis & Majores proſequi ſueviſti? noſtrâ ope amicitiaque timebaris & honorabaris ab omnibus, abundans deliciis, vitam fortunaſque, quibus volebas, auferens, atque imperans legionibus agiliſſimorum & fortiſſimorum ſpirituum. Quis te, barbare, faſcinavit?* In Commentario Dieghi de Torres, de Rebus Peruanis, pag. 45. reſpondet Curàcha ſenex, *patrios noſtros mores deponere, capilloſque, ut alii faciunt, abradere nolumus.* Apud Lerium, in Hiſtoriâ Braſilienſi, cap. XVI. inquiunt Barbari: *poſtquam diuturno uſu his aſſuevimus, ſi nunc repente avitum morem exueremus, apud vicinas gentes ludibrio & deriſui eſſemus.* Lib. I. epiſtolarum, de reb. Japonicis, pag. 183. Petrus Alcaceva tres refert captiones, quibus Diabolus Japoniorum animos conſuevit fallere: primò, quod dicunt, quid fiat in altero ſeculo quis novit, quis ex eo unquam fuit reverſus? deinde leges Japoniorum traditas à viris ſanctis jactant tanto nunc tempore perduraſſe: tertiò, legem verò Chriſti feram eſſe, neque ante ter mille annos latam.

Idque ab omni ævo Gentiles tenuit, quotieſcunque melior doctrina illis

Digitized by Google

illis allata fuit, ut Majores cauſarentur, à quibus ea erant edocti, quæ mutare, adverſus obſervantiam & venerationem illis debitam fore, exiſtimabant. Apud Minutium Cæcilius: *quanto venerabilius ac melius antiſtites veritatis majorum excipere diſciplinam, religiones traditas colere, Deos, quos à parentibus imbutus es, timere?* Apud Prudentium, lib. II. Symmachus: *Suus cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Jam ſi longa ætas authoritatem religionibus faciat, ſervanda eſt tot ſeculis fides. Et ſequendi ſunt nobis parentes, qui feliciter ſecuti ſunt ſuos.* Unde lib. I. de Hercule,

Ut ſemel obſedit gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus. tener horruit hæres,
Et coluit quidquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarant atavi. puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit. & paulo poſt:
Ex atavis quondam male cœpta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta
Traxerunt longam corda inconſulta catenam,
Moſque tenebroſus vitioſa in ſæcula fluxit.

Lactantius, lib. II. cap. VII. *Hæ ſunt religiones, quas ſibi à majoribus ſuis traditas, pertinaciſſime tueri, ac defendere perſeverant: nec conſiderant quales ſint, ſed ex hoc probatas, atque veras eſſe confidunt, quòd eas veteres tradiderunt: tantaque eſt autoritas vetuſtatis, ut inquirere in eam, ſcelus eſſe dicatur. Itaque creditur ei paſſim, tamquam cognitæ veritati.* & cap. VIII. *Sed hoc eos fallit, quod Majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur.* & lib. V. cap. XX. *A quibus ſi perſuaſionis ejus rationem requiras, nullam poſſint reddere, ſed ad majorum judicia confugiant, quod illi ſapientes fuerint, illi probaverint: ſeque ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt.*

At verò uti alienis oculis videre non poſſumus, ita nec ſentire & ſtatuere de rebus imprimis religionis & Dei debemus fide vel autoritate *alienâ*. Sed & *errare* potuerunt Majores, æque ac nos, & alii. Denique ſi ſimpliciter ſequendi eſſent antiquiores, & premenda eorum veſtigia, nihil, non quidem mutari, ſed neque *corrigi* poſſet & emendari, quum tamen innumera in vitâ quotidianâ occurrant, quæ correctionem exigunt & admittunt. Unde Tertullianus, in Apolog. *Nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem & ſqualentem ſilvam le-*

Digitized by Google

gum novis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis? Nonne vaniſſimas Papias leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem, heri Severus conſtantiſſimus principum excluſit? & ſic porro. Auguſtinus lib. II. contra Gentes: *Itaque cum nobis intenditis averſionem ex religione priorum, cauſam convenit ut inſpiciatis, non factum: nec quid reliquerimus, opponere, ſed ſecuti quid ſimus, potiſſimum contueri. Nam ſi mutare ſententiam culpa eſt ulla, vel crimen: & à veteribus inſtitutis in alias res novas voluntateſque migrare, criminatio iſta & vos ſpectat, qui toties vitam conſuetudinemque mutaſtis: qui in mores alios, atque alios ritus priorum condemnatione tranſiſtis.* Et accuratè poſtea diſtinguit, dicens: *non ergo quod ſequimur, novum eſt, ſed nos ſero addidicimus, quidnam ſequi oporteat, & colere.* Dixerat: *Religionis autem auctoritas non eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere qua die, ſed quî cœperis, convenit intueri.*

Neque difficile eſt reſpondere ſimiliter ad quævis alia præjudicia, quæ vel ex humilitate *Chriſti* petunt, vel *Chriſtianorum*, aut ab incommodis *mutandæ* vitæ Ethnicæ cum Chriſtianâ. Quæ eadem adverſus Judæos olim excuſſimus. Ne dicam, quod magnum ſcandalum, & ex ſcandalo præjudicium Gentilibus præbent mali Chriſtianorum, præcipue eorum, qui ad convertendos ipſos mittuntur, *mores*. Acoſta, lib. II. cap. XVIII. *E noſtris quidem, ſolent plurimum Indorum veram converſionem retardare peſſimi exempli mores.* Adde eundem lib. IV. cap. II. XII. XV. XVII. Sic & Tartaros olim, pronos quidem ad recipiendam Chriſti doctrinam, & hac de re jam agentes cum Galliarum Rege Ludovico IX. dejecit à propoſito mala Chriſtianorum vita, cum profeſſione ſuâ minime congruens. Quod in vitâ illius Regis narrat Joh. de Serres, ad an. 1257. Annon nefandum, quod ſcribit Thomas Gage, Anglus, in Detectione Occidentalis Indiæ, cap. 3. ſibi pro certo eſſe exploratum, ex triginta vel quadraginta miſſionariis Monachis, tres eorum patres eſſe deſidioſos & nequam, jam ante ſcandali notatos & vitæ profligatæ? Atque utinam hic tantum culpandi eſſent ſectarum aliarum homines, & Monachi!

Jam & aliud ex diſſolutis Cleri moribus oritur malum, priori etiam gravius, quo plures inficit, prout facilis eſt tranſitus à vitâ ad doctrinam, ſive malâ, ſive bonâ, utrobique ad ſui ſimilem: & ſemper ferè ad actiones ſuas componunt homines doctrinam, ut quando à doctrinâ ſanâ actiones ipſorum nimis palam diſcrepant, ut laxam valde & εὐρύχωρον vivendi viam, quam ſectantur, *doceant* etiam, & laxiores ubique forment regulas ac diſci-

ſci-

ſciplinam. Quando non tantùm *unum præceptorum minimorum*, ſed & plura maximorum ſolvunt, & ad placitum hominum carnalium doctrinam inflectunt, magis, quod execratus Chriſtus fuit, quodque pſeudoprophetis adſcribit, affectantes, ut bene de ſe loquantur omnes homines, quam puritatem fidei & bonæ conſcientiæ.

Contrarium quoque Rovenius commendat ſuis Miſſionariis, part. III. in hæc verba: *non ſtudeant placere hominibus ſequendo laxiores ſententias, ſequantur potius tutiores, & paulatim majorem invenient apud omnes auctoritatem, ut in Anglia ſuos expertos fuiſſe teſtatur Cardinalis Alanus, & in Hollandiâ ſacerdotes paſſim experiuntur, quod quo plus hominibus indulgetur, relaxando rigorem Eccleſiæ circa jejunia, feſta, & ſimilia quæ ad domandam carnem conducunt, deteriores evadunt.* Intelligamus nos ea quæ verè carnem domant, miſſis inſtitutis vel ſuperſtitionibus Papalibus. & part. V. *non perſuadeat ſibi, ſe indulgentia & conniventia cum hæreticis, vel frigidis catholicis aliquid effecturum, vel ſi laxiores ſententias ſequatur, & diſciplinam Eccleſiæ ipſis relaxet: experientia enim oſtendit, quod exacte diſciplinam Eccleſiæ, & antiquas Patrum conſuetudines, ſacroſque canones ſequendo plus apud illos vincimus, & plures ex animo converſos, & ſinceriores Catholicos cum exactæ diſciplinæ, jejuniorum, mortificationum, aliorumque carni minus placentium obſervantia, quam nimia condeſcenſione & relaxatione, quæ in principio quidem arridet, ſed paulatim etiam ipſos indulgentes viliores reddit.*

Porro inter ea quæ cavenda Miniſtris Evangelii in primo ad Infideles acceſſu & inſtitutione ſunt, hoc etiam colloco, ne *Diſputationibus*, & ſubtilitatibus nimium teneras aures obtundant, quæ ſæpe etiam parum conducunt provectioribus. Inſtituant eos in primis & confeſſis Chriſtianiſmi capitibus, & quæſtiones prudenter vitent ac diſſimulent, ut poſſunt, vel quæſtiones cum Gentilibus quæ ſunt, tractent potius, quam quæ agitantur cum Chriſtianis, & ſimpliciora urgenda quam ſubtiliora. In epiſtolis Indicis, Xaverius, an. 1544. *rationes autem quæ populo huic illiterato, rerumque omnium ignaro dantur, non tam exquiſitæ eſſe debent, quam ſunt, quas ad amuſſim doctores ſcholaſtici tradiderunt.* & Thomas à Jeſu, de Converſ. omnium gentium, lib. IV. cap. VII. *imprimis rem hanc potius privatis colloquiis, placidâ inſtitutione, ac præcipue oratione ad Deum cum morum puritate ac vitæ exemplo conjuncta perficiendam, vel ipſæ in Eccleſiâ geſtæ teſtantur: quibus compertum eſt eos, qui ab hæreticis ad Catholicam fidem ac religionem aliquando convertuntur, potius ex ſpiritus ſancti tacito inſtinctu, & manſueta Catholicorum inſtitutione, quam argutis Diſputationibus excitari*

Digitized by Google

tari ac promoveri. Quod confirmat hiſtoriâ tum Spiridionis, viri ſimplicis & ſenis, in Concilio Nicæno, cum ſuperbo & acutiſſimo Philoſopho congredientis, eumque convincentis; & Alexandri Conſtantinopolitani, ſimili efficaciâ ſimplicitatis Philoſophos confutantis. Quorum exempla ſatis ſunt nota.

Jam ad ea progredimur, quæ apud Indos omnino adhibenda ſunt ei, qui cum fructu illorum converſionem curaturus ſit, ſive ad affirmativa, & *poſitiva* media, poſtquam de negativis diximus, quæ ſummopere cavenda judicavimus. Ubi primo quidem loco venit cognitio *linguæ* iſtius, quâ cum illis loqui & agere poſſimus. Quod ante omnia curandum. Acoſta, lib. IV. cap. VI. *mihi attentè ſæpe diuque de ſalute Indorum procurandâ cogitanti nihil commodius, nihil certius venire ſolet in mentem, quam ut homines probati, atque integri, ſermonis Indici curam ſuſciperent, familiariſſimam conſuetudinem haberent, copiamque ad dicendum ſibi pararent cum arte, tum exercitatione diuturna.* Ideo Chriſtus Apoſtolos ſuos ituros in mundum primò inſtruxit notitiâ linguarum admiranda, effuſo in illos copioſe admodum Spiritu ſancto; quod nunc labore parari debet & induſtriâ.

Linguæ addiſcendæ ſunt, vel Indis *propriæ*; vel illorum aliquibus ſaltem *intellectæ*, quales ſunt Hiſpanica, & Luſitanica. Propriæ aliæ ſunt *communiores* multis regionibus & populis; aliæ ſingulis *peculiares*: & harum magnus oppidò in Oriente, & in Occidente eſt numerus.

Sed imprimis oportet noſſe communiores, qualis in Orientali Indiâ eſt *Malaica*, vulgariſſimi uſus, uti fere apud Europæos eſt Gallica: ad quam percipiendam edita nunc ſunt Grammatica, Colloquia, Dictionaria, Catechiſmi, & ſimiles libri alii.

Ad linguam Sinenſem intelligendam multum contulit Jeſuita Riccius, cum aliis libris, quorum in epiſtolis fit mentio, tum Calepino Europæo Sinico, præter ea quæ in Atlante Sinico, Martinii, & Appendice Golii, huc facientia occurrunt.

Linguæ Japanicæ Grammaticam ſcripſit, & Lexicon, Jeſuita Ferdinandus, miſſionibus Japanicis celebris. Atque poſt epiſtolas Japanicas libro quinto ſpecimen exhibetur litterarum & vocum Japanicarum ex diplomate Regis Dungi.

In Occidente Americâ, lingua Varaquiana omnium latiſſima eſt, & obtinet in Paraquay & Braſiliâ, quam Jucatani intelligunt, & Magellanici.

Apud Lerium, *cap.* 20. Colloquium legere eſt inter indigenas Tovou-

pi-

pinambaultios, Braſilicè ac Latinè conſcriptum, aliaque ad linguæ iſtius notitiam facientia. In Ingarum imperio Peru lingua generalis à rege Guainacapâ introducta viget, quam appellant Quicham, neque illa admodum ardua: ejuſque rationem explicuit in hiſtoriâ ſuâ, ultimus Ingarum Garcilaſſo.

In ſuperioribus provinciis lingua obtinet, quæ vocatur Aimara, neque ipſa valde difficilis, vel à priori multùm abhorrens. Jam & Grammatica linguæ Aimara Romæ excuſa, curâ Dieghi de Torres, cujus extat *de rebus Peruanis* Commentariolus. Apud Latium, *de Orig. Gentium Americanarum* varia leguntur de linguâ Huronum, ex Dictionario Gabrielis Sagardi, & de linguâ Mexicanorum, & Maquaaſiorum, qui in ea parte Americæ degunt, quæ à noſtris Novum Belgium appellatur, & aliorum.

Thomas Gage, in fine hiſtoriæ ſuæ Grammaticam exhibet linguæ Poconchi, ſive Pocoman, uſitatæ circa partes Guatamalæ, & vicinas.

Denique Jeſuita Petrus Pelleprat, in Relatione Gallicâ, de Miſſionibus Jeſuitarum, in Americam meridionalem, iſtorum hominum linguam expoſuit, editâ ad eam *introductione*, a. cIↃ IↃcLV.

Linguæ autem illæ, quas noſſe Miſſionarius debet, vel diſcuntur *hic*, vel in *Indiâ*, primis, ubi advenerit, annis. Melius autem cenſeo, ut ſi non tota hic perfectè, Rudimenta ſaltem ejus ponat ante profectionem, ad lucrandum tempus. Quod & conſilium eſt Walæi, *ut uno aut altero ante diſceſſum anno, in linguâ illis regionibus uſitatiſſimâ nonnihil inſtruantur. In quem finem diſpiciendus erit vir aliquis probus, linguæ illius peritus, qui ex illis partibus ad nos rediit. Alioquin enim tempus reditus eorum ad nos ſæpe appropinquat, priusquam linguæ apud Indos uſitatæ peritiam habeant: unde inter regionum earum indigenas minorì cum fructu verſari poſſunt.*

In Orientali Indiâ, in Gymnaſio Goënſi habent Jeſuitæ ſingulares Profeſſores & Doctores linguæ Indicæ, pro Miſſionariis. In Occidentali Dominicani, inviolabili ſtatuto obſervant, ut venientes eò Hiſpani totum primum annum impendant ſoli ſtudio addiſcendi ſermonis. Vide Acoſtam, *lib*. 4. *cap*. 6. & ſeq. de peritiâ linguæ Indicæ neceſſariâ. Unde in Concilio Limenſi, in Americâ, ſtatuerunt, confirmato à Sixto v. act. 2. cap. 4. quod refert Thomas à Jeſu, lib. 11. cap. 3. *quamobrem ita quiſque inſtruendus eſt, ut intelligat Hiſpanus Hiſpanice, Indus Indice; alioqui quantumvis bene dicat, tamen verbum illius, juxta Apoſtoli ſententiam, ſine fructu eſt. Quocirca nullus Indorum de cætero compellatur orationes, ſive Catecheſim latine diſcere, cum ſufficiat, multoque melius ſit, ſuo idiomate pronunciare, aut ſi qui ipſorum*

Digitized by Google

rum velint, poſſunt etiam Hiſpanicum, quo multi nunc utuntur, adjungere. Præter hæc aliam aliquam linguam ab Indis exigere ſuperfluum eſt. Hactenus Concilium, cujus memores uti ſint Pontificii alibi etiam, ubi linguæ peregrinæ uſum in ſacris urgent, rogamus. Neque dubium, quin illud notetur, quod quoque reprehendit Jeſuita Acoſta, lib. 4. cap. 3. *recitatur bis terve in hebdomada ſymbolum, idque Hiſpanico idiomate, cæteræque orationes eodem modo: jubentur deinde Hiſpanica iſthæc ediſcere, ac memoriter recitare, quorum ne ſyllabam quidem intelligunt, & pronunciant ridicule. Vulgaris ac tritus doctrinæ tradendæ iſte eſt modus.*

Jam ad quid linguæ Indicæ cognitio, niſi primum ad *Conciones* apud ipſos linguâ ſuâ habendas, ut eas intelligant & amplectantur? Ubi neceſſe, uti concio non modo ad captum auditorum, qui ſunt vel infideles, vel rudes, inſtituatur, ac proinde *ſimplex* ſit; ſed pietatem ubique ſpiret & inculcet, ac propterea & *ſancta* ſit; nuſquam non *vera*: & *prudens* concionator ea tractabit, quæ tempori & loco conveniunt, neque *infrequenter*, ut tempeſtive & non tempeſtive inſtet, ea docendo quæ animos movere poſſint & convertere ab infidelitate, & malâ vitâ, ad fidem & ſanctimoniam. In epiſtolâ Ormutinâ, ſive Ormutio in Perſiâ ſcriptâ a. cIↃ IↃ LI. Gaſparus Jeſuita: *Dominicis, reliquiſque feſtis diebus tres à quodam noſtræ Societatis conciones habentur, una mane ad populum in maximo templo: altera pomeridiano tempore ad ſervitia*, ſive mancipia, *ad quam audiendam etiam frequens populus convenit: tertia in publico valetudinario ad ægros.*

Tum ad *repetendas* domi conciones non ſine magno fructu populus monetur. In Epiſtolâ Japanicâ Balthaſaris Gagi, a. cIↃ IↃ LIX. *Bongiani Chriſtiani in more poſitum habent, Dominicis diebus nunc in unam domum, nunc in alteram, prout forte contigerit, convenire, ut de rebus ſpiritualibus inter ſe colloquantur, ubi congregati ſunt, è domo noſtra fratrem evocant, qui concionem illius diei illis in memoriam revocet.* Atque in alterâ, ſcriptâ à Johanne Fernando, ann. cIↃ IↃ LXI. *veſperi iiſdem Dominicis diebus, & feſtis, privatim conveniunt, triaque in quibus potiſſimum ſeſe exerceant, diligunt: primum, ut ſummam Chriſtianæ doctrinæ auditam in memoriam revocent, quo ſane multum proficiunt.* Eſtque exercitium hoc nullis non commendandum & uſurpandum, ad faciendos dignos & copioſos ex concione auditâ fructus, apud infideles non modò, ſed quoque Chriſtianos.

Denique & uſum ſuum habet non contemnendum, quod Concionatores aliquando *locum mutant*, & qui hic magno cum fructu docuerunt, etiam alibi locorum adhibeantur, tum ut faſtidium vitetur, in quod longiori con-

conſuetudine facile incurritur apud quoſvis, tum ut majori cum fœnore in alios ſubinde agros inſeratur idem doctrinæ ſacræ ſeminium. Quod è re Eccleſiæ eſt, etiam alibi obſervari, præterquam in locis infidelium. Thomas à Jeſu, lib. 4. cap. 11. *At id quidem Miniſtris non difficile, infidelibus autem percommodum foret, ut in miſſionibus loca ſubinde mutentur, doctrina verò eadem ubique repetenda ſit, ut parvulis lac Euangelii præbeatur.*

Concionibus proximè ſuccedunt & ſuccenturiantur, quibus & multùm auxiliantur, juniorum *Catechizationes*, quibus adoleſcentes, vel cujuſcunque ſint ætatis rudiores in primis fidei elementis familiaria lloquio & tractatione inſtruuntur, cujus uſus in omni Eccleſiâ, & Judaicâ, & Chriſtianâ perpetuus atque admodum laudabilis ſemper fuit, uti in ſingulari hoc Tractatu pridem oſtendimus. Atque etiam oſtendit hoc anno, in Diſputatione *de Theologia Catechetica*, ex Deut. 6. v. 6. 7. 8. 9. Joh. Hottingerus. Jam & ad infideles convertendos aptior, quò eſt familiarior & accommodatior ad quorumvis captum agendi ratio. Quam uti in Europâ à Reformatis didicerunt Pontificii, & hinc uſurparunt, ita eâdem æmulatione, docti cujus neceſſitatis & fructus ſit, haud ſegniter adhibuerunt in utraque Indiâ apud Infideles. Unde in eorum epiſtolis frequentiſſima hujus commemoratio, & laudationes perpetuæ. Præivit exemplo Vetus Eccleſia Chriſtiana, quæ hoc medio Gentiles adduxit & paravit fidei ac baptiſmo, præ cæteris Auguſtinus epiſcopus, in aureo tractatu, *de Catechizandis rudibus*; & ante eum, Cyrillus, Jeroſolymitanus Archiepiſcopus, in ſuis, quas ſcripſit κατηχήσεις. Hinc veterum gloriatio, ad Gentiles ipſos: *doceant iſti hoc modo, ſiqua illis fiducia veritatis eſt, loquantur, hiſcant, audeant inquam diſputare nobiſcum aliquid ejuſmodi; jam profectò ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris noſtratibus error illorum, ac ſtultitia irridebitur*, verba ſunt Lactantii, lib. 5. cap. 20. Quin & ipſi Gentilium ſacerdotes idem æmulati poſtea fuerunt apud ſuos. Jodocus Schoutenius, de religione Siamenſium, *præcipui ritus & cerimoniæ, quibus cultum Diis ſuis præſtant, ſunt, conciones, catechiſmi, cantilenæ horis matutinis & veſpertinis.* Hoc nomine præſertim commendant Pontificii Xaverium, de quo in Commentario rerum Indicarum, Emmanuel Acoſta, *ad ſextam ferme horam diei verſatus in opere, quamquam ſumma corporis defatigatione, nullum tamen intermittebat diem, quin aliquid pueris è catechiſmo explicaret.* Vide & Joſephum Acoſtam, de procurandâ Indorum ſalute, lib. 4. cap. 21. & 22. *De fructu ex Catechizandis Indis ſperando.* In Epiſtolâ Ormutinâ, cujus & ſuprà fecimus mentionem, *quotidie pueri ad pietatem inſtruuntur.* De rebus Japonicis, epiſtolarum libro tertio, *quid enim ſi videatis pueros*

Digitized by Google

centum, ac puellas, bis quotidie Catechiſmi cauſa convenientes, qui paucis ante diebus dicati Diabolo fuerant, jam Chriſtianos templum ingredi? Certe ſedulò & frequenter huic exercitio incumbendum, ubi ſuus inde ſperatnr fructus. Imo hac tum cauſa Jeſuitarum inſtitutum primò approbatum fuit à P. Paulo III. ann. cIↃ IↃ XL. *quia pueros, & perſonas rudes ea quæ ad Chriſtianam hominis inſtitutionem ſunt neceſſaria docendo*, ſe cum pluribus jam annis exercuiſſent; tum conditione *& nominatim commendatam habeant inſtitutionem puerorum ac rudium in Chriſtianâ doctrina decem præceptorum, atque aliorum ſimilium rudimentorum, quæcunque ſecundum circumſtantias perſonarum, locorum ac temporum illis congrua videbuntur.* Et in confirmatione Inſtituti, à Julio III. ann. cIↃ IↃ. L. ad *puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem*, ſocietatem potiſſimum eſſe inſtitutam.

Atque illi quidem hactenus recte duplicem catechizandi rationem adhibendam cenſuerunt, unam *breviorem* & ſimpliciorem primis incipientibus, *prolixiorem* alteram provectioribus. Acoſta, lib. 5. cap. 14. *Hæc autem omnia ut Catechiſtæ doceant, & Indi percipiant, opus in primis eſt duplici quodam Catechiſmo, uno compendiario & brevi, quem memoriter etiam, ſi fieri poteſt, addiſcant, ubi ſumma ſit eorum omnium, quæ ad fidem, & mores homini Chriſtiano neceſſaria ſunt, altero uberiore, ubi eadem amplius dilucidiuſque dicantur, & copioſius confirmentur.* Alibi, lib. 4. cap. 3. reprehendit eos, qui Indorum in diſcendo accuſant tarditatem, quum ſi recte examinentur omnia, culpa in docentes potius conjicienda videretur. Atque id inprimis in tradendo catechiſmo uſu venit, ut à docentis dexteritate & ſolertiâ pendeat diſcipuli, ut apte reſpondere queat, promptitudo & profectus.

Neque prorſus improbo morem, quem in Papatu obſervari ſæpius vidi cum catechumenis, etiam apud infideles ab iis adhiberi litteræ ipſorum teſtantur, uti *præmiis* aliquibus alliciant excitentque àd diſcendum puerorum animos. In litteris Ludovici Frois, Goâ datis, an. cIↃ IↃ LX. *præmiolis etiam & munuſculis in hunc uſum excogitatis lactamus, & erigimus pueriles animos, eaque diligentioribus largimur.* In aliis Sebaſtiani Ferdinandi, Goâ ſcriptis, an. cIↃ IↃ LXIX. *Ad hæc Dominicis diebus veſpere decem è noſtris ad Cathechiſmum exercendum in quinque parœciarum hujus urbis templa ſe conferunt, quorum in ſingula conveniunt præter cæteram turbam pueri ducenti, trecenti, ac prope quadringenti, adeo ſtudioſe & alacriter, ut lubenti animo diſcendi cauſa luſus pueriles relinquant. Excitantur autem præmiis quibuſdam.* Quamvis quod de numero dicunt, dubito an pariter ſit admittendum.

Digitized by Google

dum. Vix enim fidem apud me reperit, quod Goâ item ſcripſit an. cIↄ Iↄ. LX. Emanuel Teiſcera, ex ſuo catecheterio biennii ſpatio ad baptiſmum promotos 16000 homines, exceptis fœminis, quibus in aliâ domo præficiunt *matronas*. Nam & earum operâ utuntur quoque in tradendâ catecheſi. In prioribus illis litteris Sebaſtiani Ferdinandi, *Catechumenis, qui quidem ſexus virilis, præeſt frater unus. Fœminæ ſeparatim, ac longius habitant, quarum eſt cura penes mulierem ex Æthiopiâ, ejus rei valde peritam: itaque ſuo munere tam ſcienter ac ſedulo fungitur, ut in ipſius diligentia prudentiaque noſtri magnopere conquieſcant.*

Sed quæ de incredibili numero baptizatorum literæ illorum Indicæ identidem narrant, cum judicio legenda. Henricus Henriquez, an. cIↄ Iↄ L. viginti millia ſcribit baptizata. Antonius Quadrus, an. cIↄ Iↄ LIX. primo Januarii, quinquaginta: vigeſimoquinto ejuſdem menſis, centum & viginti novem: vigeſimo ſeptimo Februarii, centum & triginta duo: ſecundo Aprilis, ducentos & quatuordecim: quarto Maji, centum & viginti: 28. Maji, baptizati dicuntur octoginta quinque: 29. Junii, centum nonaginta octo: 6. Auguſti, trecenti & quindecim; & ſic porro, jam trecentos unà baptizatos, jam centum & quinquaginta, quingentos & quadringentos, & quingentos commemorat. In Goënſi inſula, an. cIↄ Iↄ LVI. baptizatos ſcribit Ludovicus Frois, quadraginta duos; anno ſequente, octoginta; at an. cIↄ Iↄ LVIII. mille nongentos & ſedecim: an. cIↄ Iↄ LIX. tria millia, ducentos & ſexaginta: an. cIↄ Iↄ LX. duodecim millia ſeptingentos quadraginta duos. Johannes de Beyra, in litteris an. cIↄ Iↄ LIII. uno die ſupra quinque nonnunquam millia; atque unâ hebdomadâ ſupra quindecim millia ad baptiſmum admiſſos, refert. Et an. cIↄ Iↄ LX. hominum pluſquam viginti millia dicuntur converſa, in rerum Indicarum Commentario Emm. Acoſtæ. Martinus de Valentiâ, in epiſtolâ an. cIↄ Iↄ XXXI. ad Matthiam Weniſſe, de fratrum Minorum regularis obſervantiæ profectu in Nova Hiſpania, editâ cum Narrationibus Ferdinandi Corteſii, *ut verè loquar, non hyperbolice, pluſquam decies centena millia Indorum ſunt à filiis veſtris baptizata, quorum quiſque præſertim illi duodecim, qui miſſi ſunt una mecum à Reverendiſſimo Domino Cardinali S. crucis, patre noſtro fratre Franciſco de Angelis, cum eſſet miniſter generalis, pluſquam centum millia baptizavit.* Et in aliâ, quæ ſequitur, epiſtolâ, *per manus fratrum noſtrorum ordinis S. Franciſci de regulari obſervantiâ, baptizata ſunt pluſquam ducenta quinquaginta millia hominum.* Hæc optarim potius vera eſſe, quam ut credam, ſaltem ritè inſtructos primùm in Chriſti fide, &

tum

Digitized by Google

tum fuiſſe baptizatos, vel etiam eorum, ſi tales forte nacti fuerint parentes, ego non admitto, qui abunde ſatis ſcio, quam temere ac ſordide in hoc opere verſari ſoleant, & vel nil aliud doctos, quam crucem formare, aut geſtare, vel recitare aut *Pater noſter*, aut *Ave Maria*, dignari baptiſmo, denique plures etiam vi ac minis, aliave de cauſa cogere ad ſuſcipiendum baptiſmum. Quomodo millenos ad baptiſmum actos memorat Joh. Gage, *Hiſt. Americanæ, cap.* XX. Atque hoc niſi eſſet, quæſtionem in ſcholis non moverent, vel agitarent tanta contentione, utrum invitis liceat erogare baptiſmum? vel infidelium filiis, invitis parentibus? Vide Thomam, 2. 2. *quæſt.* X. *art.* III. & ejus commentatores. Scotum, *in* IV. *Diſt.* IV. *quæſt.* X. Azorium, *Tom.* I. *Inſtit. Moral. lib.* VIII. *cap.* XXV. Sed & aliud ſchema politicum ſubeſt illis narrationibus Indicis, de tanto baptizatorum ab iis numero: ut habeant nimirum hinc, quod objiciant defectioni aliorum in hiſce regionibus, ad hæreticos, uti loquuntur, ſive ad Reformatos. Quod vel titulus libri *Rerum à Societate Jeſu in Oriente geſtarum* ſtatim indicat, quando additur, quod in eo lectores *videre poſſunt, quomodo nunquam Deus Eccleſiam ſuam deſerat, & in locum deficientium à verâ fide, innumeros alios in abditiſſimis etiam regionibus ſubſtituat.* Ne dicam de nummis, quos ex promiſcua illa multitudine, ad Eccleſiam quaſi coacta, quotidie emungunt. Joh. Gage, Anglus in hiſtoria Indiæ Occidentalis, cap. XVIII. ſe præſentem fuiſſe ſcribit Epiſcopo Chiapenſi, Bernardino de Salazar, quando unius menſis ſpatio ex confirmatione puerorum lucratus fuit mille ſexcentos ducatos.

Sed revertamur ad Catechiſmum, ante omnia baptizandis infidelibus neceſſarium. Profecto magni uſus in Eccleſia, ad inſtruendos, & convertendos homines eſt catecheſis juniorum, qui ubi huc pervenerunt, ut non jam modo reſpondere ad interrogata poſſint, ſed & inter ſe mutuo προφητεύειν, alios etiam & majores vel parentes quoquo ſuo exemplo, ἄνευ λόγου, lucrifaciunt; & ſementem præbent, ex qua ſuo tempore Rectores & Paſtores Eccleſiæ lecti valde firmum reddunt ejus ſtatum atque florentem. Solent autem Neophyti, ex conſcientia novi luminis & gratiæ ipſis factæ, præ cæteris eſſe diligentes, ad idem beneficium, quod ipſis contigit, aliis etiam fervidè communicandum, & de ſuo igne plures accendendos. In epiſtola Japanica Petri Dalcenæ Jeſuitæ an. CIƆIƆLIV. *Sed ad novorum Chriſtianorum diligentiam & fervorem venio. Inter omnes unus eſt, qui præ cæteris tantum ad concionandum, Chriſtumque omnibus perſuadendum incenſus eſt, ut in eâ quâ habitat urbis parte, vix ulla familia reperiatur, quæ Chriſtianos*

Digitized by Google

nos non habeat: *ut omittam multos alios*, *quos etiam alibi ad ſuſcipiendam fidem induxit.* Certe ex talium ſeminario poſſet aliquando proſpici Eccleſiis Indicis, ut minus neceſſe haberent pendere ex ope & miſſionibus noſtrorum.

Deque illo exercitio Catechumenorum Arias Sanctius, in epiſtola, an. cIↄIↄLXXII. *ubi Deum rite precati ſunt*, *unus eorum ex Catechiſmo Japonicè ſcripto nonnulla recitat*, *de quibus deinde diſſerunt inter ſe.* Jam Alexander Vallignanus ſcripſit Catechiſmum ſermone Japonico. Brevem Catechiſmum Indico ſermone, & Anglico, in gratiam Coloniarum Anglicanarum in America, & iſthic loci infidelium ſcripſit an. cIↄIↄCLVIII. Abrahamus Peirſon. Atque Thomas à Ieſu, lib. XI. cap. IV. exhibet Catechiſmum ſeu Brevem Inſtructionem pro rudioribus Gentilibus ad Chriſti fidem converſis ex Indico tranſlatam, & à Synodo Novæ Granatæ approbatam, non ineptam, ſi nonnulla omittantur, quæ fruſtra inſerunt neque ad rem faciunt, de immaculata Virgine, de Pontifice Romano, & remedio Confeſſionis auricularis, atque mandatis Eccleſiæ.

Denique quo majus pretium catecheſibus concilient, etiam Miſſæ loco valere volunt, caſu neceſſitatis. In epiſtola Nicolai Nunnis, Ternate ſcripta, an. cIↄIↄLXIX. *Dominicis feſtiſque diebus ad Catechiſmum cuncti conveniunt*, *quæ res Miſſæ implet vicem ſacerdotum inopiâ.*

Iam quum tria doctrinâ noſtrâ intendamus, primùm ut *norint* auditores ea, quæ ſcire ipſorum intereſt; tum ut *faciant*, quæ omnibus Deus imperat; denique ad hoc & *precari* poſſint, ut divinam in omnibus opem & benedictionem adipiſcantur: multa pars operæ Evangeliſtæ eſt, docere bene precari Deum: non præſcribere ad globulos pronunciare *Pater noſter*, & *Ave Maria*, quæ præcipue inculcant Pontificii, & inde fere Chriſtianos æſtimant ubi illa fuerint aſſequuti, ſed vere & ex animo orare Deum, quomodo orari vult, in nomine Ieſu Chriſti. Modum docendi Gentiles hunc ſervant Papiſtæ, à quo ſi demas poſteriora, de cultu Mariano, nil adeo tolles, niſi addas nonnulla vel copioſius explices, de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo: *modus Gentiles docendi*, ſic ſcribitur in epiſtola Iaponica Iohannis Ferdinandi, *primum*, *quod ipſe Deus ſit*, *docemus* &c. pag. 225. T. I. *dum hæc aguntur*, *orationem Dominicam ediſcunt*, *ſalutationem Angelicam*, *Canticum veſpertinum B. Virginis*, *atque hoc pacto inſtructos demum baptizamus.*

De *cantionibus* quod obſervant, uti omnino ad noſtrorum exemplum, Pſalmos cantantium magno multorum bono & admiratione, hoc quoque

Digitized by Google

æmulati fuerunt Pontificii, ſic opera omnino danda, ut ſacræ cantiones diſcantur à quibuſvis, etiam Gentilibus, dum cantu aliquo paſſim delectantur homines & trahuntur, quo vanæ & ſpurcæ cantilenæ exulent, & opprimantur melioribus. Sed neque improbo, ut in cantionum formam redigantur *precationes* quotidianæ: quod apud Germanos familiare: non ut non aliter orent homines, ſed ut ſic etiam poſſint. Deinde ut & *Catechiſmus* metro recitari, cantarique poſſit, non dubito quin opus futurum eſſet non infructuoſum. Tentavimus id ante annos aliquot, Catechiſmo noſtro Heidelbergenſi ad melodiam Decalogi revocato, ſed avocarunt alia nos aliò, felicioribus ingeniis non admodum difficile opus commendantes. Acoſta, de Indorum ſalute, lib. v. cap. XXII. *pueri & rudiores ſimpliciter & memoriter catechiſmo imbuuntur, idque ſtatis diebus & horis partim canendo, partim recitando.* In memoratis jam aliquoties litteris Sebaſtiani Ferdinandi, *ſtatis præterea diebus magnâ alacritate conveniunt ad Chriſtianæ fidei ac diſciplinæ rudimenta publice decantanda.* & poſtea, *ut nullus eſſet urbis vicus, qui non Chriſtiani Catechiſmi vocibus perſonaret.*

Cæterum uti Chriſtiana diſciplina nec mores, nec artes & ſcientias vulgares deteſtatur, ſed ornat magis & perficit; ita quoque apud fideles illorum uſus magnas vires habet ad flectendos & alliciendos animos ad altiora. Familiaris & officioſa *converſatio* haud parum valere ſolet apud omnium animos. Maxime ubi gentiles vident non tantum quævis illis à nobis offerri officia, ſed in ipſorum gratiam tam longum & difficile iter ſuſcipi, tantummodò ut illos inſtruamus & doceamus optima quævis atque ſalutaria. Nos noſtra poſtponere & deſerere, ut ipſos adeamus & juvemus, cum tanto noſtro labore ac diſpendio! Quod argumentum ſcio illos nonnunquam moviſſe ad attentionem, & ſeriam inveſtigationem doctrinæ à Chriſtianis, ipſis propoſitæ. Xaverius, in epiſt. Iapanicâ, an. CIƆ IƆ XLIX. *mirantur maxime, nos è tam remotis orbis partibus, Luſitaniâ nimirum in Japaniam, quæ* 18 *milliariorum millibus diſtat, eo ſolum nomine veniſſe, ut ipſis res divinas, & viam æternæ ſalutis per Chriſti fidem demonſtraremus.* In Commentario Iohannis Hayi, de Rebus Peruanis, eſt epiſtola Diegi Vazquez, quâ ſcribit, in primâ ſe ad Indos concione hoc urſiſſe quammaxime, quod parentes, & omnia ſua reliquiſſet in patriâ, tantùm ut illis ſubveniret in iis, quæ animæ æternam concernerent ſalutem: ad quæ poſtridie intellexit à Procuratore Regio, Indam propterea ſerio fleviſſe, quod ille in ſuorum gratiam parentes dereliquiſſet ſuos. Adeo hoc afficere mentes ingenuas, & rationales aptum eſt.

Et

Digitized by Google

Et Gentilium multi ſunt amantes *litterarum* & philoſophiæ; uti Sinenſes Mathematicæ, quâ ſcientiâ magnum ſibi apud illos aditum locumque paravit olim Ieſuita Mathæus Riccius, & nuper Martinius. Medicinæ etiam ſtudioſi, adeo ut illorum Medicos noſtris in praxi; utcunque in theoria & diſputationibus Europæos illis anteferat Martinius, in præf. Atlantis: *ut plurimum ſimplicibus ac decoctis medicamenta conficiunt. Uſtiones fricationeſque adhibent, ſectionem venæ non item, quam illi graviſſimum errorem autumant. Jejunio potius aliiſque refrigeſcentibus ſanguinem ad debitam temperiem reducunt. Ajunt, non ideo quod ferveat in ollâ, effundendum juſculum, ſed ſi compeſcere velis, ignem ſubducendum. Pulſuum adeo præclaras habent perceptiones, ut ex eorum notitia occulta etiam quandoque detegant ulcera. Pulſuum motus ſex in qualibet notant manu, tres principes, totidem ordinis inferioris, qui omnes ad varias corporis partes pertinent: primum ad cor, ad hepar alterum, tertium ad ventriculum referunt, atque ita deinceps ad alia membra alios. Dum ægrum viſunt, mediam tenet horam pulſuum horum exploratio, ſumma cum quiete omnium, nec ſine decumbentis faſtidio, quam mox, unde oriatur intemperies, & qua ſit in parte corporis, facile indicant, & recte dijudicant.* Principem Medicinæ, celebrant Imperatorem Xinnungum, qui ſolers naturæ indagator, vires herbarum ſedulò ſcrutatus, *non in alieno, ut multi ſolent, ſed in ſuomet corpore periculum fecit, quid in ſtomacho ad concoquendos cibos, aliiſque in membris aut morbis efficerent, cui malo creandò vel extinguendo ſufficerent.* inquit Hiſtoria Sinica, lib. I. Hinc libros habent de herbis, plantis, ſimplicibus medicinis, ita inſtructos & figuris ornatos, ut Dioſcoride vel Matthiolis noſtris nihil indigeant. Atque in omni philoſophia exercitatiſſimi. Quamvis paulo aliter philoſophentur, ac noſtri ſolent. Quinque conſtituunt elementa, aquam, ignem, lignum, metallum, & terram. Aërem non faciunt elementum, qui illis nil niſi matris telluris halitus eſt, quæ nos alit uberibus ſuis & nutrit, dum in terris degimus, morientes verò ablactat, & ſibi tradit ac ſuo juri.

Tum facile à litterarum, ad virtutis ſtudium ducuntur, quam Sinenſes imprimis rebus aliis omnibus præferunt. Unde obſervatum, quum Pequini, mors Riccii palam ab omnibus, Gentilibus etiam, deploraretur, neminem inventum qui diceret, quod inſignis fuiſſet Philoſophus, aut mathematicus, ſed omnes eum commendabant à virtute & probitate. Qui illos ita litterarum irritamentis continuò illiciebat, ut in iſto genere ſuis aliquando nimius videretur. De cujus obitu agit Trigautius, *de exped. Chriſt. apud Sinas, lib.* V. *cap.* XX. Atque iſto modo Sinenſium vincun-

Digitized by Google

tur ingenia, & captatur commodiſſime occaſio de rebus fidei & divinis cum illis diſſerendi. Imo ope horologii affabre facti, & oblati Regi, aditus Riccio ſuiſque factus in urbem regiam; atque in palatium admiſſi fuerunt, ſaltem ut horologium diſponerent, quâ in re Eunuchis, quorum cura eſt horas rite ordinare ſub pœnâ capitis, valde gratificabantur, & per iſtos quibus ſolis Rex ſe viſendum præbet, commendabantur Regi, ut homines ſibi valde neceſſarii. Quare tandem regio diplomate admiſſi, an. cIↃ IↃc xI. & rogati fuerunt, ad Sinicorum faſtorum errores emendandos, ſuoſque Mathematicarum diſciplinarum libros Sinico ſermone edendos. Qua via pervenerunt ad iſtum locum & dignitatem, qua in Sinenſium imperio hactenus admirandum in modum rerum potiti ſunt Ieſuitæ. Quorum hiſtoriam jucundum & utile eſt legere in litteris Nicolai Trigautii, ad annum cIↃ IↃc x. & xI. *Et verò eo ſunt ingenio Sinæ, ut ſcriptis facilius, quam diſputabundis congreſſibus convincantur*, inquit.

Interea quævis captanda occaſio cum illis *congrediendi*, & inſinuandi Chriſtum. Nam hoc ipſum illi referunt inter admiranda, ſicut in litteris Trigautii refertur quoque, quod quotieſcunque Chriſtianos adeunt, de quacunque re cum iis acturi, ſemper aliquid de Deo ſuo ingerunt, unde colligunt, illos Deo ſuo plenos eſſe, & velle ejus doctrinam omnibus votis propagatam. Nam & libenter interrogant, moventque quæſtiones. De Iaponenſibus Xaverius, *omnino ducem ſequuntur rationem, ut qui maxime, vulgoque omnes eo uſque curioſi ac moleſti ſunt in percontando, ut finem nullum faciant vel argumentandi, vel noſtra reſponſa cum aliis communicandi.* Iſtorumque quæſtiones aliquas proponit in epiſtola ſua Iohannes Fernandus: *domum ad nos convenere Japonii, ut variis nos interrogationibus fatigarent. Quæſitum eſt, ex qua materia Deus animam condidiſſet? Nam corpus quidem è quatuor conſtare elementis non ignorabant. Qui eſſet color animi, quænam eſſet ſpecies? Dæmones quidnam eſſent? Cur homines tentet Diabolus, ſitque eis vehementer adeo infeſtus? Cur, ſi erant cuncta, quæ Deus fecerat, bona, Luciferum ſpiritum malum & contumacem creaſſet? Percontabantur alii, quid eſſet Deus? ubi eſſet? num aſpici poſſet? alii, cur Deus, cum ſit adeo clemens, aditum gloriæ tantis difficultatibus circumſepſerit? Denique tantus erat à matutino tempore uſque ad veſperam hæc & alia ſciſcitantium numerus, domus ut oppleretur.* Atque illis audiendis & ſolvendis vacandum impigre, ſine ullo faſtidio, & ſupercilio.

Valde etiam capiuntur quibuſcumque humanitatis & charitatis *officiis*, quæ vel ipſorum *pauperibus*, vel *ægrotis*, vel *mortuis* denique, impenduntur

tur à Chriſtianis. Apud Japonenſes quum mos eſſet pauperiorum infantes, mox ac nati erant, pede collo impreſſo occidere, quia putabant, pauperibus vitâ non eſſe opus, quam in miſeriâ traducerent; Chriſtiani Pædotrophium erexere, in quo infantes illorum etiam Gentilium alerentur, ſumtibus Chriſtianorum: quæ res vehementer illorum animos commovit, conſpectâ iſtâ tantâ Chriſtianorum in infantes ſuos commiſeratione & benevolentiâ.

Xaverium jactant, quod ſolitus fuerit, *ægrotos & vinctos inviſere, valetudinaria frequentare, vel in iis habitare potius, quo commodius ægris miniſtrare poſſet, quibus & viventibus interdiu noctuque ſummo cum labore, cunctis admirantibus, præſto erat, & mortuorum cadavera ſuis ipſe manibus funebri linteo rite ad ſepulturam inſuebat.* Nam noſocomia Chriſtiani, ubi poterant, in uſum quoque Gentilium extruebant. Quod illi valde mirati, non poterant non eorum doctrinam probare hactenus quoque, quorum iſta cernebant opera.

In epiſtolâ Indicâ Henrici Henriquez, *diligentiam enim ac pietatem erga ægros illorum, qui in eo curantur, priuſquam vidiſſent, ne cogitatione quidem aſſequi poterant.* Et in epiſtolâ Japanicâ Johannis Fernandis, *Parentalia, & medicamenta quæ miſcemus, quæque in Noſocomio exercentur opera, maxime homines gentiles ad Chriſti fidem impellunt.* In epiſtola Japanica Eduardi Sylvii, a. cIↃ IↃ LV. *multum movet, excitatque Gentiles, quam exercemus, mortuorum inhumatio &c.* pag. 118.

Cumque, ut loci, ita neque animi unius ſint Gentiles, delectu facto, illos vel primùm adoriendos exiſtimo, qui cæteris *moratiores*, & hoc à ratione recta, deinde & fide minus videntur alieni. Quales ſunt, in Oriente, Sinenſes, & Japonii: in Occidente, Mexicani, & Peruenſes. Apud quos & litterarum cultus, & morum diſciplina, & certi regiminis forma, quamvis apud alios plus vel minus, à longo tempore viguerunt. Suntque imprimis ſciendi & virtutum avidiſſimi Sinenſes, & poſt eos Iaponii, unde novam ſibi religionem annunciari minus ægre admittunt.

Neſcio an in ſtuporem, an pudorem majorem agant nos egregia cum aliorum, tum Sinenſium imprimis dicta, facta, ad virtutem compoſita, & quæ nullis aut Græcorum, aut Romanorum philoſophis cedere opus habent, Chriſtianorum certe plurimorum vitam condemnabunt ſupremo die. Non de *Confutio* dicam, ſummæ & irrefragabilis apud eos authoritatis philoſopho, ejuſque ethica, cujus fundamentum, ex primo ejus libro, hoc ponit Martinius, hiſtor. Sinicæ lib. 4. *Magna, ſive magnorum virorum doctrina*

in eo poſita eſt, ut cum quiſque ſeipſum perfecerit, alios quoque perficiat, ſic ut omnes unum, hoc eſt, ſummum bonum conſequantur. Sed ſui ipſius perfectio in eo conſiſtit, ut quiſque lumen naturale in ſe accendat clarumve reddat, ita ut à lege naturæ præceptiſve à natura inſitis nunquam exerret. Quod quia ſine verâ rerum cognitione ſcientiaque fieri non poteſt, inde philoſophiæ danda eſt opera, per quam quæ agenda, quæve fugienda ſunt, ſcientiam habeamus. Hac ſcientia conſilia noſtra dirigimus; hac voluntatem, hoc eſt, utriuſque actiones perficimus, ut nihil ſentiamus, nihil velimus, niſi quod eſt rationi conſentaneum. Exinde corporis etiam exiſtit ſenſuumque perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute conſtitutio, quæ nunquam proventura eſt, ſi non è bona mente, velut è fæcundâ terrâ, effloreſcit.

Quid præclarius eo, quod idem Confutius, totidem fere verbis habet, *ne facias ulli, quod pati nolis*? Adeo ut Martinius, quod tamen ipſi relinquo, veriſimile cenſeat, eum verum Deum agnoviſſe: nempe quandoquidem eo tempore non erant apud Sinas idola, neque eorum cultores, & unum cœlum venerabantur, ipſeque rationem à cœlo nobis infuſam, idque quod in cœlo eſt, ſine figurâ perfectiſſimum & ſummum eſſe, docebat. Quin imo à Philoſopho Sinenſi, ſed Chriſtiano, ſibi probatum ait, ex libro Chimcieu à Confutio ſcripto, ipſum prævidiſſe Verbum carnem futurum, idque non dubiâ ſpe præcepiſſe, adeoque annum in Cyclo Sinico, quo illud futurum eſſet, cognoviſſe.

Neque de *Mentio* dicemus, proximo à Confutio, qui philoſophiam à Confutii nepote, Sutio, didicit, quem cum ſenex aliquando Mentius interrogaſſet, quid in bonâ reip. adminiſtratione præcipuè eſſet ſpectandum, atque ille reſpondiſſet, *populi lucrum*; excipere Mentius: *atqui vir probus ac ſapiens pietatem ac juſtitiam populum docet, regitque virtutis utriuſque præſidio. Tu contrà, quamobrem lucrum primò quærendum cenſeas, haud ſanè intelligo*? Tum Sutius, *ſi recte calculum ponas, eadem eſt utriuſque ſententia. Germanum lucrum, de quo loquor, nonniſi ex pietate atque juſtitia exiſtit.*

Erat & Mentii tempore alia *Chungcii* cujuſdam philoſophia, qui nefas putabat quidpiam attingere, quod cum injuſtitiâ ullam videretur habere communionem; quod vel ipſum injuſtum haberet, vel ab injuſto ortum. Unde neque paternas ædes inhabitabat, quod crederet à malis viris factas, neque communem facile cum aliis capiebat cibum. Quare quum fratri aliquando par anatum oblatum dono eſſet, ad matrem ſe convertens, monebat ut videret bene, ne donum vel ab injuſto veniret, vel ex cauſa non ſatis juſta.

Sed

Sed & facta ipſorum videas ac exempla, in quovis vitæ genere, præſertim civili. Audias hic Taikangi Imperatoris fratrem, ei regno privato & exuli dicere, inſtar Antonini alicujus Romani: *ab Yvo avo noſtro hæc eſt imperanti dicta lex. Populum amandum, non ſpernendum, aut opprimendum. Hunc enim regni radicem eſſe, cujus robore & conſtantia regni quoque firmitatem niti. Aurigæ ſimilem eſſe, qui aliis præeſt, qui verò ſex equos putri fune colligat, annon ei caute agendum?* Quâ eadem equorum ſimilitudine ita poſt ulus legitur Imp. Ulxius, *mortalis vitæ curſus eſt haud minus velox, quam currus, quem ſex equi rapiunt.* Sed quod ad regendam remp. præclare Xunus Imp. ad ſuos Præfectos: *tum demum morem mihi gerite, cum, quod bonum & æquum erit, imperavero.*

Imprimis in formando Regis exemplo occupatur ipſorum philoſophia. Qualungus ex Sinenſium Proceribus facilè primus, ad Imp. Kieum: *Principis boni eſt, ſuis rectè vivendi legem non tantum dare, ſed eſſe, ſi ſolida pace velit cum ſibi ſubjectis frui.* Yangus, ad Imp. Hienum: *quod leges non ſerventur à populo, inde eſt, quia primò contemnuntur à ſummis, quorum exemplum ad alios quodam quaſi jure devolvitur.* Unde lepidum regis Ci dictum, quod in proverbium apud Sinas abiit, quando Præfectos voluit laudare, *quatuor Præfecti mille ſtadia illuminant.* De aulâ, Sieyus aliquis ad Confutium, *qui magnos quærunt honores in aulâ, magna quærunt pericula.* De imperii dignitate Tangus Imp. *ad imperii nomen haud ſecus atque ad ingentis præcipitii conſpectum exhorreſco.* Quantæ ſimplicitatis Yaus Imperator, qui eam in ſalutationibus quoque & titulis amabat? Pretioſam ſupellectilem, & gemmas ac lapides pretioſos contemnebat, venereas cantilenas non audiebat, neque habitabat domos ornatas & laqueatas. Belli paciſque ſtudium ex vero æſtimavit Cicungus, apud Imp. Moum hac uſus oratione: *clara Imperatorum atque excelſa virtus pacem magis, quam bellum amat. Arma non tractant niſi coacti, ſemper inviſa, ſemper calamitoſa ſibi, populo, ærario, denique non victis magis, quam victoribus.*

In magnâ autem veneratione habent Præceptores ſuos & præfectos morum. Ipſi Reges quando à Philoſophis de re aliquâ utili & neceſſariâ moneri ſolebant, flexis genibus ea excipiebant. Nunquam diſcipulus adverſâ fronte præceptori conſidet, ſed in loco ſemper humiliori. Idque non modo tum, quando ei dat operam, ſed per totam vitam. Semper illum præceptorem nominat, qui titulus apud Sinas præcipuus, & ſe diſcipulum. Chingus à Patre Uo relictus erat imperii hæres, nondum ejus per ætatem capax, interim à Præceptore Pekino juxta Parentis demortui ſepulcrum ex-

Digitized by Google

exſtructâ domo habitabat, ſi quando autem delinquebat, ſpectante puero verberibus excipiebatur Præceptor, tum ut qua pœna dignus ipſe eſſet agnoſceret, tum ut vel amore Præceptoris, ne eum pœnæ ſubjiceret, à malo abſtineret. Factum ut ludens imperator cum fratre juniore Yo, dato ei per jocum codicillo, regulum creaſſet: ibi tunc Pekinus, *promiſſa Imperatoris etiam inter ludendum pondus habere debere. Cautos quidem eſſe principes oportere in loquendo: magis autem fidos in præſtando.*

Major etiam, uti decet, erga parentes reverentia, & tanta hæc quidem, ut filius nunquam ad altiorem dignitatis gradum adſcendat, quam pater. Quod ſi verò contingat filium honores in Rep. adipiſci quibus pater functus non fuit, cum patre, quamvis mortuo, titulum tamen communicat.

Adverſus injuriam, quam cordate, quod in vitâ Imp. Kingi legitur, *nulla res eſt quæ magis virtutem augeat & ornet, quam acceptæ injuriæ contemtus?* In vita Lieupangi, *magnarum mentium eſt, condonare; quæ non aliàs magis magnitudinem ſuam oſtentant, quam cum negligunt oblatam occaſionem ulciſcendæ injuriæ.*

Atque ita varia habent bene vivendi præcepta & exempla, quæ quis juſte miretur apud remotas illas gentes reperiri. Huc enim incumbunt perpetuò, ut virtutem apud ſe & ſuos promoveant. Quod Tangus Imp. voluit eximia iñ pelvi, ex qua ſe quotidie lavabat, epigraphe, *indies te renova, & iterum eodem die te renova.* Soyungus philoſophus, ad Chingum Imp. *Calamitates, quas cœlum minatur, effugiendi, ne dubita, facillima hæc eſt via, ſi vitio extricati, virtuti demus operam; illæ ſunt inevitabiles, quas vitiis ipſi nobis facimus.* In vita Wtingi, *ſcire quid rectum ſit, haud eſt difficile; ſed facere quod rectum ſcias, difficillimum.*

Quæ & ſimilia probe dicta, & facta, in laudem gentis, ex ipſorum Annalibus proferri poſſunt, ut non ſine cauſa dixerimus, moratioribus Gentilium nonnihil juvari rem Chriſtianam poſſe: & in illis inſiſtendum, qui quouſque cum ratione recta melius conveniunt, hoc etiam minus à doctrina noſtra diſcrepant. Ne dicam, quod in Atlante Sinico Martinius refert, pag. 44. & 145. olim, ante multa ſæcula, Chriſtianiſmum in Sina notum fuiſſe & acceptum. Quod Armeni dicunt, per ſuos factum, in ipſis Eccleſiæ naſcentis primordiis, uti Paulus Sanfidius auctor eſt, ſibi ab Armeno quodam epiſcopo ſignificatum, in *Deſcriptione rituum & morum Japaniæ*, inſerta epiſtolis Japanicis. Eâdem continetur quoque, apud Japonenſes celebrari dictum aliquod ceu antiquam Prophetiam, unam omnium

Digitized by Google

omnium mortalium tandem aliquando futuram eſſe legem: quod in rem ſuam verti à Chriſtianis poteſt.

Præcipuè id agendum, ut primores, *magiſtratus*, & Principes ſibi concilient Chriſtiani, quorum unus Chriſto lucrifactus immenſa præſtare in profectum rei Chriſtianæ apud ſubditos poteſt. Quod in Sinenſi imperio patuit, Rege à Jeſuitis occupato.

Præſertim illud uſu venit in Monarchico regimine, quale eſt apud Sinas. Unde Trigautius, in litteris ann. cIↄ Iↄcx. è Sinarum regno ſcriptis ad Claudium Aquavivam: *in hoc incumbimus, ut magiſtratus nobis ac Deo conciliemus, futurum poſthac ipſimet ajunt, ut vulgus eorum authoritatem ſequatur.* In epiſtolâ Henrici Henriquez: *equidem verbis exprimere non poſſum, quam magnum experiamur ad quidvis efficiendum ex favore Procerum præſidium.*

Vehementiſſime obſiſtunt Euangelio *Bonzii*, qui ſunt illorum religioſi, & turpiter plerumque vivunt, & hac de causâ reſiſtunt, quod ipſorum flagitia deteguntur, unde ipſorum authoritas apud populum, & quæſtus vileſcunt. Melchior Nunneſius, in epiſtolâ Japonicâ a. cIↄ Iↄ LVIII. *ſunt autem Bonzii cum regni proceribus affinitate conjuncti, nobis verò, quod plebi eorum ſcelera fraudeſque detegimus, iniquiſſimi, tantiſque mendaciis populum onerant, nihil ut Euangelio in his terris majori impedimento eſſe videatur.*

Majori cum fructu agitur apud plebem. Xaverius, epiſt. a. cIↄ Iↄ XLIX. *minus errorum & peccatorum invenio in plebejis & idiotis, quam in Bonziis, quos veluti patres & doctores venerantur. Hi enim ad omne genus vitiorum, etiam à quibus natura abhorret, adeo ſunt propenſi, ut ea ne in minimis quidem malis habeant, & nihil diſſimulent, palamque ſit omnibus, viris, fœminis, & pueris.*

Nihilominus quantæcumque ſe ingerant *difficultates*, non cedendum, ſed eundum contra fortiter ac audenter, Deus cauſam non deſeret, ſed perficiet pro nobis, atque in nobis, ſi non hic, alibi, & ſin minus hoc tempore, certe alio, ſemper ſuo. Confer Acoſtam, lib. I. cap. III. & ſeq. *Indorum veram converſionem ad fidem perdifficilem eſſe, dicunt. Eſt ſane. At illud non oſcitanter cogitare oportet, ſemper fidei prædicationem fuiſſe difficillimam, & fructificationem Evangelii laborioſiorem longe exiſtimatione noſtrâ.* Xaverius, in epiſtolâ an. cIↄ Iↄ XLIX. *Didici etiam remedia, quæ in hujuſmodi caſibus adhibenda ſunt, inter cætera id unicum eſt, non dejici, ſed forti animo hoſti obſiſtere, & de ſe diffidendo omnem in Deo fiduciam vireſque collocare,*

Digitized by Google

care, neque vel minimum timoris ſignum dare: & cum talem tantumque habeamus defenſorem, tutoremque, nihil de victoria & triumpho dubitare.

Cæterum nihil in toto hoc negotio majori cum fructu rimari atque expendi poſſe cenſeo, quam ut diligenter introſpiciamus, quâ ratione alii ante nos in Gentilium oras atque regiones primam rei Chriſtianæ notitiam introduxerunt, ut eorum exemplo atque methodo edocti, idem & longe melius tentemus, quibus uti religionis majorem puritatem indulſit Deus, ita quoque pro ea provehenda flagrantiorem addamus zelum oportet. Quare ex uſu erit ſpectare, quo modo Pontificii, imprimis Jeſuitæ, difficultates illas perruperint, & in utramque Indiam, tum Japoniam, & Sinam Chriſti nomen importarint primi.

Deque Americanis partibus parum eſt, quod dicamus, quia non imitanda vi, ſed crudelitate omnibus deteſtanda, non pro Chriſti adeo regno laborarunt, quam Hiſpanico, in magnum & irreparabile illius detrimentum. De quo ipſi ſectæ illius ſocii, ſed hoc longe meliores, quod magis ingenui, palam & audacter fuerunt conqueſti, apud Cæſarem, & Reges.

Sed diſcere aliquid licebit, ex Ieſuitarum ingreſſu, & progreſſu quem fecerunt Evangelio, verſus Orientem. Primò in *Indiâ*, inde *Japoniâ*, ultimò in *Chinâ*: ſic enim ſe habuit curſus Evangelii, ab India in Iaponiam, hinc in Chinam navigarunt ejus Præcones, quamvis Pontificii, interque hos primus Xaverius, hinc Indorum dictus Apoſtolus. Hic enim, poſtquam Luſitaniæ Rex Iohannes, quos in Indiam, prædicandi cauſa mitteret, à P. Paulo III. per Oratorem & Legatum Petrum Maſcareniam, impetrarat, ex Ignatii Loyolæ primis ſociis duos, nempe Franciſcum Xaverium, & Simonem Rodericum, Luſitanum, hoc in Luſitania detento ad erigendum in Conimbricenſi Academia Collegium, miſſus in Indiam fuit Xaverius, an. cIↃ IↃ XLI. cum præfecto Indiæ Regio, Martino Alphonſo Sola, itineris comite ſacerdote Societatis Italo, nomine Paulo. Atque Goam in India appulerunt anno ſequente cIↃ IↃ XLII. menſe Majo. Ubi cum jam nonnulli ſaltem ex Luſitanis eſſent Chriſtiani, tum in his confirmandis, tum convertendis Gentilibus aliis, omnem operam inſumſit docendo publice ac privatim, præſertim Catechetica inſtitutione, & omnibus porro charitatis officiis erga laborantes, ægrotos, & mortuos.

Hic prima Jeſuitarum ſedes ac ſchola, in qua & Theologia, & artes liberales docebantur, & linguæ Indicæ agebant doctores, ut ſine interprete poſſet tradi Indis Evangelium: amplius ſexcentos, ajunt, huc confluxiſſe undiquaque ſtudiorum cauſa adoleſcentes & pueros, Brachmannûm, Perſarum,

Digitized by Google

ſarum, Arabum, Æthiopum, Guzurattenſes, Decamenſes, Bengalenſes &c. loco propter emporium celebri & commodo. Ubi an. cIↃ IↃ LX. dicunt, converſa hominum pluſquam viginti millia, quorum duodecim millia & ſeptingentos in Collegio à ſe inſtructos baptizarint Jeſuitæ. Quod mihi ſupra fidem videtur. Atque inter eos complures Regulos, principes, ac Dynaſtarum liberos: quorum opera mirum in modum poſteà in proſeminando Evangelio fuerunt uſi. Atque id prudenter ſane, ut quorum authoritas apud alios plurimum poteſt, imprimis alliciantur, quo per eos via pateat ad convertendos reliquos. Quod diligenter operam paſſim dederunt illi, & curandum aliis commendarunt, ut ad plures iſthac via perducatur Evangelium.

Hinc in Cocino, urbe diſtante Goa trecentis milliaribus, aliud erectum Collegium, ex quo excurſiones factæ in proximas inſulas Maldivanas, aliaſque. Unde porro Damanum progreſſi, & Colanum, ex quo in Taravancorenſem oram Evangelium attulerunt, *Colani, ut Goa, & Malacæ, pueris præſertim erudiendis invigilarunt.* Sic & Comorinum, & Ceilon, & Socotoram, aliaque loca, uſque ad Ormutium, quod in ſinu Perſico eſt, adiverunt, atque imbuerunt notitia Evangelii. De quibus videre eſt Emmanuelem Acoſtam, in Commentario, de rebus Indicis, uſque ad an. cIↃ IↃ LXVIII. præter epiſtolas Indicas variorum.

Iam Xaverius, dum Goæ agebat, tum ex mercatoribus, tum ex Iapone quodam (qui illuc confugerat ob commiſſum homicidium, ibique baptizatus fuerat, cum duobus famulis, ipſe antea nominatus Anger, à baptiſmo autem Paulus, & famulorum alter Iohannes, alter Antonius baptizati) multa intellexiſſet de Iaponiis, quod gens eſſet ſciendi valde avida, & de qua ſpes erat non inanis cum fructu ibi prædicandum Evangelium, magno incendebatur ſtudio illos adeundi.

Quare an. cIↃ IↃ XLIX. Goâ illuc iter inſtituit, aſſumtis ſecum è ſocietate duobus, nempe Coſmo Turriano, & Iohanne Fernando, Hiſpanis, una cum Angero, ſive Paulo illo, & duobus ejus jam baptizatis famulis, qui ob linguæ & gentis notitiam, magno uſui erant, in alloquendis & inſtruendis Iaponiis: ipſe ad hæc facultatibus Luſitaniæ Regis juvabatur, & in Iaponiam pervenit an. cIↃ IↃ XLIX. d. XVII. Kal. Septembris, primus Chriſtianæ doctrinæ in iſtis locis præco, appulitque Cangoximam, quæ Angeri patria erat, unde ſtatim in familiam iſtam amicoſque admiſſus Xaverius fuit, mox ad alios.

Quia verò ſolus ille Paulus Iaponicè loquebatur, per eum omnia efficie-

Digitized by Google

bat Xaverius, & domeſtici ac propinqui ejus ad fidem converſi, in lingua addiſcenda ipſe ſedulo occupatus: atque per interpretem agens cum Cangozimanorum regulo, veniam non habitandi modò impetravit, ſed quoque docendi religionem, & congrediendi ac diſputandi cum quibuſcunque, etiam illorum Bonziis ſive religioſis. Cumque prima in Iaponia Eccleſia eſſet Cangoximana, per Bonziorum imprimis artes atque ſollicitationes effecit Diabolus, ut mutato Regis animo, revocaretur prius edictum, & pœna ſanciretur in deſertores avitæ religionis, qui peregrinam aliam ſive Chriſtianam reciperent.

Hinc cum mercatoribus Luſitanis navigavit Xaverius Firandum, inde Amaguncium, neque adhuc ritè callebat linguam, ſed utcunque eam loquens, & recitans ex libro, ab Angero ſcripto, nonnulla Chriſtianæ fidei, etiam ſic nonnullos, novæ doctrinæ cupidos, indefatigabili induſtria, (nam in compitis ac triviis bis in die dicitur concionatus) convertit.

Perrexit Meacum, celeberrimum totius Imperii urbem regiam, ubi quam primùm appulit, de compellando Rege ſollicitus fuit, atque impetranda venia docendi. Nam id ſtudioſe curavit ubique, ut gratia nobilium, Gubernatorum, & Regum obtentâ, hinc & liberius liceret agere, & fructuoſius. Neque abs re, certe, ubi illa impetrari datur. Sic ipſe antea ſcripſerat Ignatio Loyolæ an. cIↃ IↃ XLIX. d. XIX. Kal. Februarii, prima conſilia adeundi hæc loca exponens: *equidem primùm eorum Regem, deinde Gymnaſia & Academias adire conſtitui, magno (ut ſpero) cum quaſtu animarum.*

Ubi verò Meaci intellexit alienum à ſe Regis animum, quod bello omnia flagrarent, & averſarentur novum atque Europæum vivendi morem, Amaguncium remeavit, & hujus Regi, ad captandum ipſius animum munera obtulit, quæ Meacenſi deſtinarat, videl. monochordium, horologium, aliaque, majori cum ſucceſſu. Nam quum offerret ipſi Rex viciſſim magnam auri argentique copiam, miſſis illis petiit docendi facultatem, & impetravit, publico confirmatam edicto. Valde autem muneribus ejuſmodi capi Barbaros, iiſque tum in Iaponia, tum China aditum paratum fuiſſe advenis Chriſtianis, ex hiſtoria conſtat.

Sed jam & veſtitum cum elegantiori commutarat Xaverius, & quia in illis multum hærere Barbaros intelligebat, ſplendida veſte incedebat, duobus tribuſve aſſumtis famulis, quando adibat Regem. Etiam in gratiam Bonziorum, quo minus offenſos experiretur, carnibus abſtinebat ac piſcibus, quibus illos veſci nefas videtur.

Et

Digitized by Google

Et hic Socii frequentiâ concionum, quas bis in die plerumque habebant, tum collationum poſt eas, & familiarium inſtitutionum, egregiam in urbe fundarunt Eccleſiam; poſt eam in altero quoque oppido, Bungo nimirum, ab ipſo Bungorum Rege evocati, præſertim ut in Luſitani Regis amicitiam, quam ambibat propter bella, quibus occupabatur, admitteretur. Quem in finem ad Proregem Indiæ & litteras dedit, & Xaverium miſit, amicitiæ pararium. Quâ occaſione ille, uti decuit, haud ſegniter uſus, Bungi plurimos Catechiſmo per ſocios ſuos inſtrui curavit, poſtea & baptizari, fretus Regis auxilio, qui ſuis & locum conceſſit habitandi, & docendi percommodum. Neque iſthic tantum, ſed & apud finitimos Reges, regioneſque, ingenti totius Japoniæ bono, ac fructu. Quippe Chriſtiana res, ethnico Rege favente, magnis deinceps auctibus crevit, uti Turſellinus, in vita Xaverii, auctor eſt. Quin & Rex ipſe, quamvis poſt Xaverii obitum, Chriſtianus factus, & ab eo Franciſci nomen aſſumſit, poſt quem ſimiliter Proceres ac Dynaſtæ alii ad fidem converſi ſunt.

A diſceſſu Xaverii, qui in Iaponia fuit per annos duos, non minorem operam in convertendis Iaponiis poſuerunt ejus ſocii, Coſmus Turrianus, Johannes Ferdinandus, Balthaſar Gagus, Eduardus Sylvius, Petrus Alcaceva, & deinceps Caſpar Vilela, Almeida, Frojus, aliique, quorum nomina in epiſtolis Iapanicis celebria.

Atque initio quidem, uti cum prædicatione Evangelii ſemper agi ſolitum, ab hominum vulgo & pauperioribus acceptum fuit, hoc magis, quo à Bonziis pauperes comtemni conſueverant & poſthaberi; poſtea demum à nobilibus, atque dynaſtis; tandem & à Regibus: tres enim Chriſtiani facti tandem, Rex Bungi, Omuræ, & Arrimæ, qui filios & cognatos ſuos poſtea miſerunt Romam, ad Gregorium XIII. an. cIↃIↃLXXXIV. atque inde reverſi multis cum donariis, Ieſuitis impetrarant à Pontifice, & Hiſpaniarum Rege, uti ſoli in Iaponia dominarentur, & abſque eorum conſenſu nemini Luſitano, aut alteri Chriſtiano liceret in Iaponiâ ſedem figere vel domicilium, nullique jam in toto regno alterius ordinis monachi agerent aut ſacerdotes, ſed ſoli illic omnia obtinerent; facultate etiam impetratâ, ut, contra ordinis leges, haberent quoque epiſcopum. Uſque dum mutatis rerum vicibus, & obortâ contra ipſos, & Chriſtianos omnes perſecutione, ab an. cIↃIↃcXII. miſerandum & longe crudeliſſimum in modum, omnes peremti fuerunt & extincti, & hodie nemini Chriſtiano in tota liceat agere Iaponia. De qua perſecutione immaniſſima extant libri quinque Nicolai Trigautii, ejuſdem qui antea ſcripſerat, è Sinenſi regno in Euro-

pam redux, de Chriſtiana expeditione apud Sinas, ex Matthæi Ricii, ejuſdem Societatis Commentariis, libros totidem. De quo Antonius Sanderus, lib. III. de Scriptoribus Flandriæ, *Nicolaus Societatis Jeſu, natione Belga, patriâ Duacenſis, cum oratoriam Gandavi docuiſſet, addiſceretque linguas peregrinas, & Coſmographiam calleret, profectionem in orientis ſolis Indiam à Præpoſito Generali Societatis tandem obtinuit. Eò itaque profectus, Chinenſibus non ſine animarum egregio fructu Chriſtum annunciavit, inde (quod mirandum eſt) pedeſtri itinere in Germaniam & Belgium reverſus.*

Scripſit etiam de horrendis cruciatibus & necibus martyrum Iaponiorum, ab an. cIↃ IↃcxxII. uſque ad an. xxix. oculatus teſtis, nomine Belgicæ Societatis in urbe Iaponiæ Nangeſacque iſto tempore agens, Regnerus Gisberti, cujus hiſtoria ſubjuncta eſt Deſcriptioni Iaponiæ, quam edidit Franciſcus Caron. Haud facile alibi legere eſt magis truculentos enecandi homines modos & diriores artes: quæque olim Chriſtianis facta leguntur in graviſſimis perſequutionibus, & cum interemtorum Chriſtianorum cadaveribus, cineribuſque, ut mari commiſerint hoſtes & vento abolendam omnem eorum memoriam, eadem hic quoque factitata leguntur.

Et quamvis inter illos plurimi fuerint, apud quos exigua valde Chriſtianæ rei notitia, Papiſticis quibuſdam ſuperſtitionibus magis aſſueti, quam veræ pietati; certum tamen eſt fuiſſe etiam, eoſque primæ ætatis adoleſcentes, qui digna reſponderunt perſequutoribus, & magnum animum oppoſuerunt illis, & præſenti neci. Nam utcunque ſuperſtitiunculis ſuis, etiam primis Chriſtianæ fidei elementis tradendis, non defuerunt omnino doctores.

Incertum, ex quâ cauſa originem ceperit tanta in Chriſtianos laniena. An ex Hiſpanorum intoleranda arrogantia & ambitione? an Jeſuitarum inſolentiâ? unde primum invidia populi & Magnatum adverſus eos orta, inde utriuſque partis pugnæ & cædes eouſque exacerbarint Japonenſes contra Chriſtianos, ut ſimul omnes extinguendos arbitrarentur. Non dicam, quod multis viſum, Belgas, Angloſque ex odio in Hiſpanos, etiam Japoniorum animos ab illis alienaſſe, ut ſibi, vel propter commerciorum commoda, devincirent. De quibus malim legi, quæ Varenius habet in fine Deſcriptionis Japoniæ, quam ut hic exhibeantur. Magis dubio caret, Bonzios, ex diuturno Chriſtiani nominis odio, continua malorum omnium in Chriſtianos fuiſſe flabella & incentores, utpote omnibus modis ſibi adverſantes, præſertim ſuis vitiis flagitiiſque, doctrinâ aliâ & ſanctiori.

Duas

Digitized by Google

Duas mali totius cauſas commemorat Trigautius, lib. 1. cap. 4. remotiorem unam, quæ Imperatorem maxime movebat, ſuſpicio vid. de potentiâ & dominatione Hiſpanorum, de proximis Philippinis ſibi imminentium: quam ab Hollandis, Angliſque auctam dicit, recitatione rerum, quas tum Hiſpani, tum Jeſuitæ in terris ſuis fuerant moliti, & quomodo iſthic cum iis ageretur. Nempe religioſos iſtos haberi ubique tamquam *Hiſpanicæ monarchiæ prodromos*, & propterea à Principibus pelli regnis & ditionibus ſuis, ubi artes illorum perviderunt. Quare & Iaponenſium Imperatorem palam dixiſſe, ſcribit: *ſi Reges in Europâ, Principeſve ſuis illos regnis & provinciis exterminant; quid eſt cur injurius in illos videar, ſi eos ejecero advenas, qui à ſuis non feruntur*? Propiorem vero cauſam ponit in perfidiâ duorum neophytorum, Iohannis, Dynaſtæ Arimenſis, & Pauli Daifachi, quorum unus alterum, uterque Imperatorem feſellit, cujus juſſu Paulus crematus fuit vivus, & in exilium actus Iohannes, ann. cIↃ IↃCXII.

Hinc jam in ipſam religionem Chriſtianam concepta odia, & tum edictis, tum tyrannide omnifaria Chriſtiani oppreſſi, truncati, extincti, adeo quidem, ut hodie ne uni quidem in totâ Iaponiâ liceat eſſe Chriſtiano, vel Chriſtum, aut ejus religionem profiteri: quorum numerum ſcribit Regnerus Gisberti, fuiſſe quatuor centena millia; & ſuo adhuc tempore, a. cIↃ IↃCXXVI. quadraginta millia.

Vam Varenius auctor eſt, *magnam ſolertiam & curam adhiberi, non tantum ne per externos & adventantes mercatores aut nautas denuo introducatur Chriſtianiſmus, ſed etiam ne ullum ejus exercitium in Japoniâ peragatur. Conſtitutos eſſe à Cæſare præfectos & inſpectores, qui appulſas Belgarum naves ſcrutentur, ſi quos libros typis impreſſos repererint, eos auferant, et ſi ipſi Belgæ ultrò eos tradere teneantur: ſi contrarium illos feciſſe innoteſcat, vitæ omniumque mercium amiſſione puniri: atque eandem pœnam illos quoque manere, ſi in conſpectu Japoniorum manibus complicatis preces ad Deum effundere, vel ullo alio Chriſtianæ religionis ritu uti attentent. Diſſimulandam enim eis eſſe religionem, & pro ethnicis quoque haberi à Magiſtratu Japonenſi.* Quod ita ſe habere, confirmatur epiſtolâ, à Conſule Japonio Nangaſacquienſe ſcriptâ ad Gubernatorem Belgicum in India, per ſupremum mercatorem Joh. Elzerach, a. cIↃ IↃCXLII. d. XXVIII. Octob. quam exhibet in Deſcriptione ſuâ Franciſcus Caron, pag. 56. Mitto Edictum, quod circumfertur nomine Elzeraci promulgatum, a. cIↃ IↃCXLIV. d. IV. Auguſti, & renovatum à Frid. Goyet, a. cIↃ IↃCXLVIII. d. XV. Septemb. in Japoniâ. Qualia certe

Digitized by Google

certe nulli Chriſtiano ſequi fas eſt, memori ejus, quod Chriſtus dixit, qui me negaverit coram hominibus, eum quoque negaturus ſum coram Patre meo. Et certe res atque lucra mundi tanti non debent eſſe animo Chriſtiano, ut iis tam avare inhiet, neque malit ea contemnere, quam cum tanto Chriſti dedecore, & ſalutis diſpendio quærere, quæ non alio fine, longinquo itinere, petere debebat, quam ut unà Chriſti notitiam ac cultum Gentilibus adſerret. Metuendum ſane, ubi non Dei quoque gloria ſpectatur in Gentium detectione & aditu, quem nobis ſingularis ejus providentia indulſit, quin cum ejus ignominia velimus conjuncta noſtra negotia, anathema hoc exiturum & rebus, & hominibus ad illa conniventibus, ne dicam imperantibus. *Verum*, inquit Varenius, dicto loco, *de hoc negotio jam deſinamus, ne quorundam lucro magis, quam rei Chriſtianæ ſtudioſorum aures dedita opera videamur offendere.*

Cæterum quum Xaverio inter Iaponios agenti identidem ab iis objiceretur, quod, ſiquidem vera eſſet Chriſtiana religio, eam jam pridem Sinæ accepiſſent: tantum Sinarum ingenio & authoritati deferunt Iaponii, à quo pleraque ſua acceperunt: Xaverius ipſos *Sinenſes* adire conſtituit, eâdem operâ lucraturus Sinas & Iaponenſes. Quare, poſtquam a. cIↃ IↃ XLIX. d. XVII. Kal. Septemb. venerat in Iaponiam, atque iſthinc abiit a. cIↃ IↃ LI. menſe Novembri, conſcenſa nave in Indiam rediit Goam, hinc Malacam, ut inde pergeret in Chinam: at in itinere morbo correptus, perficere conſilium nequivit, in Sinenſi littore mortuus circa Cantonem, in inſula Sanciano, ubi commerciorum cauſa Sinenſes & Luſitani ſolent convenire, diſtatque à continenti paſſuum millibus nonaginta ann. cIↃ IↃ LII. d. 4. Non. Decembris, ætatis ſuæ anno circiter LV. atque Indicæ peregrinationis XI.

Quod ergo ille perficere non potuit, neque Sinarum fines urbeſque ingredi, ſociis ejus traditum, præcipue Alexandro Valignano, Italo, qui à Præpoſito Generali, totius Indiæ Viſitator conſtitutus erat, & Sinenſi expeditioni deſtinabat Michaëlem Ruggerium, quoque Italum, & Matthæum Ricium. Qui ex portu Amacaenſi, ubi mercatorum Luſitanorum erat ſtatio, Scianquinum, ab urbis Prorege, invitati, locum acceperunt extruendi ſibi domum, Proregis diplomate munitum, quo ſignificabatur, illos Sinarum fines attigiſſe commendatos à virtute atque ſanctimonia, atque ideo Proregis authoritate ipſis locum ad habitandum conceſſum, & ad vivendum ſuis ſumtibus, conſtituta pœnâ in illos, qui quavis moleſtia eos afficerent.

Quâ

Quâ acceptâ facultate & præſidio, cum Sinis variè cœpit agi, de religionis Christianæ capitibus, eaque illis perſuaderi. Studuerunt verò initio magis vitæ exemplo vincere, quam diſputationibus, ut ita ſenſim ſine ſenſu traherentur, ipſa vitæ pro illis loquente praxi, efficaciſſimâ omnium rhetoricâ. Scripto præſtabant plura, quam vivâ oratione,& verbis. Amant enim Sinenſes ſcriptionem, præſertim qualis ſua eſt, per notas hieroglyphicas. Tum temperantiâ & modeſtiâ movebant multos, qua nihil ſe ab Sinis petere, ſolum conferre illis velle bona maxima, & ſalutaria, teſtabantur. Neque minus commendabatur divina religio hinc, quod & cum naturæ lege, omnibus innatâ, & antiquiſſimis Sinarum legibus ſcriptiſque probe conveniret, eaque non everteret, ſed perficeret magis atque exornaret.

Jam quia ad Primores, & Regem quærebatur via, & hunc nemo adit præter Eunuchos, hi muneribus capti fuerunt, præſertim mathematicis, & per hos ipſe Rex. Quâ in re magnam operam præſtitit Societati, & rei Christianæ P. Riccius, Chriſtophori Clavii, Mathematicorum facile principis, quem Romæ aliquot annis audierat, diſcipulus. Qui, partim per *tabulas Geographicas*, partim per artificia & inſtrumenta mechanica, præſertim quidem *horologia*, dici non poteſt, quantum apud Sinenſes effecerit, & quid non impetraverit.

Tabulas ita componebat, ne ultrà Sina in orbis totius angulo conſpiceretur, quod valde eos offendebat, putantes Sinam totum orbem eſſe, ideo Thien-hia nuncupantes ſive quidquid ſub cœlo eſt. Ergo in tabula ſua Sinarum imperium conjiciebat in locum medium, & annotationibus illuſtrabat, quibus inſpargebat nonnulla divinæ veritatis, hactenus ipſis ignota, quibus guſtum caperent ſublimioris diſciplinæ. Eo modo effectum, ut & majorem de exteris, & Europæis conciperent opinionem, quam hactenus foverant, deque rebus ſuis ſentirent modeſtius, neque tanto metu tenerentur ultrà Chriſtianorum, ut quorum terras tam longe à ſuis diſſitas conſpiciebant.

Sed & alterum non minus potens fuit ad Regis & Magnatum gratiam conciliandam, per inſtrumenta Mathematica, factis à Matthæo Riccio ſphæris aſtrologicis ex ære, & ferro; globis quoque, quibus vel cœli, vel terræ facies repræſentabatur; item gnomonicis horarum indicibus, quas vel domi depingebat, vel in laminis ſculpebat, & Magiſtratibus variis mittebat dono. Imo quia talibus Sinenſes valde oblectari & capi conſtabat, Româ etiam mittebantur, quæ vel pictura vel fabrica excellebant. Nam & miſit Claudius Aquaviva, Societatis Generalis, quatuor horarias machi-

Digitized by Google

nas perelegantes, tres penſiles è collo, quartam in menſa collocari aptam, omnes opere admirandas, & ſono. Ad Matthæum verò Riccium inuſitatus quotidie fiebat hominum concurſus, ad viſendas ejus operas, inter quas nil æque mirabantur, ac horariam machinam grandiorem, quam in uſum domus, & totius viciniæ ita ſtatuerat, ut manus ferrea index horam tranſeuntibus monſtraret, ære verò grandiuſculo horas etiam abſentibus ſignificaret, cum omnium ſtupore, maxime quidem quod nullo pulſante per ſe ipſa ſonum daret.

Lepidum eſt, quod narrat Trigautius, lib. IV. cap. XIII. de Rege, cujus cum Mater peteret videre Horologium, quod per ſe pulſaret, Sinæ enim ligneis malleis pulſare campanas ſuas ſolent, ille ne forte Regina Mater illius amore capta ſibi illud rogaret, quod negare inurbanum videretur, mandavit machinæ præfectis, ut laxatis rotis juberent conticeſcere, quo facto mutam machinam ſprevit Regina, & ad filium remiſit.

Vehementer etiam mirabantur vitrum trigonum, quod lapidem ſine pretio pretioſum appellabant. Quod cum aliquando Matthæus Riccius Proregi offerret dono, ut acciperet adduci non potuit, ſed ſapienter renuit, narratâ ex Annalibus ſuis hiſtoriolâ: olim Vir aliquis Religioſus gemmam habens admodum pretioſam, eam dederat viro alteri primario, & quoque virtutis profeſſori, quam hic mox reddebat, dicens, hæc gemma ſemper erit tua, neque enim eam alteri dabis, niſi qui ſe virtutis ſectatorem profiteatur tecum, quod qui fuerit profeſſus, jam non accipiet eam, ſed relinquet tibi, atque adeo ſemper manebit tua. Quo dicto vitrum quoque illud Matthæo, à quo acceperat, reddebat è veſtigio.

Erat & tertium, quod etiam in P. Matthæo admirabantur, atque ambiebant, artem vid. *memoriæ localis*, quam docebat omnium cum admiratione, quod illam ſtudiis ſuis valde utilem viderent & jucundam. Ea etenim quæ modo lecta erant memoriæ inhærere, & recitari ſtatim non recto tantum, ſed & retrogrado ordine, vehementer ſtupebant. Cujus argumenti edidit quoque Commentariolum, Proregis filio dedicatum, non Parenti minus, quam illi, gratum.

Iſtis rebus factum, ut per Eunuchos eorum fama ad Regem delata, fecerit quoque viſendi cupidum, illa primum, inde & eorum auctorem. Omnia enim ad Regem per Eunuchos deferuntur, & ipſis cura horologiorum incumbit: perque eos tum Rex ſua ad alios curat, illis enim ſolis ſe dat conſpiciendum, & alia apud Regem perficiuntur. Quod ab Imperatore Hoyao defluxiſſe, qui miniſtris curam tradidit regiminis, dum ipſe in gynæ-

gynæceo ſe inter fœminarum & ſpadonum greges oblectabat, derivat Martinius, in Hiſtoria Sinica, lib. 2.

Denique tum Rege, tum aliis, Jeſuitarum artem & dona remunerantibus, iſtum locum ſibi acquiſiverunt in toto regno, & apud omnes, qui & rei Chriſtianæ, & ipſis tantopere profuit, ut & ſoli rerum ferè potiti in regno hactenus fuerint, & nulli præter eos aditus ad Imperatorem, & rectores patuerit; jam etiam, poſt vaſtatam à Tartaris Chinam, & his quoque ſe inſinuant, in ſpem adducti, hac victoria ſe in regionem quoque Tartarorum admiſſum iri, & ſecum Chriſtianæ fidei Doctrinam.

Hæc ergo quamvis ab illis pridem occupata, nobis quoque diligenter conſideranda veniunt, uti inde rem faciamus noſtram, quia Euangelii. In quem finem omnia illa conquiſivimus, & tractavimus, ut rem hanc pluribus commendaremus, & de qua parum aut nihil cogitabatur in Scholis, oſtenderemus noſtri quoque eſſe ſtudii, & injiceremus tum ſtudioſorum, tum aliorum animis ſcintillulas ipſos aliquando incenſuras cogitationibus & conatibus in arduum & illuſtre opus convertendorum Indorum, & Gentilium. Quibus uti Chriſtus abunde benedicat, cujus hic res agitur, eſt quod oremus, & in hoc finiamus voto, ejus amore, & gloria ad quoſcunque, & ultimos terrarum fines, provehenda.

FINIS.

ERRATA

Quæ Typo irrepſere, Benev. Lector ſic corriget.

PRimum à pag. 11. ad 47. in titulo paginario indecens error [qua neſcio ſeductione] admiſſus eſt; continue enim, ut facile patet, legendum, LIBER PRIMUS. pag. 28. lin. 12. leg. *Pegu*, *Siam*. 32. *penult.* id eſt, 33. 25. nuncupant, 43. 11. *Formoſanis. Coreanis.* 49. 5. Confutio. 59. 6. *Lappiis*, 220. 7. *à fin.* Anger, 221. 2, 3. nefaria 230. 2. *media à* 232. 9. *à fin.* partes 237. 9. familiari alloquio.

Digitized by Google

INDEX Rerum præcipuarum, quæ hoc Tractatu continentur.

A

ABraham Patriarcha, contra Chaldæorum Aſtrologiam diſputavit. ob id incarceratus, & relegatus. 17, 18

Academiæ. ibi ſtudioſi inſtruendi de argumento converſionis Gentilium. 211. 215. *in Sina dantur pluriuæ.* 44

Adulteria morte plectuntur apud Sinenſes, & Japonios. 171

Ægyptii maximè ſuperſtitioſi. 20. *in hiſtoria idololatriæ primi.* ibid. *Solem & Lunam coluerunt.* ibid. *aquas item.* 5. *quicquid ſani apud ipſos, ab Hebræis accepere.* 22. *Indorum Brachmanni illis ſe tradidiſſe ſapientiam jactant.* 30

Africa quando & per quem noſtris cognita. 28

Africa meridionalis gentiliſmo obnoxia. reliqua Muhammediſmo. hæc olim habuit Chriſtianas Eccleſias, & Doctores celebres. 28

Africa utrum ab Apoſtolis, an pòſt, converſa. 198

Africani olim præcipue Solem & ignem coluerunt. 29

Albus leproſorum color Indis. 5

Alemanni vox unde. occurrit apud antiquiſſimos. 25

America nomen habet ab Americo Veſputio. 7

Americani non-una gens, ſed variæ, & moribus diverſæ. 67. *Americanorum religio varia. plerique Diabolum pro Deo habent.* 69. ſeqq. *Gentium Americanarum origo.* vide India.

Americus Veſputius poſt Columbum in novum Orbem navigavit. 7

Anima hominis. Variæ de eâ opiniones. 142. *Animæ immortalitatem alii in dubium vocant, alii inficiantur.* 142. *alii aſſerunt.* 148. *Galenus non agnoſcit.* 148

Animæ immortalitas probatur ex ejus ſubſtantia. operatione. ſimplicitate. appetitu immortalitatis. ratione præmii & pœnæ. 143---147

Animarum è corpore migrantium duo itinera. ex oratione Americani ſenis. 148

Animalia ſingulariter curant & fovent Indorum Bramines. 32

Animalium eſu abſtinent Brachmanni Indorum. 31. *Secta idololatrica in China.* 48. *Bonzii Japoniorum.* 52

Apis Deus, Symbolum Joſephi Patriarchæ. 21

Apollonius Thyanæus, magus. 161. *ad Indos ſapientiæ causâ profectus.* 30

Apoſtolorum Chriſti autoritas aſſeritur. ἀπαιδευσίας *objectio retunditur.* 183. 184. *eorum vilitate offenſi Gentiles.* 184, 185

Apoſtoli non ſuo conſilio, aut jactâ ſorte, abiverunt ad gentes. 195, 196. *in quas partes terrarum ſinguli profecti.* 197

Aquas venerantur Ægyptii, & Indi, iiſque ſcelera elui credunt. 4, 5

Aras & templa non habuerunt olim Chri-

Chriſtiani. 160

Ariſtoteles ad Indos ſapientiæ cauſâ profectus. 30

Artes [mathematicæ] multum valent ad alliciendos gentiles. 242

Aſcenaz non eſt Germania, ſed Bithynia. 26

Aſtrologia divinationis ſpecies. 164. *argumenta Phavorini contra Genethliacos.* 165. *Aſtrologiæ & Idololatriæ monumenta conjuncta.* 20. *contra Chaldæorum Aſtrologiam Abraham diſputavit.* 17

Aſtrologorum copia in Sina, & quid præſcribant. 49. *apud Tartaros.* 58

Avaritia fidei propagandæ noverca peſſima, doctoribus ſumme vitanda. 224

Avaritia Hiſpanorum in America. 75, 76

Auguriis Sinenſes dediti. 49. *Augurii vanitatem oſtendit Alexander Magnus.* 166

αὐτοφονία religioſa Gentilium. 171. *Indorum,* 172. *Japoniorum,* 54, 55. 172. *Sinenſium, apud quos vario nomine ea frequens.* 173

B

Baneanes [Vaneanes] regni Guzuratta incolæ, ritibus ac ſectis maxime differunt. ſectæ numerantur octoginta tres, quarum tres principales. 39

Baptizatorum à Pontificiis in India numerus incredibilis. 239, 240. 203

Beatitudo, ſummum Bonum. de hoc ſententiæ ſeu ſectæ octoginta octo. 151. *in nulla re creata conſiſtit.* 150

Belgæ plurimum opum ſuarum debent Indis. 2. *Belgis frequens ad Indos commigratio, non magis ad ſe ditandos quam ipſos convertendos contigit.* 1, 2. *Belgis mercatu interdictum in Hiſpania, non ſine vindice Deo.* 9. *Belgarum claſſes in Indiam Orientis an.* 1598. 9

Bello non adoriendi Gentiles, ut debellati Evangelium recipiant. 225. *an belli juſti cauſa infidelitas, quod repudiant Evangelium* 226. *an poſſint debellari ob crimina contra naturam perpetrata.* 226, 229. *belli juſti inferendi cauſa qua.* 227. *tituli quibus Barbari venerunt in poteſtatem Hiſpanorum.* 227, 228. *quo ordine ad bellum juſte & neceſſario devenitur apud Barbaros.* 228.

Bonzii, religioſi Japoniorum 52. *eorum vita & inſtituta.* 52, 53. *quinque præcepta fundamentalia.* 52. *Bonzii maxime obſiſtunt Evangelio, cũ ſint ſceleratiſſimi palam.* 249. 254

Brachmanni, Indorum Philoſophi celeberrimi. proximi à Rege. 30. *imò Deo proximi.* 33. *ſectæ Pythagoricæ.* 30. *ab his Græci Philoſophi multa acceperunt. etiam Ægyptii, prout jactant.* 30. *eorum origo.* ibid. *diſciplina.* 36. *abſtinent à veſcendis carnibus. elementa ſtatuunt quinque. mundum animal dicebant. Solem ſacrum habent.* 31. *Aſtrologiæ, magiæ, divinationi dediti ſunt.* 31, 32. 162

Brachmanni hodierni ſeu Bramines.

 horum

Digitized by Google

borum res conſcripſit Rogerius. 32. *ſacra ſua non vulgant.* 32. *Braminem interficere nefas.* 33

Braminum hodiernorum ſex ordines inter ſe diſcrepantes, ſingulorum doctrina ſeu ſententiæ. 33, 34. *Theologia ipſorum ſumma.* 36, 37, 38. *metempſychoſin credunt omnes.* 38. *animalia ſingulariter fovent, præcipue vaccas.* 39

Brachmannûm numina, Bramma. 32, 34, 36. *Wiſthnou.* 33, 36. *Eſwara.* 34. 36. *Legis ipſorum liber Vedam.* vide ſub V.

Braſilienſibus religionis exigua cura. 71

Butta, vitæ ſingularis præceptor apud Indos. 30

C.

CAEdes apud Gangem fluvium ſumme ſcelerata habetur Indis. 5

Calecutenſes Dæmonolatræ præ omnibus. 41

Cambajenſes vid. Guzurattenſes.

Cantionum ſacrarum exercitium. 242

Capillos Tartari non alunt. 51

Catechizationum exercitium maximi momenti. 237--240

Ceylon, Zeylan, inſula. ibi cultus elephantum & ſimiorum celebris. 41

Chaldæi, religione Sabæi. ſtellas pro Diis habuerunt, iisque terram prorſus ſubjecerunt. contra quos diſputavit Abraham. 17

China vid. Sina.

Chriſtum, impoſtorem vel magum fuiſſe, infideles calumniantur. 181, 182. *Ejus autoritas & divinitas probatur, ex vitâ ſanctiſſimâ.* 181. *doctrinâ. miraculis.* 182

Chriſtiana religio præ cunctis vero ſimilis ac rationabilis 177. *ejus veritas oſtenditur potiſſimum ex admirabili mundi converſione per ſimplicem & inermem prædicationem.* 185.

Chriſtianam religionem Gentiles impugnant; quorum præjudicia & objectiones: Chriſti humilitas, & mors nefaria. 186, 230. *Apoſtolorum & credentium vilitas, ac paucitas.* 184, 185. *bella inter Chriſtianos.* 187. *Chriſtianorum adverſitates.* 190. *quod per ipſos aucta in mundo mala. quod eſſent ἄθεοι* 191. *quod religio nupera.* 192. *πατροπαράδοσις ſuæ religionis. incommoditas mutandæ vitæ.* 230. *Chriſtianorum mores ſcandaloſi, præcipue Doctorum.* 232

Chriſtianam doctrinam & Chriſtianos quibus nominibus appellant Gentiles. 184. *Barbarorum oratio exprobratoria in Chriſtianos.* 221

Chriſtianiſmus olim in Sina notus. 248

Chriſtianorum nemini hodie in Japonia agere licet. 253. *& ne denuo introducatur Chriſtianiſmus, ſumma cura adhibetur.* 255. vid. Perſecutio.

Chriſtianorum neophytorum fervor. 240

Cinnami copia in monte inſulæ Ceylon. 41

Cœli filius Sinenſium Imperator appellatur. 43

Collegia, Seminaria, ad propagandam fidem.

ſidem. habentur Romæ complura, ex inſtitutione Gregor. XIII. 101. 212. Seminarium Indicum in Academia Leydenſi. 213, 214.
Columbus, Chriſtophorus, Genuenſis, repertor Indiæ occidentalis. 6. quartum eo navigavit. invidiam paſſus. lepido problemate æmulos ſuos excepit. 7
Combadaxi Bonzium pro numine colunt Japonii, de quo mira narrant. 55
Conciones habendæ ſimplices, ſanctæ, veræ, accommodatæ; quæ & repetendæ. 236
Confutius, ſummus Philoſophus Sinenſium. 48. 245
Congregatio ad propagandam fidem, erecta Romæ à Gregor. XV. 208, 209. conſultatio de ſimili inſtituenda apud Reformatos. 210, 211
Converſio Gentilium [ſicut hominum in genere] opus Deo gratiſſimum. 199, 200. ad nos quoque ſpectat, & ad omnes Eccleſiæ miniſtros I. 193. eſt difficilis. 249. quæ nos ad eam provocare debeant. 200, 201. Converſionem Gentium Deus procurat per calamitates & perſecutiones. 205, 206
Converſionis Media, ab Eccleſia, Academiis, Politicis, curanda. 207. ſeqq. pro converſione Gentium orandum in Eccleſia. 207. Doctores mittendi. ibid. & quales. 219. ſeqq. Congregationes & Seminaria inſtituenda. 208 -- 214. 101. in Academiis ſtudioſi ad meſſem parandi. 211, 215. Linguarum cognitio comparanda; Hiſpanicæ, Luſitanicæ, Malaicæ, Sinicæ (45) Japonicæ, Varaquianæ, Quichæ, Aimaræ. 234, 235. linguæ diſcuntur partim hîc, partim in Indiis. 235. Artes, ac converſatio officioſa multum valent ad alliciendos Gentiles. 242. Converſionem promovet vitæ ſanctitas & exempla virtutum 222, 223. Politica media, ſi adſint, non contemnenda; interim non nimis fervide ambienda, nec à præſidio humano ſuſpendendum opus converſionis. 216, 217. Bello non adoriendi Gentiles. 225. ſeqq.
Converſionis Modus, ſeu præcepta, à Doctoribus obſervanda. 230. ſeqq. Gentiles primo adducendi ad humanitatem, deinde ad fidem. 120. adeoque humaniter tractandi 242. 244. non inhumaniter. 216. vel crudeliter. 225. præjudicia ipſis eximenda. 230. ſeqq. vivendi laxa via non docenda. 232, 233. Diſputationibus non obtundendæ teneræ aures. 233. Conciones habendæ ſimplices, ſanctæ, veræ, accommodatæ; quæ & repetendæ. 236. Catechizationes inſtituendæ & urgendæ. 237 -- 240. Tria intendenda apud auditores à Doctoribus, ut nôrint, faciant, orent. 241. Cantiones ſacræ exercendæ. 242. Charitatis officia exhibenda. 244, 245. Gentium moratiores prius adoriendi. 245. Magiſtratuum benevolentia captanda. 249. Difficultates conſtantiâ ſuperandæ. ibid. Exempla præeuntium in uſum convertenda. 250
Converſionem impedit Chriſtianorum vita

vita apud Gentiles ſcandaloſa, propudioſa, nefaria, per latrocinia, avaritiam &c. 219. ſeqq. præcipue mala exempla Doctorum. 232
Converſioni maxime obſiſtunt Japoniorum Bonzii. 249. 254. & Muraquaxi. 56
Cor hominis, primum principium ſtatuunt Muraquaxi Japoniorum. 56
Coreani, Sinenſium feudatarii, ipſorum ritus ſequuntur. 50
Cormandel. ibi miſerè venerantur dæmonas. 41
Creationem Univerſi alii Gentilium admiſerunt, alii minus. 134. Colligitur ea ex mundi partibus. 134. ordine diviniſſimo, qui in Univerſo elucet; 135. inductione. 136. Creationis etiam apud antiquos Gentiles dantur teſtimonia. 136. eam agnoſcunt Bramines bodierni. 37. Contra creationem objectio, diluitur. 139
Crudelitas & homicidia Gentilium. 171. 245. Hiſpanorum in America. 75, 76

D

DEum eſſe, quinam dubitarunt. 121. Deum eſſe, conſtat ex univerſi contemplatione. 121. vi innatâ mentis ſeu conſcientiâ. 122, 123. rationum in contra nullitate. 124. communi Gentium conſenſu. 125. dari enim Gentes omni prorſus deitatis ſenſu vacuas, gratis aſſeritur. ibid.
Deus non cognoſcitur per ſpecies, ſed per attributa. 123, 124. Conceptus de Deo. 124. Cognitio Dei apud Gentiles obſcura & confuſa. 176
Deum Unum eſſe, probatur ex natura Dei perfectiſſima. 125, 126, 127. & ipſorum Gentilium conſenſu. 127
Dei perfectio adſtruitur. 128. ſpiritualitas, æternitas, omnipotentia, oſtenditur. 129. Deus quis. 130
Deum unum ſupremum, omnium Creatorem & Rectorem, agnoſcunt Bramines hodierni. 36. Baneanum quidam 39, 40. Decamenſes & Malabares. 40. Tartari. 57. Peruviani. 72.
Deum colendum ab hominibus, modeſtiores Gentiliū omnes, naturâ dictāte, conſentiunt, ſed in modo errant. 155
Deum ſuum an & quomodo Chriſtiani oſtendere poſſint. 133
Dii Gentilium varii. aſtra. homines. bruta. fruges &c. 16. 27. homines, iique turpiſſimi. 131, 132. cæleſtes, terreſtres. 21. certi, incerti [ſemidei] Romanis. 24
Deorum Gentilium multitudo. Græci ultra 300 numerarunt. 25. Orpheus 362 numeravit. ibid. ex Heſiodo numerantur 30000. ibid. Japoniorum dicuntur eſſe 13000. 55
Deorum & idolorum Gentilium hodiernorum nomina varia. 33-41
Deos ſuos humanis hoſtiis placant Gentiles. 156. virilibus ſuis litant. 157. vid. Idola.
Diabolus tentationibus ſuis primariò intendit dubitationem de Deo ejuſque veritate, & ut ſe pro Deo ingerat. 14. ipſe idololatriæ autor. 15
Diaboli cultus [Dæmonolatria] Gentiliſmi

Digitized by Google

gno Decam & Malabar, apud Calecutenſes, in Cormandel, dæmonalatria teterrima, miſerrima. 40, 41. ubi & dæmonum quos colunt nomina. Diaboli cultus per magiam & divinationem. 155
Dierum hebdomadæ nomenclatura à planetis, à Sabæis eſt, non facile in melius commutanda. 18, 19
Diluvii apud Americanos notitia & indicia. 61
Diſputationibus non obtundendæ teneræ aures. 233
Divinationum variæ ſpecies. 163. in uſu ſunt apud Indos & Sinenſes. 164. qui iiſdem admodum dediti 31, 32. 49
Divinationis & magiæ maxima cognatio. 162, 163
Divinandi artes apud Gentiles ſæpe prohibitæ. ibid.
Doctores ad Indos mittendi, quales eſſe debeant. videl. pietate conſpicui. 219. ab avaritiâ immunes. 224. ab ambitione alieni & crudelitate. 225. eminentes charitate erga homines, & zelo regni Chriſti. 229. An ad vitam, vel ad certum tempus mittendi. 219. Locum ipſos mutare proficuum. 236. Quæ media, quem modum tenere debeant. vid. ſub tit. Converſionis.
DruidesGallorum metempſyphoſin crediderunt. 148

E

EBrietas Americanorum. 168. provocatur potius à Chriſtianis, quam prohibetur. 169
Eccleſia ſemper in paucis hæſit. 11
Elephantes coluntur in inſula Ceylon. 41. & regno Pegu. 42. bellum ob elephantem. ibid.
Elementa quinque ſtatuunt Sinenſium Phyſici, aquam, ignem, lignum, metallum, terram. 243
Elementum quintum, præter vulgo dicta, ſtatuebant æthera Brachmani. 31
Epicureorum ſecta apud Sinenſes. 49
Epiſcopi curam habeant, ut populus Dei paganias ne faciat. 12, 13
Evangelii curſus in Oriente. 250. ſeqq. prædicationis progreſſus, in Indiâ. 250 Japoniâ. primæ Eccleſiæ ubi 252. Sinâ. 256. 259
Evangelium initio à vulgo & pauperibus accipitur. 253
Exprobratoria Barbarorum ad Chriſtianos. 221

F

FAtum & Fortuna, temere introducta. quid ſint. 138
FeſtumDiabolicumCalecutenſium 40. Solis, apud Indos. 31
Floridani Solem venerantur. 70
Fœderis pangendi formula apud Indos. 5
Formoſani plures credunt Deos. 50
Fortuna & Fatum, temere introducta, 138. quid ſint. ibid. Fortunæ omnia adſcribunt Guzurattenſium ſecta. 40
Franciæ novæ incolæ, Diabolum pro Deo habent, ſed non adorant. 69
Franciſcus Xaverius, Indiarum Apoſtolus, quid eo nomine præſtiterit, narratio

ratio ſummaria. 203, 204. *Ejus profectiones Indicæ, labores, induſtria.* 250. ſeqq. *ſtudia charitatis.* 245. *miracula.* 203, 204. *Obiit Xaverius in itinere ad Sinas an.* 1552. *æt.* 55. 256

Fratrum nomen Chriſtianis proprium. 188

G

Galenus animæ immortalitatem non agnoſcit. 148

Ganges, Indiæ fluvius, ſacer [etiam Viri nomen] 4. *ad quem inſtituuntur peregrinationes.* 5. *Indorum Rex illi ſacrificat.* ibid. *Ex paradiſo oriri putant. idem nonnullis qui Piſon. Exploratio ortus.* ibidem.

Gentes dari omni prorſus Deitatis ſenſu vacuas, gratis aſſeritur. 125

Gentiles non niſi ex natura convinci poſſunt. 14. *immerito accuſantur, quod Evangelium non recipiant.* 222. *pudefaciunt Chriſtianos quoad vitam.* 223

Gentilium nomen antiquum, à profeſſionis amplitudine. 11. *notitia de Deo & homine confuſa & obſcura.* 176. *peccata circa cultum* Dei. 155. ſeqq. *contra vitæ honeſtatem.* 167. ſeqq. *ſolertia circa religionem Chriſtianam, an dictis facta congruant.* 220. *Gentilium multi amantes literarum.* 243

Gentiliſmus ſemper maximam Orbis partem occupavit. 10, 11. *Antiquorum.* 16. ſeqq. *hodiernus.* 28. ſeqq.

Gentiliſmi ratio in impietate & injuſtitia, unde ejus deſcriptio. 14

Gentilitatis reliquiæ in pagis diutius hæſerunt, unde paganorum vox. 12

Germani vox unde. 25, 26

Germani pauciores Deos coluerunt, præcipue Mercurium, Herculem, Martem, Terram, Tuiſtonē, Iſidem. 25, 26

Germania non eſt Aſcenaz. 26

Gigantum memoria in America reperitur. 61

Græci ab Ægyptiis multa petivere in religione & literis. 23. *à Phœnicibus acceperunt literas.* ibid. *à Brachmannis Indorum multa acceperunt.* 30. *ultra* 300 *Deos numerarunt.* 25

Guineenſibus exigua religionis & honeſtatis cura. 29. *eorum nuditas ferina.* 167. *mirantur noſtros veſtitos.*

Guzurattenſium ſectæ, earumque Dii. 39, 40

Gymnoſophiſtæ Indici. 30

H

Hercules Germanis cultus. 25

Hertha Germanis terra dicta. 25

Heſus Germanis Mars dictus. ibid.

Hiſpanorum proceſſus in convertendis Peruanis crudelitas, avaritia. 75, 76. *Tituli quibus Barbari venerunt in poteſtatem Hiſpanorum.* 227, 228

Hiſtoria numinum & hominum apud Gentiles confuſa. 20, 21

Homicidia Gentilium. 171. *homicidiorum diverſi fines.* 173

Horologia, primum aditum fecerunt Jeſuitis in Japonia, & Sina. 244. 257

I

Japonii, religionem, leges, literas, à Sinenſibus acceperunt. 51. *unde Sinen-*

nenſium autoritati plurimũ tribuunt. 256. quorum & ſcriptione utuntur. 45. Gens tota in quinque ordines dividitur. 52. Regem ut numen venerantur. tres poſt Regem ſummæ dignitates. Zazo. Vo. Cubacami. ibid. duo præcipue numina colunt. 53. oderunt mendacium & furtum. ibid. juſtitiam qua ratione adminiſtrant. 54. luſuum inimici ſunt. ibid. magiæ cultores. 162. Ipſorum ἀυτοφονία religioſa 54, 55. numina 13000. 55. Regis idolum tutelare vapulat. ibid. mira & terribilia formant idola. ibid. adulteria morte plectunt. 171. temperantiam in magno pretio habent 224. pauperiores infanticidia in ſuis exercent. 245. Euangelium, primo præcone Xaverio, admiſerunt. 252, 253. pòſt Chriſtianos omnes in regno crudeliter extinxerunt. 253, 254. [unde Martyres Japonii] ac ne denuò introducatur Chriſtianiſmus, ſummam curam adhibent. 255

Jarcas, philoſophorum Indorum præcipuus. 30

Idola Gentilium vapulant. 48. 55. 155. mira & terribilia formant Japonii. 55

Idololatria gentilitia ab aſtris cæpit. 19. inde ad ſubcæleſtia progreſſus fecit. 21. ſeqq.

Idololatriæ origo à diabolica ſeductione. promotio varia. 15

Idololatrica ſecta apud Sinenſes. 48

Jeſuitarum, ex prima Ordinis ſui inſtitutione, ſtudium proprium, Gentibus Chriſtum prædicare. 201, 202. etiam non petito viatico. 218. Eorum ingreſſus & progreſſus, quem Euangelio fecerunt verſus Orientem. 250. ſeqq. Collegia in Indiâ, prima. 250, 251

Immortalitas beatitudinis & pœnæ. 150. à pleriſque Gentilibus agnoſcitur. 151. à Decamenſibus. 49

Immortalitatis affectatio inſana apud Sinenſes. 146

Impuritas Gentilium. 168

Inceſtus liciti apud Indos & Perſas. 168

India Orientalis, & Occidentalis, ſub idem fere tempus Europæis innotuerunt. quando & à quibus detectæ. 6. 59

Indiæ Orientalis termini. 4

Indiæ Occidentali unde id nomen. 4. alias America. 7

Indiarum terræ, unde, quando, quomodo, homines ſuos & animalia acceperint? 60. ſeqq. diverſis temporibus locis, modis. 67

Indicæ Societates. vid. ſub lit. S.

Indi olim in ſeptem ordines diſtincti. 29. hodie in quinque familias, quarum quatuor principales. 32. quinta fæx vulgi. 33. Aquas venerantur, & Rex fluvio Gangi ſacrificat. 5. metempſychoſin credunt. 31. Solem adorant. divinationibus dediti ſunt. ibid. animalia, præcipue vaccas, velut religioſe fovent & curant. 38, 39. inceſtus apud ipſos liciti. 168. polygamia uſitata. 169

In-

Digitized by Google

Indorum nomine plures Gentes vulgo vocantur. 4
Indorum Reges luxurioſi. majeſtatem tuentur. 29, 30
Indorum converſio per Franc. Xaverium. 250, 251. vid. Franciſcus.
Indus fluvius religioſe habitus. ejus oſtia quinque. 4. *item viri nomen.* ibid.
Infanticidia in Japonia apud pauperiores. 245
Iſraëlitæ multum ſuperſtitionis aſſumſerunt ab Ægyptiis. 22
Iſraëliticæ religionis ritus contrarii ritibus Sabæorum & Chaldæorum. 18
Juſtitia Sinenſium. 44. *juſtitiæ exſecutio apud Japonios.* 54

L.

Lactantius in Scholis proponendus. 85
Lappii, ignem, ſtatuas lapideas, Solem, Lunam, venerantur. 59
Lauzu epicureorum parens apud Sinenſes. 49
Limites partium terræ controverſi. 29
Linguæ, pro converſione Gentilium addiſcendæ, Hiſpanica, Luſitanica, Malaica, Sinica (45) *Iapanica, Quicha, Varaquiana, Aimara.* 234, 235
Luſuum inimici ſunt Japonii. 54
Luna. vid. Sol.

M.

Magia naturalis; artificialis; diabolica, directe, indirecte. 160. *iſthæc, ut ſuperſtitioſa, damnanda.* 161. *alia divinatrix, operatrix alia.* 162
Magia facit ad Spirituum naturam comprobandam. 162
Magiæ cultores Indorum Brachmanni. 31. 32. 162. *Sinenſes, Japonii.* 162. *Tartari.* 58
Magi, Gentilium ſapientioribus exoſi. 162. *illorum ſchola cum adventu Chriſti in carnem corruit.* ibid.
Magneticæ acus uſus antiquus. 68. *Sinenſibus ante ac nobis cognitus.* 46
Malabares, dæmonolatræ inſignes. 40
Mannus Tuiſconis filius. 25, 26
Mare nunc, ubi pridem Terra. 63
Mars Germanis cultus, & Heſus dictus. 25
Martyria Chriſtianorum. 189. *in Iaponia.* 254
Mathematicæ amantes Sinenſes. 243. *apud quos maxime profuerunt Ieſuitis aditumque parârunt Mathematica inſtrumenta ac ſtudia.* 244. 257, 258. *ut & in Japonia.* 252
Matrimonium laudabile habent Baneanes. 40
Medicinæ ſtudioſi ſunt Sinenſes. 243. *ejuſdam apud ipſos ratio & praxis.* ibid.
Memoriam localem P. Riccius in Sina docuit. 258
Mendacium oderunt Japonii. 53
Mercatus hominum [mancipiorum] improbandus. 216
Mercurius Ægyptiis cultus, ejus libri quadraginta duo. 21. *Mercurium omnis Germania coluit, ſub nomine Wodan.* 25
Mercurii Triſmegiſti Pœmander, ex quo diſputant contra Gentiles, & alia

qua

quæ exſtant, perinde ut Sibyllina, ſuppoſititia ſunt 119. valde aliena ab ejus, qui memorantur, genuinis libris. 120
Metempſychoſin primi docuerunt Ægyptii: à quibus hauſit Pythagoras. 149. eam credunt Indi. 31. [vid. ibi diſcurſus] Bramines omnes. 38. Chinenſium ſecta idololatrica. 48. Tartari. 58. Gallorum Druides idem credidere. 148. Nihil eâ ineptius. 149
Metempſychoſis in vaccam feliciſſima habetur. 38
Mexicani plurimos Deos numerant. 70
Miniſterium Eccleſiæ. duplex in illud admiſſionis ratio. 207
Miſeria humana naturâ nota. 174. ejus remedium quomodo inquirendum. 175
Mundi creatio, negata. aſſerta. vid. ſub Lit. C.
Mundum conflagrandum Gentilium nonnulli docuerunt. 154. 37.
Muraxaqui, ſecta Contemplantium apud Japonios, reluctantur converſioni. 56

N.

Narſingani ſerpentes colunt. 41
Nedfratres, Nedfri, ignes. ratio nominis & rei. 12, 13
Niger color præ aliis æſtimatur Indis. etiam in hominibus. & Deum nigrum putant. 5, 6
Noſocomium ſeu Hoſpitale beſtiarum, Cambajæ. 39
Nuditas Gentilium ferina, præcipue in Guinea. mirantur noſtros veſtitos. 167

O.

Opes ab Indis male partæ non beant ſuos poſſeſſores. 224
Ophir quæ terræ regio. 67. 69
Oracula Gentilium Chriſti adventu ſilere juſſa. 188
Orandum in Eccleſia pro Gentilibus. 207
Orbis partium divulſio non ſemper talis fuit, ut nunc. 63, 64
Oroſii manuſcriptum in Bibliotheca Ultrajectina. 92
Orpheus 362 Deos numeravit; quos tamen in teſtamento rejecit. 25
Otium apud Sinenſes ſumme exoſum. 46

P

Padmanaba Brachmannus, Abr. Rogerio ſuorũ res communicat. 32
Pagani dicti, qui olim Gentiles, quod gentilitas in pagis diutius remanſit. nomen coarctationis. aliæ vocis origines repudiandæ. 11. In pagis hodieque ſuperſtitiones durant. 12, 13
Pagana mulier. ſemipaganus. paganias facere. 12
Paganicorum rituum monumenta. 13
Panjangam Calendarium Braminum. 36
Papa Alexander VI. Caſtellæ & Luſitaniæ Regibus Terrarum loca hæreditario titulo diſtinctim aſſignat donatque, reliquis omnibus acceſſu interdicto. 7, 8
Papam non eſſe Dominum civilem orbis terrarum. 8, 9
Paradiſum fuiſſe in inſula Ceylon incolæ

læ credunt. 41
Parentum reverentia apud Sinenſes maxima. 248
Paulus Gentium Apoſtolus & Doctor. 2, 3
Pauperum cura apud Sinenſes. 46. hanc propriam ſibi & glorioſam duxerunt Yncæ Peruanorum. 74
Pegu regnum. ibi colunt elephantes. 42. bellum ob elephantem à Rege Peguano adverſus Siamenſem. ibid. (168
Perſarum lege, inceſta matrimonia probata.
Perſecutio Chriſtianorum in Japonia crudeliſſima. 253, 254 ejus cauſa incerta. 254. conjecta. 254, 255
Peru regni non verum id nomen. 76
Peruviani colunt Pachacamac creatorem omnium, tum Solem cum Luna. 72. 74, 75. Solem intueri nefas ducunt. 73
Peruvianorum Rex primus Solis filius. 72. ejus inſtituta egregia. 74. peregrinorum adventus prædictus ab altero. ibid. Peruanorum Reges Yncæ dicebantur. 72. ſeqq. Solem ſummum Deum eſſe Rex Peruanus dubitat, ratione obviâ. 73. Rex Peruanorum ab Hiſpanis ſtrangulatus & uſtulatus. ad quos ſic tranſiit imperium. 75
Peruanarum rerum ſeculum triplex. 72, 73
Philoſophi apud Indos Regibus proximi. 29, 30. dicuntur Brachmanni. 30. & Bramines. 32. de quibus vide ſ. l.
Philoſophica ſecta apud Sinenſes præcipua. 47. Philoſophiæ ipſorum ſumma. ibid.
Phœnices literas habent à Judæis. 23
Plato ſapientiæ cauſa ad Indos profectus. 30
Politia Sinenſium optima. 46
Polygamia apud Indos uſitata. 169. 36
Pontificiorum ſtudium pro convertendis Gentilibus. 201. ſeqq.
Præceptores in magna veneratione apud Sinenſes. 247
Prædicatorum Evangelii primorum præmia. 2
Principia rerum duo à nonnullis conſtituta. 141. 76
Prognoſtæ apud Indos. 29
Prophetia apud Japonenſes. 248, 249
Providentia Dei in mundum adſtruitur, ex operis bonitate; duratione; ordine; hominum oratione. 137. Objectiones contra eandem refelluntur. 139, 140
Providentiam ex Gentilibus qui hodie agnoſcant. 40. 141
Pythagoras ſapientiæ cauſa ad Indos profectus. 30. ab Ægyptiis metempſychoſin hauſit. 149. ab ipſo Indi. 30

R

Religio Gentilium catachreſtice ita dicitur. 3
Religiones Gentilium. Ægyptiorum. 20. Africanorum. 29. Americanorum. 69. ſeqq. Baneanum. 39, 40. Brachmannûm. 30. ſeqq. Braſilienſium. 71. Calecutenſium. 40, 41. Cambajenſium. 39, 40. Ceylonenſium. 41. Chaldæorum. 16, 17. Coreanorum. 50, 51. Cormandelorum. 41. Decamenſium 40. Floridanorum. 70. Formoſanorum. 50. Franciæ novæ. 69. Germanorum. 25, 26. Græcorum. 23. Guineenſium 29. Guzurattenſium 39, 40. Japoniorum. 51. ſeqq. Indorum. 29. ſeqq. Lappiorum. 59. Malabarum 40. Mexicanorum. 70. Narſinganorum. 41. Peguanorum. 42. Peruanorum. 72. Romanorum. 23, 24. Sabæorum. 18. Siamenſium. 42. ſeqq. Tapuyorum. 76. Tartarorum. 57, 58. Virginienſium. 70
Reſpublica quid conferre debeat ad negotium converſionis Gentilium. 215
Reſurrectionis fidem rident Gentiles. 152. illa non ex ſola naturæ luce commonſtrari poteſt. interim rationi optime congruit. 153
Rex. In Regis exemplo formando inprimis occupatur Sinenſium philoſophia. 247. vid. de Sinenſium, Iaponiorum, Peruanorum, Regibus.
Rixæ inter Chriſtianos corrigendæ per ſtudium convertendi Gentiles. 3
Rogerius, Abraham, res Braminum conſcripſit ex ore Padmanabæ Brachmanni. 32
Romani Deorum cloaca. 23. quomodo Deos diſtribuerunt. 24

S.

Sabæorum idololatria latiſſimè diffuſa. ſtellis omnem virtutem divinam adſcripſerunt. 18
Scortatio apud Japonios licita. 169
Scripta apocrypha, falſi nominis, in Eccleſia plurima, jam olim proſcripta. 180, 198
Scriptores contra Gentiles. Antiqui ſeu Patres. Græci Juſtinus, Martyr. an. 163. pag. 77. Athenagoras, ei coævus. 79. Theophilus, an. 172. 79. Tatianus. 79. Clemens Alexandrinus, circa an. 192. 80. Latini. Tertullianus, circa

Digitized by Google

circa an. 199. 80. *Minutius Felix.* 80. *Origenes, Martyr an.* 202. 82. *Cyprianus, Martyr an.* 268. 82. *Arnobius, an.* 302. 84 *Firmianus Lactantius, an.* 302. 84. *Euſebius, an.* 330. 86. *Athanaſius.* 340. 87. *Julius Firmicus, an.* 350. 88. *Gregorius Nazianzenus, ob. an.* 389. 89. *Aurel. Prudentius, an.* 390. 89. *Joannes Chryſoſtomus, ob. an* 407. 90. *Auguſtinus, ob. an.* 430. 91. *Oroſius Hiſtor.* 409. 92. Recentiores & moderni. *Thomas Aquinas, ob. an.* 1274. 94. *Raimundus Sebon, circa an.* 1430. 94. *Hieronymus Savanorola.* 95. *Petrus de la Cavalleria, an.* 1450. 95. *Marſilius Ficinus ob.* 1499. 95. *Ludovicus Vives.* 96. *Ludovicus Granatenſis, an.* 1582. 96. *Philippus Mornæus.* 97. *Petrus Charron.* 98. *Hugo Grotius.* 99. *Ioh. Micrælius, an.* 1651. 99. Conſilium qui expoſuerunt cum Gentilibus agendi. *Ioh. Fredericus Lumnius an.* 1567. 100. *Ioſephus Acoſta.* 100. *Antonius Poſſevinus.* 100. *Thomas à Ieſu.* ibid. *Philippus Rovenius.* 101. *Iuſtus Heurnius.* 101. *Ioh. Yates.* 102. *Iohannes le Maire.* 102

Scripturæ Sacræ veritas & divinitas demonſtratur, in genere. in ſpecie ex Scriptorum integritate. 178. *antiquitate. materia. efficacia. ſatietate.* 179. *Martyrum conſtantia. conſenſu librorum.* 180. *objectio de ſtyli ſimplicitate diluitur.* 180, 181.

Sectarum in religione quarumcunque, quinque capita Epiphanio. 16

Seminaria. vid. Collegia.

Serpentes in ſingulari honore habent Narſingani. 41

Sibyllæ antiquæ. eorum hiſtoriam habet Lactantius. 104. *Des Sibylles. David Blondellus accurate & plene.* 103. *Sibyllarum antiqua oracula cum noſtris non conveniunt.* 113. *ſeqq. Libri antiqui Sibyllarum jam olim perierunt.* 115. *non potuerunt facile in Chriſtianorum manus devenire.* 116

Sibylla [Chriſtiana] facit ſe Noachi nurum. 107

Sibyllini libri allegantur à Patribus & Recentioribus pro veritate religionis Chriſtianæ. 102. *Libri Sibyllini quos hodie habemus octo, neque* Σιβύλλειοι *ſunt, neque illi veterum Sibyllarum.* 105--110. *totum ſcriptum ſuppoſititium* 103. *inter Chriſtianos natum.* 106. *jam olim notata fraus, ab Ethnicis. ab Auguſtino.* 106. *& fraudem Sibyllinam ſubolfecit Ioſephus Scaliger.* 102. *cui accedit Caſaubonus.* 103. *Sibyllina noſtra, poſt conſignatum Evangelium ſcripta* 116. *eorum autor ex Gnoſticis* 117. *forte Hermas* 118. *vel Papias* 119.

Sibylliſtas, Gentiles appellant Chriſtianos. 106. 118

Simii albi coluntur in Inſula Ceylon. 41. *Simii dens ſacer ibi à Chriſtianis crematus* 41, 42

Simulacra olim Chriſtiani ne quidem habuerunt. 159, 160. *Simulacrorum cultus, Gentilium ſuperſtitio univerſalis.* 158. *impugnatur à Patribus.* 158, 159

Sina vox rectius quam China. 43

Sinarum Regni amplitudo. terra feliciſſima. 43, 44. *A Tartaris totum imperium vaſtatum.* 47. *In Sina olim Chriſtianiſmus notus.* 248. *denuo per Ieſuitas plantatus.* 250. 259.

Sinarum Tabulæ Geographicæ à P. Riccio ibi conſtructæ. 257

Sinenſes Deum unum ſupremum agnoſcunt. 47. 50. *ſunt dæmonolatræ.* 50. *idolis alias ſupplicant, alias ea diverberant.* 48. *Magiæ, divinationibus, auguriis, ſortilegiis, dediti ſunt.* 49. 162. *ſeqq. Politia Sinenſium optima.* 46 *Leges fundamentales regni.* 44. *Magiſtratus inferiores plurimi.* 44. *pauperum cura laudabilis.* 46. *Triplex apud illos ſecta, Philoſophica.* 47. *Idololatrica.* 48. *Epicurea.* 49. *præter has principales aliæ innumeræ.* ibid. *Philoſophiæ ipſorum ſumma.* 47. *Virtutem omnibus rebus præferunt.* 47. 243. *Egregia habent virtutum præcepta, & exempla.* 48. 245-248. *ipſorum* αὐτάρκεια *& juſtitia.* 44. 46. *adulteria apud ipſos morte plectuntur.* 171. *præceptores in magna ſunt veneratione.* 247. *major Parentum reverentia.* 248. *otium ſumme exoſum.* 46. *Capiuntur humanitatis officiis.* 244. *Studiis ſunt addictiſſimi, unde in ſingulis civitatibus Academiæ.* 44. *Nobilitas omnis à literis.* ibid. *ſcriptionis ratio.* 45. *Mathematicæ ſunt ſtudioſi & Medicinæ. hujus ratio & praxis.* 243. *Aſtrologorum copia in Sina, & quid præſcribant.* 49. *curioſi ſunt Sinenſes in percontando* 244. *Typographiæ, nauticæ, magnetis, pulveris nitroſi uſum ante nos habuerunt.* 46. *Sunt admodum ſtudioſi vitæ prorogandæ, ſive adipiſcendæ citra mortem immortalitatis, ut & conflandi argenti, gemina inſania.* 145, 146

Digitized by Google

146. *αὐτοφονία apud ipſos frequens.* 173

Sinenſium Rex ſeu Imperator, cœli filius creditur. abſolutæ eſt poteſtatis. & ditiſſimus 43, 41. *ſolis Eunuchis ſe videndum dat.* 244, 258. *Rex novus agrum arat.* 46. *in Regis exemplo formando inprimis occupatur Sinenſium Philoſophia.* 247. *ab inſania acquirendæ immortalitatis qua ratione Regum quidam liberatus.* 146

Societates Indicæ apud Batavos, Orientalis, erecta an. 1602. *ejus primum Capitale reditus annui nunc ſuperant. Occidentalis an.* 1621. 10

Sodomiæ ſcelus ab Impp. Chriſtianis capitali pœna ſublatum 170. *à Ioh. Caſa Romanenſi carmine laudatum.* ibid.

Sol & Luna pro Diis habiti Chaldæis ac Sabæis. 19. *Aegyptiis.* 20. *Tartaris.* 57. *Peruvianis.* 72. *Solem intueri nefas apud Peruanos.* 73. *Sol an ſummus Deus, dubitat Rex Peruanus.* 73. *Solem ſacrum habent Indi ac Brachmanni.* 31. *Floridani.* 70. *Solis feſtum.* 31

Solis nomina. Bel, Beli. Moloch. Chaldæis 19. *Oſiris (Iſis, Luna) Aegyptiis.* 20. *Thammuz Sabiis.* ibid. *Adonis.* ibid. (72

Solis filius, Rex Peruanorum primus creditus.

Sortilegiis dediti Sinenſes. 49

Sortitio Apoſtolorum pro convertendo orbe non admittitur. 196

Spiritualia uti pretio non conſtant, ſic gratis tribuenda, eoque magis pro corporalibus remetienda. 2 (150

Spiritualis eſſentia non expletur corporalibus.

Spiritus bonos & malos agnoſcunt Bramines hodierni. 37. *ad Spirituum naturam comprobandam magia conducit.* 162

Symbolum Apoſtolicum quod dicitur, non compoſitum ab Apoſtolis ante quam diſcederent Hieroſolymis. 196

T.

Tapuyi, gens fera, numen bonum & malum ſtatuunt. 76

Tartari capillos non alunt. 51. *Deum unum agnoſcunt ſupremum. & alium hoc inferiorem. alicubi Solem & Lunam invocant.* 57. *Magos & Aſtrologos multos habent.* 58. *credunt metempſychoſin.* 58. *Tartarorum nomen Magnus Chan illuſtravit.* ibid. *Religionem Chriſtianam facile admittunt. lingua ipſorum non difficilis* ibid. *Sinas celeritate obruerunt ac vaſtarunt.* 47

Temperantia apud Japonenſes in pretio 224. *Sinenſium temperantia ſeu αὐτάρκεια.* 44, 46

Templa & aras non habuerunt olim Chriſtiani. (160

Templa Calecutienſium. 41

Terra Germanis Hertha, pro Deâ culta. 25.

Terrarum loca à Papa Alexandro VI. *Caſtellæ & Luſitaniæ Regibus hæreditario nomine diſtinctim aſſignata & donata, reliquis omnibus acceſſu interdicto.* 228

Tharſis urbs in regione Ophir. 69

Theologiæ ſummaria expoſitio. 176, 177

Trinitatis SS. myſterium ex ratione probari nequit, etſi rationi non repugnat. 98

Tuiſcon, Tuiſton, heros Germanorum pro Deo cultus. 25, 26

Tuytſchen vox unde. 25

Typographiæ uſum Sinenſes ante nos habuerunt. 46

V.

Vacca apud Indos (Brachmannos) in ſingulari honore. 33. *vaccæ & tauro nuptias celebrant ſumptuoſe.* 38, 39. *vaccam occidere ſummum nefas.* 32. *eidem ſepulturam adornant.* ibid. *metempſychoſis in vaccam feliciſſima putatur.* 38

Vedam, ſacer legum liber Brachmannûm 5. 32. 35. *ejus quatuor partes. quid ſingulæ contineant.* 36

Virginienſes multos Deos faciunt. 70

Virtutem omnibus rebus præferunt Sinenſes. 47. 243. *egregia habent virtutum præcepta & exempla.* 48. 245-248

Vitæ prolongandæ ſtudium inſanum apud Sinenſes. 145, 146

Vivendi laxa via non docenda. 232, 233

Vocatio Gentium durabit ad finem ſeculi. 199. *de vocatione Gentilium prædictiones.* 193

W.

Wodan dictus Mercurius Germanis. unde Wodenſdag, Woenſdag. 25

X.

Xaverius. vid. Franciſcus.

Y.

Ynca Peruanorum Reges dicebantur. 72. ſeqq.

Z.

Zeylan. vid. Ceylon.

FINIS.

AUCTOR
LECTORIS.

SI quis ex me forte quærat, quid rei nos impulerit, ut, quum tot ſint domi controverſiæ, in quibus exercere Studioſa Juventus, pro more Academiarum, diſputando ſolet, tot nomina diverſarum hæreſium, ne ſchiſmata dicam, & nova quotidie ex aliis exorientia litigia, quaſi veterum non eſſet plus ſatis; ad Infideles excurramus, & non cum Judæis, pro quorum convictione & converſione nuper egimus; non cum Muhammedanis res nobis ſit, quorum deliria alio in ſcripto expoſuimus, exponere enim illa refutare eſt; ſed ad Gentiles & Indos pergamus, inquiſitum primò non ſine labore, quid ſententiæ *ſint in religionis negotio, ſi quod ipſis attribuendum videtur; tum quomodo cum iis* diſputare *conveniat, denique & quo modo ad ipſorum* converſionem *procedendum ſit, quem omnis disputationis decet eſſe finem & ſcopum: huic reſpondemus, illam ipſam incæpti nobis cauſam extitiſſe, quod novum & inuſitatum captavimus diſputationibus argumentum, quia controverſiarum & contentionum domi tantus eſt numerus,* lites & amaræ prælia linguæ, *ut juſtum facile creent animo faſtidium, dum eodem tramite identidem recurrunt, exiguo ſæpe cum fructu, ſaltem non tanto, qui operæ pretium exæquet.*

Arctam ſalutis vix viam diſcernere eſt
Inter reflexas ſemitas.
Tam multa ſurgunt perfidorum capita
Tortis polita erroribus.

Ut egregie loquitur Prudentius. Tum ita videri multis obſervabam, quaſi nil ultra agendum ſit Theologo, quam diſputare poſſe cum Pontificiis, cum Socinianis, Anabaptiſtis, Remonſtrantibus, atque id genus hominibus, ſecuris de longe pluribus præter illos, & de muneris ſui erga iſtos partibus, quod eſt docere, convertere, & ſalvare, quantum in nobis eſt, omnes πάντα τὰ ἔθνη. *Neque enim exiſtimo iſta ſic dicta Apoſtolis, ut non ad omnes pertineant Apoſtolorum, in communi opere miniſterii, pro conditione N. T. ſucceſſores. Quare ut Studioſi in tempore docerentur de illis etiam cogitare, & dum Deus varias gentes patefacit nobis, atque ad eas parat aditum, Majoribus noſtris incognitas & inacceſſas, ſciamus officii noſtri quoque eſſe de propagandâ ad illos fide, & curandâ eorum ſalute ire in conſilia, ideo hac ſchediaſmata apparavimus, & Diſputationum loco dedimus Juvenibus Studioſis ſuſtinenda publico examine. Quorum ut nomina & diligentia aliis commendentur, ideo hic exhibere æquum duxi.*

PETRUS WITTEWRONGEL.
CORNELIUS TESSING.
PETRUS CASIER.

Mm JOHAN-

Digitized by Google

JOHANNES OBRY.
JOHANNES TRESENIER.
JOHANNES du CARTEL.
JACOBUS FABRICIUS.
GERBRANDUS van LEEUWEN.
JACOBUS RHYNSDYCK.
SAMUEL à DOORESLAER.
RUDOLPHUS VOLTELEN.
LAURENTIUS à GAESBEECK.
PETRUS van CRIMPEN.
NOACH van FRANCKEN.
JACOBUS VASSEUR.
THOMAS BURCHARDUS VOLTELEN.
ABRAHAMUS BRÆDIUS.
LAURENTIUS HEMLINGH.
ALBERTUS à RODENBURGH.
BARTHOLOMÆUS HEYNEN.
CONRADUS RUYSCH.
CORNELIUS van BASHUYSEN.

Matthias Nethenus lectori benevolo S.P.D.

PRæſens, de Converſione Indorum & Gentilium opus, Clariſſimus Vir, noſterque in Chriſto frater dilectus, *D. Iohannes Hoornbeeck* p. m. per modum diſputationum, in Academia Lugduno-Batava, publicè examinandum propoſuit, & anno 1662. inchoatum, menſe Januario, uti tunc quidem conceperat, abſolvit, & triginta diſputationibus, in typographia Academiæ, impreſſis præcedentem præfixit ad Lectorem allocutionem. Verum cum ab eo tempore incidiſſet in hiſtoriam navigationis Anglorum Reformatorum in Americam, & legiſſet, quo modo & ſucceſſu illi, in cœcis & miſeris illis hominibus, ex poteſtate Satanæ & regno tenebrarum eripiendis, & ad communionem Dei in Chriſto traducendis, laboraſſent; eodem anno 1664. trigeſimam primam conſcripſit diſputationem, reliquis adjungendam, eamque more præcedentium, die 28. Junii in Academia, ventilandam propoſuit, Reſpondente *Iohanne Arckelio*; cujus proinde nomen, in præcedente Reſpondentium indiculo, non comparet. Ille verò ſicut Dominos Ordines Indiæ Orientalis Societatis Curatores, in Zeelandia, ſtudiorum ſuorum fautores, & promotores habuerat, quibus & diſputationem illam, honoris & gratitudinis ergò inſcripſerat; & Præceptore *D. Hoornbeeckio* didicerat, quomodo Indorum converſio ſuſcipienda eſſet ac provehenda; ita poſtea, in Indiam Orientalem profectus, ſe operi ipſi accinxit; cujus ut & aliorum iſthic Symmyſtarum, eidem operi incumbentium, labori Deus gratioſè benedicat. Cæterum Autor, ante obitum ſuum, opus hoc ad novam editionem præparans in duos libros diſpeſcuerat, & primum quoque librum in ſua capita, præfixis argumentis, diſtribuerat. Verum à Deo ex hac vita ad meliorem tranſlatus in ſecundo libro idem præſtare non potuit. Quod ergò abrupto, per mortem ipſius, operi deerat, ego rogatus, publico Eccleſiæ Dei bono, ſupplevi. Deerat verò in exemplari mihi tunc exhibito & Præfatio hæc & trigeſima prima diſputatio; neque ego hanc deeſſe ſuſpicari poteram, eò quod trigeſima etiam ultima in titulo dicebatur. Cum ergò ſuperiore menſe Martio incidiſſem in exemplar harum diſputationum, ubi præmiſſam videbam hanc præcedentem Autoris Præfationem, & in fine additam diſputationem trigeſimam primam; id Typographo, amico noſtro, per literas ſignificavi. Qui etſi Operis & Indicis impreſſionem jam abſolviſſet, noluit te tamen hoc Præfationis, & notabili diſputationis trigeſimæ primæ auctario fraudare. Quod ſerius acceptum & à me relectum Caput. xv. & ultimum libri ſecundi conſtituit. Utere his tuo commodo & vale in Domino Scribebam Ultrajecti anno 1669. 5. Idus Aprilis.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT XV. & Ultimum.

Quo ad imitationem proponitur exemplum felicis converſionis Indorum & Gentilium in America per Reformatos & pios Anglos.

ID operæ dedimus antehac ut ex ſcriptis & narrationibus Papiſtarum, imprimis Jeſuitarum, quando ſuas in Indos commemorant expeditiones, indagaremus, & cum judicio ſeligeremus rationem agendi, quam ſervarunt cum miſeris Indis orbis utriuſque, & Sinenſibus, & Japoniis, quâ Chriſtum ejuſque religionem iis quadantenus ſignificare & inculcare ſtuduerunt. Sed uti in agro variis herbis, partim ſalubribus, partim venenatis referto, ſuſpenſo pede incedendum fuit, & ſollicite admodum noxia à bonis ſecernenda. Jam quid à Noſtris diſcere liceat, Euangelium non tantum purè quod ad doctrinam, ſed & ſanctè tradentibus, modo & fine Euangelicis, atque idcirco eximiam Dei in labores ſuos benedictionem expertis, videbimus: nimirum Anglis, qui ab a. cIↃ IↃ C XLIII. patriâ exules, partes Americanas adiverunt, ſuis quidem primò, ſed & Gentilibus Euangelium miniſtraturi: quod & tam feliciter ab iis factum, ut non modò multi Indorum converſi ad Chriſtum, & veram in eo religionem, ſed & varii in Indorum linguam converſi libri ſint pii ac utiles, Catechiſmus, & orationes, atque jam Biblia iſtâ procudantur linguâ.

Angli iſti ex primis fuerunt Thomas Mahu, Johannes Eliot, Thomas Shepard, & alii: quorum certe exilium gentibus illis fuit, quod de Pauli cæcitate dictum Veteribus, eam fuiſſe totius orbis illuminationem; ſic iſti per illos à ſpirituali exilio, quo hactenus fuerant ſine Chriſto, alieni à teſtamentis promiſſionis, deſtituti ſpe, & athei in mundo, reducti fuerunt ad civitatem & contubernium Dei in Chriſto. Exulabant verò Angli à perſequutionibus Epiſcoporum: quemadmodum olim Apoſtolorum tempore perſequutio mota adverſus Eccleſiam Jeroſolymitanam, fideles diſperſit per regiones Judeæ & Samariæ, Act. VIII. 1. 4. 5. *iſti verò diſperſi perrexerunt, euangelizantes ſermonem, Philippus autem pergens in urbem Samariam, prædicavit illis Chriſtum.* & tandem expulſi à Judæis Apoſtoli omnibus locis, converſi ad Gentiles fuerunt, iis prædicaturi Euangelium, quo ſe indignos præſtiterant illi. Act. XIII. 45. 46. 51. Tali occaſione Deus & olim, & hodie utitur, ad expellendos in meſſem ſuam miniſtros.

Digitized by Google

An ſimilem & apud nos aliquando adhibiturus ſit, novit in cujus manu Eccleſiarum aſtra ſunt, quæ collocat & movet loco, quo ſibi placitum.

Primus Indorum in Novâ Angliâ, qui ad fidem tranſivit ex Gentiliſmo fuit quidam Hiacomes, qui longe aliâ de cauſâ primum Anglos accedebat, quam converſionis & fidei, nimirum curandæ valetudinis. Atque uti Chriſtus in diebus carnis ſuæ inter homines agens, eos, qui corporis curandi cauſâ ad ipſum veniebant, etiam ſpirituali ope juvabat & ſalvabat; ſic corporis curam in multis convertit ad ſublimiorem animæ, occaſione iſtâ impetrandam quoque. Sed Hiacomes ille, quæ perpetua converſorum ſors eſt in mundo, indigna à ſuis paſſus eſt ideo, quod Chriſti fidem amplexus, Deos patrios, atque cognationem omnem Chriſto poſthabuiſſet.

In Orientali Indiâ, in regno Pegù, quando aliquis deſerto Gentiliſmo Chriſti fidem eſt profeſſus, uxor tamquam mortuo Funus ei adornat & ſepulcrum, faſque ipſi novum quærere maritum. Atque in Calecutenſi regno, qui vel attingit alterum, doctrinæ & religionis à ſuâ diverſæ, contaminari credunt & reddi impurum.

Sed ad Americanos in Novangliâ, ad fidem adductos. Quam primum aliquod Anglis cum Gentibus interceſſit commercium, & quâ vel autoritate pollebant, vel vivendi conſuetudine, itum in varias leges fuit, quibus & Gentilium inordinati mores circumſcriberentur, & ſenſim ad modeſtiam ac pietatem formarentur ipſorum animi. Quare ab a. cIↃ IↃ CXLVI. pœnæ politicæ conſtitutæ in reos ebrietatis, magiæ, mendacii, furti, polygamiæ, & quotquot vel contentionibus, vel fornicatione, adulterio, homicidio, ſimilibuſque vitiis ſe polluerent. Jubebantur etiam obſervare preces, & Dominicum diem Dei cultui ſacrum; ut ſic & à priſtinâ vivendi intemperantiâ, & ad religionis aliquem ſenſum commodè adducerentur. Nam legibus, & exemplo ſenſim provocabant illos ad modeſtiam Chriſtiani. Unde factum, ut Parlamentum Anglicanum a. cIↃ IↃ CXLVII. d. XVII. Martii, felices iſtos Euangelii in Novangliâ conſiderans progreſſus, decreverit manus operi pie & alacriter admovere, & inquirere in cujuſvis generis media, per quæ & doctrina, & pietas apud Barbaros magis magiſque promoveretur.

Jucundum verò & utile erit accipere ſingularem agendi rationem, quam in alliciendis & perſuadendis miſeris hominibus obſervarunt. Primùm teſtabantur palam, idque opere comprobabant, ſe neutiquam res & bona, opeſque eorum quærere, nec vexare eos velle aut opprimere, quod ipſorum Sachim ſeu Principes faciebant. Norant etiam ut hac ratione Hiſpani exoſum reddiderant Indis Chriſtum, ejuſque Euangelium. Verùm unice

ſe

ſe cupere ipſorum bonum, & commoda quævis, & æternam denique in cœlis ſalutem ac vitam, dare, nil auferre ſe paratos eſſe, contendebant.

Magnâ diligentiâ incumbebant addiſcendæ Barbarorum linguæ, quâ familiariter cum ipſis agere poſſent & loqui, neque per interpretem vel pauca loqui, vel potiſſima omittere, cogerentur. Linguæ uſu excellebat Johannes Eliot, qui vulgari frequentiſſimè ad illos ſuit concionatus. Etenim aſſiduitate docendi publice & privatim, in vicis & domibus, monendi & inſtruendi, catecheſibus indefeſſis, precationibus Eccleſiaſticis, & domeſticis, quas ipſi religioſe obſervabant, & alios idem facere docebant, rem Chriſti admirandum in modum promoverunt. Et certe vel illis mediis regnum Chriſti adducitur, vel nullis. Et quibuſcunque curæ eſt, quod profitentur ſe velle, niſi in iſtis ſedulò laborent, ſatiſfacient neque ſibi unquam, neque aliis.

Hunc etiam inter alia ſervabant morem, ut finitâ concione liberum eſſet infidelibus, quæcunque interrogare. Quod propterea ab illis fiebat, ut hinc cognoſcerent, non tantum qua parte minus eſſent eruditi illi; ſed quoque ut, occaſione quæſtionis ab ipſis motæ, præberetur ſemper argumentum alia & alia enucleatius tractandi & exponendi; tum quoque, ut hoc modo familiaritas creſceret ſpiritualis de ſacris quibuſque materiis quocunque tempore & loco agendi. Neque concionem ſolvebant, niſi aliquid in medium fuiſſet prolatum, vel ex ſermone præmiſſo, vel undecunque ſumtum, quod omnes exerceret.

Mirum verò audire, quas nonnunquam quæſtiones moverint. Prima fuit propoſita à muliere Indicâ, quæ rogabat, an ſiquidem, orante ſuo marito, ipſa nil proferret ore, ſed animo tacitè ſequeretur orantem, valeret oratio? putabat enim, niſi verba proferret, orationem non conſtare. Altera quoque à muliere fuit propoſita quæſtio: num bene oraret maritus, qui interim dum orabat, non tamen deponeret iram ſuam in uxorem? Præcipuæ paſſim quæſtiones inſtitutæ circa uſum & vim orandi. Qui eximius fuit fructus precationum, ad quas identidem monebantur, & ſimul argumentum, ſe non oſcitanter, ſed cum ſtudio orare.

Ab ſene aliquo quæſtio proponebatur de ſuo filio, petebatque conſilium, quid facturus eſſet cum immorigero & contumace, qui neque verbum Dei vellet audire, à patre monitus; neque ebrietatem omittere, ſæpe etiam increpitus? Alio tempore quæſitum: cujas eſſet Chriſtus? Quam longe abinde diſtaret ejus natale ſolum? ubi nunc degeret? & quomodo ejus abſentis poſſent reddi compotes? Iterum de precibus, quænam eſſent rectæ & bonæ? an fœminæ, abſente marito, liceret in ſylvâ loco aliquo ſo-

Digitized by Google

itario preces dicere? ſiquis ferreo loculo incluſus conjiceretur in ignem; anima an exire poſſet, & quomodo? Alius interrogavit: quid hoc eſſet, quod quum antea ſtatu fuiſſet valde tranquillo, & à nemine infeſtaretur, antequam Deum noſſet, jam vero poſtquam converſus inquietiori eſſet animo, & peccatis gravaretur plus quam unquam antea? Iterum, quid reſponderi deberet cavillantibus, nil ſe lucratos ſuâ ad Chriſtum converſione, quodq; tam diligenter Deum invocarent, quandoquidem æque nudi incederent nunc ac antea, & non minus eſſent pauperes, imo aliorum ſeges tam læta eſſet ac ſua, & majoribus paſſim voluptatibus obruerentur, quam ipſi? Vidua quærebat: ſi Deus illos qui ipſum norunt, diligit; unde ergo eſt, quod ab eo tempore adhuc affliguntur? In aliâ epiſtola lego hæc ab Indis quæſita fuiſſe: quando anima primò intrat cælum, quid tum dicit? & ubi anima improbi in infernum, quid hîc? Eva, quandoquidem prior peccavit, an etiam prior obiit? Quomodo Chriſtus homines redemit à peccato? Quâ ratione debemus diligere inimicos? Probus vir an etiam peccat? Quando quis ſolo animo orat, an Deus hoc quidem novit, & audit? Quamdiu Adamus ſtetit rectus, ante lapſum? Numquis Deum videre poteſt, & eum an viſuri ſumus in cælo? Ubi duæ familiæ habitant in eadem domo, altera orat, altera non, quid orans illa faciet cum alterâ non orante? Quum Deus promiſerit Abrahamo, ſe ei multiplicaturum liberos, inſtar arenæ maris: unde eſt quod tam paucos dedit? Quid faciendum, ut à morte adſcendamus in cælum? Quamobrem Deus bonos homines facit ægrotare? An vir pius Deum orans quidem inire conjugium poteſt cum aliâ nolente orare? Audio Dei verbum in juventute, neque tamen credo niſi ubi perveni ad ſenectutem: quid de hoc dicturus eſt Deus? Quid etiam de eo, quod ubi reſipui de malis cordis mei cogitationibus, attamen facile iiſdem repleor adhuc aliquoties? Quid ſibi vult, quod Deus non habebit impunitum, qui nomen ſuum uſurpaverit in vanum? Quid dicet Deus, ſi quis filiam cogat nubere ei, quem non amat? Quid de Miniſtro longè comato? Qui fit, quod orans animus, tamen admodum durus ſæpe eſt atque inſenſatus? Quid ſignificat, beatos eſſe lugentes? An in cælo omnes habitant unà; an verò diverſis domiciliis? An qui ſunt in cælo, inde proſpiciunt in terram? An ſe mutuò cognoſcunt? & ſic quoque illi, qui ſunt in inferno? Hæc, & alia ab Indis fuere propoſita & quæſita: nam nonnulla tantum ex magno numero ſeligimus maximè memoranda. Certe ejuſmodi quæſtiones qui formare incipiunt, haud longe abſunt à regno cælorum.

Illi modi proprii & veri ſunt ad convertendos ad fidem homines, alii longe, quam quos Papiſtæ adhibere ſolent, ad pervertendos potius, & deſtruen-

ſtruendos, quam ſalvandos. Verbo pugnare, & precibus, arma ſunt, quibus rem ſuam agi Chriſtus vult. & concionando, admonendo, orando, repetendo domi auditas in Eccleſiâ conciones, exercitiis pietatis domeſticis quibuſcunque, res Chriſti illos progreſſus fecerunt apud Barbaros, ut jam de gente illâ multos ſpectare liceat Chriſto lucrifactos additoſque. Rogabat aliquando Indus Myoxeo Hiacomum, de quo ſupra diximus, quot Deos colerent Angli? qui quum unum reſpondiſſet, abſurdum alter putabat, ut Deos, quos ad minimum colebat triginta & ſeptem, commutaret cum unico. Quali acceptâ reſponſione, ſemper campus aperiebatur exſpatiandi in doctrinam ſacram de Deo & religione uberius exponendam. Imprimis captabant occaſiones ad ſerios & ſacros ſermones præ cæteris aptas: uti ad mortem & ſepulturam aliorum, diſſerendi de vitæ emendatione, rerum omnium fragilitate, melioris vitæ ſpe & ſtudio, aliiſque quæ hoc tempore opportune dici & audiri ſolent. Habet enim ſingularem in animis auditorum energiam dicendi tempus commodum & molle, præſertim apud vitæ efferatioris homines, quales Indi, & Americani.

Non abſque ſtupore & gaudio legat quis, quod in epiſtolâ a. cIↃ IↃ cI. d. VII. Septemb. ſcribit Thomas Matthæus, ſibi dictum ab Indo, aſſiduo concionum, & exercitiorum ſacrorum ſectatore: ſi vel univerſus ſibi offerretur mundus, cum opibus, & deliciis, quas continet, omnibus, ſed abſque Deo: vel Deus, abſque mundo, ſe haud cunctanter amplexurum Deum, & omnia mundi repudiaturum, ſolo Deo contentum ſatis & opulentum. Addidit alius: quod ſi ſummus terræ Princeps ſibi offerret omnia, favorem, munera, opes, & ſuis arctè complecteretur ulnis, hac conditione, ut Chriſtum dereſeret, nihil minus tamen ſe facturum, quam ut ſemel acceptam ejus religionem abjiceret. Multi ad vulgarem & continuam tentationem, quâ à ſuis vexabantur quotidie, quod ex novâ Chriſti religione nihil melioris vitæ aut commodorum eſſent lucrati, alacriter reſpondebant: ſe Deum neque veſtium, neque ullius alterius mundanæ rei cauſa colere aut profiteri. In litteris Johannis Eliot, ſcriptis Roxburgo, a. cIↃ IↃ CXLIX. d. XXIX. Decemb. ajunt recens converſi: quod ubi ad ipſos accedit aliquis peregrinus, neque notus antea, modò Deum oret, ſingulari animi affectu mox ipſum enixè diligant: contrà ubi vel frater germanus ad ipſos venit, ſed Deum non orat, frigeat affectus, utcunque natura dictet quidem eum diligendum eſſe. Certe haud dubia hæc gratiæ in ipſis ſunt effecta & argumenta, eo gratiora & illuſtriora, quo ex tantis tenebris, quibus hactenus ſopiti jacuerunt miſeri, magnâ Dei bonitate & efficaciâ Spiritus S. emergunt.

Digitized by Google

Atque illud poſſunt veri animarum Miniſtri, hoc qui agunt, quique quæ Chriſti ſunt & animarum quærunt, non ſua, non terrena vel commoda, aut honores, opeſve: nempe ubi ſancto ſtudio unum id ab ipſis quæritur, ut Chriſti regnum promoveant, & gloriam nullam agnoſcunt aliam, quam quod eâ in re inſervire Chriſto, & divino ejus conſilio poſſint. Quando in hoc uno conſtanter & ubique ſunt concordes, ut excogitent, volvant, tractent quotidie ea, quæ majus emolumentum rei Chriſtianæ addere apta ſint, & facere tum ut plures continuò convertantur, tum à pluribus glorificetur Deus. Modò in eo citra æmulationem verſentur, neque alter alteri invideat, quod plura & majora eò facientia invenit, vel præſtat. Jam qui tales talibus ſociantur, nihil non efficere, duce Chriſto, valent. Etenim ſalus & proſperitas Eccleſiæ vulgo à Paſtoribus pendet. Qui quando partibus ſuis non deſunt, facile populum habent, vel faciunt benè ſequacem: ſed quando oſcitanter cauſam Chriſti & Eccleſiæ agunt, & non tantum ipſi remittunt, ſed in hoc fervent unice, ut melioribus & pientioribus, zelo præ ſe ardentibus, ideo quod tales, obſiſtunt, eos averſantur, arcent, inſectantur; uti cauſa ſunt (quidquid per hiſtrioniam videntur ſignificare in contrarium, & Deum teſtari homineſque) non, uti decet, promotæ rei Chriſtianæ, id eſt, veritatis quæ ſecundum pietatem eſt: ita rationes aliquando dabunt Juſto vindici, & pœnas. Fidis interim Miniſtris, in aſſiduis & ſinceris pro Chriſti regno votis ſtudiiſque ſolatium & gaudium, ſupra quam mens capere queat, perſentiſcentibus, cumlæto ubique Spiritus, & conſcientiæ bene actorum fideli teſtimonio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google